6. Vitam eius, iam olim conscriptam, in mss. Vaticanis Graecis reperimus, unde eam Latine redditam primus edidit Lipomanus, deinde Surius, ac denique Petavius, ad calcem tomi II, addito etiam contextu Graeco, qualis in Medicaeo regis Franciae ms. inveniebatur, quem et nos inde transcriptum acceperamus. Ea testes et auctores praefert duos eius discipulos; primo Ioannem, quasi hic inter eius discipulos in monasterio unus, ac peregrinationum variarum comes individuus usque in Cyprum scripserit ea quae sanctum viderat facientem miracula, usque in diem quo coepit extremum ipsemet aegrotare: deinde Polybium, cui idem Ioannes moriturus conscriptas a se chartas tradiderit, praecipiens ut quae consequerentur mandaret litteris; promittensque adiiciendos ei annos vitae, ut toto tempore permaneret apud Epiphanium: qui etiam Polybius loco Ioannis ab Epiphanio ordinatus presbyter, eumque et Romam et bis Constantinopolim et aliorsum comitatus, mortuum revexerit in Cyprum; et quia corpore eius adhuc insepulto ex suprema eius voluntate profectus in Thebaidem ibi coactus fuerit subsistere factus Rhinocoruris episcopus, post annum unum aut amplius scripserit ad Epiphanii successorem Sabinum, ab eoque petierit de modo et tempore sepulturae praedictae per litteras instrui: atque ita cum Sabini responso finitur ea *Vita*.

Utinam ea sic ut praeferuntur, acta essent ac scripta. Non doleremus in tali *Vita* nihil omnino esse, quod tuto credi possit, sed omni fide dignissima forent singula, neque facile uspiam aut ab ipsomet Epiphanio aut a coaevorum auctorum aliorum scriptis invenirentur discrepare. Nunc vero plurimis Acta ea esse conferta mendaciis iudicare cogetur cum Baronio, ad an. 372 num. 108, quisquis eam contulerit cum infra proponendis censuris seu observationibus; nam ipsam, iam saepius

Latine, semel etiam Graece excusam, recudere, tantum ut refellatur, operae pretium non est. Toleramus quidem *Vitas* in hoc opere multas, dum meliores non suppetunt, naevis quandoque gravibus aspersas: quarum auctores credimus, bona quamvis, nimium tamen simplici fide mandasse litteris quae plura post saecula partim ex vetustioribus monumentis, partim ex popularium traditionibus compilarunt. Sed eas amplius ferre non possumus, quae mala fide nominibus alienis suppositae, tanto gravius offendunt ad veri falsique discrimen exercitatum lectorem, quanto turpius imponunt simplicioribus. Cum enim illis eatenus pia aptetur credulitas, quatenus nulla in contrarium obstat auctoritas certior vel ratio dubitandi praegnantior: istis nihil tuto creditur, nisi quod aliunde invenitur testimonio magis idoneo confirmatum. Itaque iis quae dixi Actis omissis, ea colligere aggredior quae ipse de se pauca satis, plura quae alii indubitati scriptores suggerent.

CAPUT II.

Casti adolescentis monachatus, vitae aetas et quaedam in episcopatu gesta.

7. Epiphanii patriam institutionemque adolescentis Sozomenus explicat lib. VI cap. 32, ubi de monachis Palaestinae loquens, "Ex eorum, inquit, numero fuit Hesychius, Hilarionis sodalis; et Epiphanius, qui postea Salaminis in Cypro episcopus fuit. Et Hesychius quidem in eodem quo magister loco philosophatus est; Epiphanius vero iuxta Besanducem vicum, in territorio Eleutheropolitano situm, ex quo ortus fuerat. Qui cum ab ineunte adolescentia a praestantissimis monachis institutus fuisset, eiusque rei causa diu moratus esset in Aegypto, in monastica philosophia celeberrimus exstitit". Ac primum quidem disciplinarum litterariarum causa petitam ab eo Aegyptum, atque adeo in fortuna minime tenui natum, mihi persuadet ipse, in libro *De haeresibus*, haeresi 26, ubi de Gnosticis agens, inquit: "Et nos, charissimi, in hanc haeresim incidimus, et ex ipsomet eorum, qui hanc proprie et ex instituto tractant, ore ac magisterio didicimus;" utique priusquam monachus esset; et

cum adhuc alia omnia, quorum scilicet causa in Aegyptum venerat, studia tractaret: quae autem alia quam litteraria? cum Gnosticorum libros, priusquam perniciosos esse nosset, studiose a se lectos fateatur. Qui vero ad hoc peregrinari iuvenis extra patriam potuit, consequens est ut in patria credatur habuisse parentes satis opulentos ad alendum peregre filium, probeque Christianos, ex quorum institutione eam traxit castimoniae tenendae constantiam, quae ipsum servavit impollutum inter illecebras et sordes Gnosticorum. Ipse quomodo eas evaserit loco iam citato sic explicat:

8. "Ad magisterium haereseos illius comparatae deceptaeque mulieres, non solum istiusmodi nobis sermones iniecerunt, sed insuper, Aegyptiae illius perditae ac nequissimae feminae instar, quae coquorum principis uxor erat, petulanti nos conatu pertrahere, tum cum florenti adhuc aetate essemus, aggressae sunt. Verum is qui sanctissimo Iosepho tum adstitit, nobis quoque praesto fuit; et hunc ipsum, qui illum eo in periculo liberavit, implorantes, licet indigni ac tanto beneficio impares essemus, eiusdem benignitate ac misericordia perniciosas illarum manus effugimus, ac sanctissimo Deo gratulatorium carmen cecinimus, ut id usurpare merito possemus: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem deiecit in mare (Exod. XI, 1)*. Neque enim similiter ut ille patriarcha vi quadam virtutis ac iustitiae nostrae, sed fuso ad Deum gemitu eius sumus miseratione servati. Cum etiam mihi pestes illae per ludibrium exprobrarent, ac secum invicem illudentes ita loquerentur: Hunc iuvenem servare non potuimus, sed in manibus principis perire sivimus. Nam quae forma inter illas liberaliore est, semetipsam velut escam atque illecebram obiicit, ut quos in fraudem ipsa pellexerit, non eos profligare ac perdere, sed eripere dicatur... Et erant sane, quae tum his verborum blandimentis ac lenociniis utebantur, corporis, quo ad peccandum abutebantur, venusta cum primis specie; sed misericors Deus ab illarum improbitate nos eripuit, adeo ut (postquam illorum libros perlegimus et ad veritatis cognitionem animum adiecimus, nec abducti vel earum illecebris capti sumus; sed effugimus tandem) mox ad episcopos, qui in illo loco erant, deferre studuerimus, et eorum hactenus ignota nomina in Ec-

clesia detegere. Ex quo factum est, ut octoginta fere capita exsulare iussa a lolio spinisque suis repurgatam urbem reliquerint".

9. Caeterum spurcitias illius haereseos lectione et sermone, non autem et usu cognitas, iterum iterumque testatur Epiphanius ita prosequens: "Ostendimus unam illam ex iis haeresibus esse, de qua certi exploratique aliquid afferre possemus; non ex eo quod gesserimus ipsi (avertat hoc a nobis Deus!), sed ex eo quod ab iis accurate didicimus, qui illam nobis persuadere frustra voluerunt, et conceptam de nostro exitio spem penitus abiecerunt; cum insidiae omnes ac fraudes, quas ad infelicis animae nostrae perniciem tam ipsi quam qui in ipsis inest diabolus machinati fuerant, irritae atque inanes exstitissent; ut hoc a Davide dictum accommodatissime usurpare possimus, *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum* (*Psal.* LXIII, 8) etc.; tum illud, *Convertetur labor eorum in caput ipsorum, et iniquitas eorum in verticem ipsorum descendet* (*Psal.* VII, 17). Igitur quemadmodum sic nos in illum errorem incurrimus, ut illius noxam effugeremus; eumque simul ac legimus damnantes, salvi atque incolumes praetergressi sumus: ita te, quisquis es qui ista legis, hortamur, ut lecta pariter ac damnata transilias, ne in serpentum eiusmodi velut improbitatis quoddam virus incidas; ac si quando forsitan ex hac serpentum schola quempiam offenderis, subito lignum illud, quod nobis a Domino comparatum est et in quo Christus affixus est, arripias". Hactenus Epiphanius, ex quibus satis verosimile reddi putamus, quod initio dixi, eum, cum in periculum istud incidit, Christianum fuisse, caste ac pudice a Christianis parentibus educatum: apparet etiam necdum saeculo renuntiasse, de quo talem spem sibi finxerant Gnostici; contra quam eum nobis commentitia Acta repraesentant, Iudaeum ex Iudaeis, iisque rusticanis et pauperibus, et prius in patria sua monachum quam inde pedem efferret.

10. Eadem asserunt, ipsum inter valedicendum interrogatum ab imperatore Arcadio "quot annos esset natus, respondisse, centum et quindecim, et tres menses". Sic autem dixisse: "Fui episcopus, cum essem annos sexaginta natus; fui vero in episcopatu quinquaginta quinque annos et tres menses". Sed

in annorum numero vitium esse aliquod nemo dubitaverit, primo quia Hieronymus anno 392 de Epiphanio scribens, id est, decimo ante eius mortem anno, asserit "in extrema aetate varia adhuc cudere opuscula;" quod nemo apte intellexerit de homine centum et quinque annos nato. Secundo quia annorum centum et quindecim senem nemo credet eius fuisse vigoris, ut ei libuerit Constantinopolim navigare. Tertio quia in Dialogo, qui de Vita S. Ioannis Chrysostomi exstat sub nomine Palladii, quasi ex sermone habito Sozimi Papae tempore, id est anno 418, inter Palladium Helenopolitanum episcopum Chrysostomi discipulum et Theodorum Romanae Ecclesiae diaconum, dicitur, quod Epiphanius "triginta sex annos Ecclesiae praefuit, sub Damaso et Syricio," quorum prior anno 358 coepit, alter anno 398 desiit. Numerum autem annorum 35 integre expletorum cum initio anni 36 si teneas, cetera haud incommode cum veritate consistent; ita ut aetatis suae anno 96 obierit sanctus, solumque ex levi unius litterae errore, quo νε′ scripserit aliquis pro λε′ perductus fuerit Actorum auctor in calculum adeo exorbitantem. Sic vero dici poterit Epiphanius, anno 368 ineunte, factus episcopus, et anno 308 natus. De quo dum in Synopsi ad *Ancoratum* eius legitur, quod "primam monastici instituti exercitationem in Aegypto suscepit, ibique ad vigesimum usque aetatis annum permansit, donec ad Eleutheropolitanam regionem reversus monasterium in ea condidit," datur intelligi anno 329 excessisse ex Aegypto, adeoque non valde longum fuisse tempus, quo ibi inter monachos vixisse potuerit: et denuntiationem illam Gnosticorum, episcopis Alexandriae congregatis factam, apte referri posse in Ianuarium anni 326, quando mortuo S. Alexandro episcopo, ad successorem S. Athanasium substituendum convenerunt episcopi. Nec enim videtur convenire ut biennio citius id fecisse dicatur, puta anno 324, quando praesidente Hosio Cordubensi celebrata est synodus Alexandrina, tunc enim annorum duntaxat sedecim adolescens fuisset.

11. Ut ut sit, statim post illam denuntiationem, dimissa Alexandria, eremum petitam ab Epiphanio nullus dubito: cum autem is rediit in Syriam iunxisse se potuit S. Hilarioni, de quo circa annum 311, illuc similiter ab Aegyptia sub Antonio exercitatione reverso, scribit Hieronymus in eius *Vita*, quod

post 22 solitudinis annum, id est annum Christi 323, "de Syria et Aegypto ad eum certatim populi confluebant, ita ut multi in Christum crederent, et se monachos profiterentur". Horum autem crescenti numero potuit se iunxisse Epiphanius; potuit etiam, mox ut rediit in patriam vicum recepisse se, similem acturus vitam, et nihilominus Hilarioni frequenti conversatione fuisse familiaris; quoad usque ille, nimiae suae celebritatis pertaesus, circa annum 360 profugit in Aegyptum, ac denique in Cyprum an. 364 ubi cum mori contigisset Salaminis episcopum, haud mirabor si ex Hilarionis consilio postulatus e Palaestina fuerit Epiphanius: qui libentius onus istud admiserit, ne Arianorum grassantem sub Valente tyrannidem spectare et sustinere cogeretur, et quia veterem spiritualis vitae magistrum aut socium ibi esset reperturus, et eo quoad viveret fruiturus. Vixit autem Hilarion usque ad annum aetatis 80, Christi 372, quando "de eius laudibus brevem epistolam" idem Epiphanius "scripsit," sicut in *Vita Hilarionis* testatur S. Hieronymus: ex cuius etiam epistola 61, *ad Pammachium* discimus, quod eo "tempore quo totum Orientem, excepto papa Athanasio atque Paulino, Arianorum atque Eunomianorum haeresis possidebat, quando Ioannes" adhuc privatus (contra quem postea Hierosolymitanum episcopum scripta Epistola) in fide dissimulans vel vacillans. "Occidentalibus et in medio exsilio confessoribus SS. Dionysio Mediolanensi, Eusebio Vercellensi, et Lucifero Calaritano, non communicabat; Epiphanius vel presbyter in monasterio ab Eutychio audiebatur (magni utique nominis aliquo, cum epistola sub annum 396 scriberetur, episcopo aut abbate, necdum tamen aliunde noto) vel postea episcopus Cypri, a Valente non tangebatur: tantae enim venerationis semper fuit, ut regnantes haeretici ignominiam suam putarent si talem virum persequerentur". Exules autem vixerunt in Oriente confessores praedicti ab anno 355 ad 362, et Valens orthodoxos est persecutus ab anno 366 ad 375. Unde intelligi datur, non tantum quam integra toto illo tempore fuerit Epiphanii fama et veneratio; sed etiam quod iam inde ab initio persecutionis, a Constantio suscitatae, presbyter fuerit consecratus.

12. Porro de mutua inter sanctos Hilarionem et Epiphanium familiaritate habetur insignis locus in libellis *De Vita et*

doctrina et perfectione sanctorum Patrum, quos teste Sigeberto Pelagius diaconus Romanae Ecclesiae transtulit de Graeco in Latinum, quique in *Vitis Patrum* editis a nostro Heriberto Rosweido librum V constituunt: ibi enim libello 3 num. 15 sic legitur: "Misit aliquando Epiphanius episcopus Cyprius ad abbatem Hilarionem, rogans eum et dicens, Veni ut nos videamus, antequam de corpore exeamus. Qui cum venissent ad invicem, manducantibus eis aetatum est de avibus quiddam, quod tenens episcopus dedit abbati Hilarioni. Et dicit illi senex: Ignosce mihi, Pater, quia ex quo accepi habitum istum non manducavi quidquam occisum. Et dixit ei Epiphanius: Ego autem, ex quo accepi habitum istum, non dimisi aliquem dormire, qui habebat aliquid adversum me; neque ego dormivi habens aliquid adversus aliquem. Et dicit ei senex, Ignosce mihi, quia tua conversatio maior est mea". Atque ad hanc mitigatae ab Epiphanio austeritatis excusationem etiam spectat, quod in ms. Ultraiectino, ex *Vitis Patrum*, nescio unde sumptum, reperi sic annotatum: "Factus episcopus voluit uti eadem duritia, sicut in eremo, sed non potuit: et orans quaesivit a Deo, si propter episcopatum recessisset ab eo gratia Dei. Responsum est autem ei quod non, quia pia intentione curam suscepit, sed quia tunc quando in solitudine fuit, Deus erat sibi proprius adiutor, in saeculo autem etiam homines auxiliabantur. Sic filii Israel receperunt manna in deserto, quousque venirent in terram promissionis".

13. Colitur S. Hilarion 21 Octobris: ut vero ad eum identidem recurrebat discipulus suus Hesychius, eumque de statu tum monasterii sui in Palaestina tum discipulorum ibidem relictorum curabat edocere: ita nec segnes fuerunt discipuli Epiphanii in fovenda mutua cum suo magistro communicatione, cum hic abesset. Itaque in libello XII dicti operis n. 6 tale quid invenitur: "Mandatum est sanctae memoriae Epiphanio episcopo Cyprio, ab abbate monasterii sui quod habuit in Palaestina: Quia orationibus tuis non negleximus regulam, sed cum solicitudine Tertiam, Sextam, Nonam, atque Vesperam celebramus. Ille autem, reprehendens eum, mandavit ei: Constat vos vacare ab oratione caeteris horis; eum autem qui verus est monachus, oportet sine intermissione orare aut certe psallere

in corde suo". Revisit haud dubie monasterium illud suum aliquando Epiphanius, quando ecclesiasticorum negotiorum causâ in Palaestinam excurrit: sed eius rei nulla est apud probatos scriptores memoria. Quantam autem tum ita excurrens, tum antea in Palaestina vivens, collegerit absolutae perfectionis famam, intelligi potest ex epistola Acacii et Pauli presbyterorum et archimandritarum in Coelesyria, quae praefigitur *Panario* et sic incipit: "Pietatis quidem tuae, Pater, aspectus ipse satis esse poterat, qui nos spiritualibus sermonibus implevit, ac tam vehemens tui nobis desiderium indidit, postquam tuo semel frui conspectu licuit. Verum quoniam praevia discipuli Christi fama verborum eius factorumque fragrantiam ubique praedicat, angit nos et solicitat, ut illius nos sermonibus et sensis explere studeamus. Coram igitur adeuntes, par erat eius, quae in te perinde atque in apostolis est, gratiae communione perfundi. Sed cum iter illud nobis corporis aegritudo et languor intercluserit ..... pietatem tuam vehementer exoramus, ut eorum nobis communionem ne invideas, quae in te sunt a Salvatore collata. Etenim non nos ipsi solum, sed et universi qui audierunt, novum te apostolum praeconemque confitentur, a Christo nobis hac aetate productum, velut alterum quemdam Ioannem, ut ea praeciperes quae servanda sunt iis, qui in illud quod arripuimus sanctioris vitae curriculum se commiserint".

14. Ut autem illa monasteria in Coelesyria invisit Epiphanius, sic et de suo Bethleemico testatur Hieronymus, illuc eum accessisse, "cum" ibi ab ardore febris "respirasset" S. Paula, "et medici persuaderent ob refectionem corporis vino opus esse tenui et parco, ne aquam bibens in hydropem verteretur; et ego clam beatum papam Epiphanium rogarem, ut eam moneret, imo compelleret vinum bibere". Aderat ergo ibi tunc Epiphanius: quo autem successu commendatum sibi officium apud Paulam egerit, prosequitur idem Hieronymus, continuans epistolam 27 *ad filiam Paulae Eustochium:* "Illa, inquit, ut erat prudens et solertis ingenii, sensit insidias, et subridens, meum esse quod ille diceret, intimavit. Quid plura? cum beatus pontifex post multa hortamenta exisset foras, quaerenti mihi quid egisset, respondit: Tantum profeci, ut seni homini pene persuaserit, ne vinum bibam". Eadem in epistola

iterum Epiphanii meminit Hieronymus, nec sine commendatione monastici status ab eo in Cypro propagati. Cum enim dixisset, quod sancta illa vidua Hierosolymam navigans, "post Rhodum et Lyciam tandem vidit Cyprum, ubi sancti et venerabilis Epiphanii pedibus provoluta, decem ab eo diebus retenta est; non in refectionem, ut ille arbitrabatur, sed in opus Dei": ut hoc reipsa comprobet, "omnia, inquit, illius loci monasteria lustrans, prout potuit, refrigeria sumptuum fratribus dereliquit, quos amor sancti viri de toto illuc orbe conduxerat". Erat autem annus 384 quando hoc contigit, uti 26 Ianuarii ad *Vitam S. Paulae* diximus: apud quam idem S. Epiphanius Romae erat hospitatus anno 382, quando eum, cum sanctis Paulino Antiocheno et Hieronymo, "Romam ecclesiastica traxit necessitas," uti etiam scribit Hieronymus in eadem *Vita S. Paulae;* addens quod haec "eorum accensa virtutibus, per momenta patriam deserere cogitabat; non domus, non liberorum, non familiae, non possessionum, non alicuius rei quae ad saeculum pertinet memor; solaque si dici potest et incomitata, ad eremum Paulorum atque Antoniorum pergere gestiebat: tandemque exacta hieme, aperto mari, redeuntibus ad ecclesias suas episcopis, et ipsa voto cum eis ac desiderio navigavit". Tam efficax apud eam fuit hospitis sanctissimi pia conversatio.

CAPUT III.

Liberalitas Epiphanii erga pauperes: mutuae inter eum et Ioannem Hierosolymitanum querelae.

15. Si qua fides esset pseudepigraphis S. Epiphanii Actis, dicendum foret, ordinatum fuisse episcopum, propter revelationem de eo factam S. Pappo, episcopo Cytriae, quinto a Salamina milliario, annorum quinquaginta episcopatu et confessionis cum Gelasio Salaminiorum episcopo obitae gloria praecellenti, cui metropolitae novi designationem episcopi caeteri provinciales commiserant. De S. Pappo quidem satis constat, eum hodie quoque apud Cyprios coli pro sancto, sub eiusque nomine adhuc manere oppidum quod eius olim fuit episcopatus: diem annui cultus adhuc ignoramus et optamus discere: de

Gelasio alibi nihil legimus; neque ut vere Salaminiorum episcopus fuerit, ei credimus successisse Epiphanium, sed potius Auxibio, qui inter Cyprios episcopos duodecim (habuit autem insula universim episcopales sedes quindecim) nominatur a S. Athanasio primus eorum qui synodicam Sardicensis concilii anno 347 subsignando postea approbarunt; aut illius, si alius quis intercessit, successori. Eo tempore coeperat insula cum S. Hilarione monachos etiam nosse: credibile tamen est ab Epiphanii institutione et cura pleraque eorum monasteriorum erecta directaque fuisse, quorum supra meminimus; adeo ut merito scripserit Sozomenus de Epiphanio lib. VI cap. 32, quod "in monastica disciplina celeberrimus exstitit et Aegyptiis et Palaestiniis, et denique Cypriis, apud quos electus est ut in metropoli totius insulae episcopatum administraret.

16. Dum hunc gereret, "multa illi miracula tribuuntur, ex quibus illud ad notitiam nostram pervenit," inquit idem Sozomenus lib. VII cap. 27. "Cum liberalis esset erga pauperes, qui vel naufragio vel alio quopiam casu ad inopiam redacti essent, quoniam facultates suas iam pridem omnes absumpserat, ecclesiae bonis ubi opus erat prolixe usus est: erat autem opulentissima eius ecclesia. Multi enim ex variis partibus orbis, qui opes suas in pios usus impendere studebant, et superstites eius ecclesiae eas impendebant, et morientes eidem relinquebant. Confidebant enim illum, utpote qui probus dispensator Deique amantissimus esset, res ab ipsis donatas ex ipsorum sententia ac voluntate erogaturum. Quodam igitur tempore cum paucae admodum pecuniae superessent, aiunt ecclesiae oeconomum succensuisse, eumque tanquam prodigum reprehendisse: illum vero, ne tum quidem, de solita erga pauperes munificentia remisisse. Omnibus autem consumptis, repente nescio quis ad cubiculum, in quo degebat oeconomus, accedens, saccum in quo multi erant aurei nummi in manus ei tradidit. Cumque nec is qui dederat nec is qui miserat nosceretur, videreturque merito insolens quemquam in tanta pecuniae largitione latere velle, tum vero universi id Dei opus esse iudicarunt".

17. Ita Sozomenus, tanquam hoc alterumque mox subiiciendum solum distincte cognitum habens; proinde nihil sciens de commentitiis illis ac mendacissimis Actis, in quibus tum alia multa valde singularia continentur, tum illa ipsa duo longe ali-

ter narrantur; quod idem accidisse videtur alteri S. Epiphanii facto, cuius in *Vita S. Ioannis Eleemosynarii*, a nobis data 23 Ianuarii, ita meminit coaevus Ioanni Leontius, Neapoleos Cypri episcopus saeculo VII, n. 35, narrans, quod S. Ioannes "dicebat semper, quod posset aliquis, intentione dandi pauperibus, exspoliare divites, et ipsum etiam hypocamisium ab eis benevole auferre, et maxime si sunt aliqui immisericordes et avari. Duo enim ex hoc lucratur, unum quidem quia animas illorum salvat, alterum autem, quia et ipse non modicam inde mercedem habet. Attulit autem ad credulitatem verbi et testimonium verax, quod circa S. Epiphanium et Ioannem episcopum Hierosolymorum factum est: quomodo S. Epiphanius per artem tulit argentum patriarchae, videlicet Ioannis eiusdem, et dedit egentibus". Alia certe arte utebatur S. Ioannes Eleemosynarius, dum identidem donatas ultro ad suos usus vel etiam petitas vestes novas, vendendo ac pretium distribuendo in pauperes, "suaviter quasi vindemiabat opulentos homines" erga se beneficos: quam qua usus fingitur Epiphanius, qui argenteorum vasorum, velut ad hospitum quorumdam tractationem mutuo acceptorum, "pondus librarum mille quingentarum," inscio domino vendiderit erogaveritque, ac postea in episcopi de iniuria sibi facta querentis faciem exspuens, eum excaecaverit.

18. Tam enim circumstantiae eae falsae esse videntur, quam quod idem Ioannes, recepto deinde ad preces Epiphanii visu unius solius oculi, "castigatus et convictus a viro iusto fuit deinceps sanctus in omnibus". Hoc sane de eo non sensit Epiphanius, quando ad eumdem, de Origenianis erroribus apud se suspectum, et immerito indignantem quia S. Hieronymi fratrem, Paulinianum monachum ipse presbyterum ordinarat, epistolam scripsit, quam ab ipsomet S. Hieronymo habemus Latinitate donatam, hoc principio: "Oportebat nos, dilectissime, clericatus honore non abuti ob superbiam, sed custodia mandatorum Dei et observatione dignissima hoc esse quod dicimur... Audivi enim quod tumeas contra nos, et irascaris, et miniteris scribere in extremos fines terrae... Nihil tibi nocuimus, nihil iniuriae fecimus, nihil violenter extorsimus. In monasterio fratrum, et fratrum peregrinorum, qui provinciae tuae nihil deberent, et propter nostram parvitatem et litteras, quas

ad eos crebro direximus, ne viderentur quadam duritia et conscientia nostra antiquae fidei ab Ecclesia separari, ordinavimus diaconum, et postquam ministravit rursus presbyterum: super quo debueras gratulari, intelligens quod ob Dei timorem hoc sumus facere compulsi.....

19. "Cum enim vidissem quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, et sancti presbyteri Hieronymus ac Vincentius, propter verecundiam et humilitatem, nolens debita nomini suo exercere sacrificia, et laborare in hac parte ministerii quae Christianorum praecipua salus est; invenire autem et comprehendere, qui te (eo quod grave onus sacerdotii nollet suscipere) saepe fugiebat, nec alius quis episcoporum facile eum reperiret (unde et satis miratus sum quomodo dispensatione Dei ad nos venerit cum diaconis monasterii et caeteris fratribus, ut mihi satisfaceret, quia nescio quid adversus eos habebam tristitiae) cum, inquam, celebraretur collecta in ecclesia villae quae est iuxta monasterium nostrum; ignorantem eum et nullam penitus habentem suspicionem per multos diaconos apprehendi iussimus, et teneri os eius, ne forte liberari se cupiens adiuraret nos per nomen Christi: et primum diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei: valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum et persuadere potuimus testimoniis Scripturarum et mandatorum Dei. Et cum ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum, ingenti difficultate tento ore eius, ordinavimus presbyterum, et iisdem verbis, quibus antea suaseramus, impulimus ut sederet in ordine presbyteri. Post haec scripsimus ad sanctos presbyteros monasterii et caeteros fratres, et increpavimus eos, quare non scripsissent super eo (cum ante annum multos eorum queri audissem, cur non haberent qui sibi Domini sacramenta conficerent, et illum omnes suo poscerent testimonio, et grandem utilitatem in communi monasterii testarentur) quare, inquam, tunc reperta opportunitate non scripsissent nobis, neque super ordinatione eius aliquid poposcissent. Haec ita acta sunt, ut locutus sum, in caritate Christi, quam te erga parvitatem meam habere credebam: quanquam in monasterio ordinaverim, et non in parochia quae tibi subiecta sit..... Quid ergo tibi visum est sic graviter intumescere et iactari contra

nos pro opere Dei, quod in aedificationem, et non in destructionem fratrum factum est?"

20. Hactenus Epiphanius, ipsis his verbis satis indicans, iam tum receptum in Ecclesia fuisse, ut monasteria saltem aliqua (quale erat monasterium S. Epiphanii "iuxta Besanducem vicum, in territorio Eleutheropolitano," quod ab inopia aquarum "Spanydrion" appellatum scribit pseudo-Ioannes, ubi facta ordinatio, et alterum "peregrinorum" monachorum in Bethleem, unde Paulinianus ad Epiphanium venerat) exempta censerentur ab ordinarii iurisdictione: ita ut quicunque episcopus in iis posset, si rogaretur, ipsis monachis sacros conferre ordines. Pergit porro Epiphanius excusare se Ioanni his verbis: "Sed et illud vehementer admiratus sum quod meis locutus es clericis; asserens te per sanctum presbyterum et abbatem monachorum Gregorium mandasse mihi, ne quemquam ordinarem; et ego pollicitus sim dicens: Nunquid iuvenis sum aut canones ignoro? Audi igitur veritatem in sermone Dei, me nec hoc audisse, nec nosse, nec istius sermonis penitus recordari. Suspicatus sum ne forsitan inter multa, quasi homo, oblitus essem; et ob hanc causam sanctum Gregorium sciscitatus sum, et Zenonem presbyterum qui cum eo est. E quibus abbas Gregorius respondit, se hoc penitus ignorare. Zenon autem dixit, quia cum ei presbyter Ruffinus nescio quae alia transitorie loqueretur, etiam hoc dixerit: Putasne aliquos ordinaturus est sanctus episcopus? et huiusce stetisse sermonem: ego autem Epiphanius nec audivi quidquam, nec respondi. Unde, dilectissime, non te praeveniat furor, nec occupet indignatio, nec frustra movearis: et aliud dolens non te vertas ad alia, ut peccandi occasionem invenisse videaris, quod Propheta devitans Dominum precatur, dicens: *Non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis (Psal. CXL, 4)*". Nempe dolebat Ioannem, quod pro Origenianae haeresis defensione fuisset ab Epiphanio correptus; et ea de causa dissidentes ab eo qui Hieronymo adhaerebant monachos, ipse suis epistolis monitisque roboraret ad constantiam in repudiando Origene; eaque de causa vexatos a Ioanne consolaretur atque iuvaret.

21. Et hoc est, quo stylum vertit Epiphanius, ita prosequens coeptam epistolam: "Illud quoque audiens admiratus sum,

quod quidam, qui solent ultro citroque portare rumusculos, et his quae audierunt semper addere, ut tristitias et rixas inter fratres concitent, te quoque turbaverunt et dixerunt, quod in oratione, quando offerimus sacrificia Deo, soleamus pro te dicere, Domine, praesta Ioanni ut recte credat. Noli nos in tantum putare rusticos, ut hoc tam aperte dicere potuerimus. Quanquam enim hoc in corde meo semper orem, tamen, ut simpliciter fatear, nunquam in alienas aures protuli, ne te viderer parvi pendere, dilectissime. Quando autem complevimus orationem. secundum ritum mysteriorum, et pro omnibus et pro te quoque dicimus, Custodi illum qui praedicat veritatem; vel certe, Tu praesta, Domine, et custodi, ut ille verbum praedicet veritatis: sicut occasio sermonis se tulerit, et habuerit oratio consequentiam. Quapropter obsecro te, dilectissime, et advolutus pedibus tuis precor, praesta mihi et tibi, ut salveris, sicuti scriptum est, a generatione perversa (*Matth.* XVII, 16), et recede ab haeresi Origenis et a cunctis haeresibus, dilectissime. Video enim quod propter hanc causam omnis vestra indignatio concitata sit, quod dixerimus vobis, Arii patrem, Origenem scilicet, et aliarum haereseon radicem et parentem laudare non debetis. Et cum vos orarem ne ita erraretis, et monerem; contradixistis, et me ad tristitiam atque ad lacrymas adduxistis, non solum autem me, sed et alios plurimos catholicos qui intererant. Inde, ut intelligo, haec est omnis indignatio et iste furor: et idcirco comminamini quod mittatis adversum me epistolas, ut huc illucque sermo vester discurrat; et propter defensionem haereseos adversum me odia suscitantes, rumpitis caritatem quam in vobis habuimus, in tantum ut feceritis nos etiam poenitentiam agere, quare vobiscum communicaverimus, ita Origenis errores et dogmata defendentes. Simpliciter loquor: nos secundum quod scriptum est (*Matth.* V, 29 sqq.), nec oculo nostro parcimus, ut non effodiamus eum, si nos scandalizaverit; nec manui, neque pedi, si nobis scandalum fecerit. Et vos ergo, sive oculi, sive manus, sive pedes fueritis, similia sustinebitis".

22. Pergit deinde ex libris *Περὶ ἀρχῶν* explicare, quam minime ferendae catholicis auribus sint propositiones quaedam Origenis, istic contentae; quamvis inquit, "nihil mihi subripuit Origenes, nec in mea generatione fuit, nec propter aliquas res

mundi aut haereditatem odium adversus eum pugnasque susceepi; sed (ut simpliciter fatear) doleo, et valde doleo, videns plurimos fratrum, et eorum praecipue qui professionem habent non minimam, et in gradum quoque Sacerdotii maximum pervenerunt, eius persuasionibus deceptos, et perversissima doctrina cibos factos esse diaboli". Conatur igitur a sequendo et defendendo Origene, monendo, hortando, increpando Ioannem quantum in se erat abducere: tum ad sui excusationem iterum relabitur, exponitque factum, quod et insignem eius zelum ostendit, in cavendo eo omni quod rectae religionis puritati quantulumcunque videbatur adversari. Sed idem ab iconomachis hodiernis pessime intellectum arripitur contra expositionem imaginum. In hoc autem apparet eos magis esse insanos veteribus iconomachis, adversus quos Nicaenum II concilium egit. Nam hi, ad suam haeresim Epiphanii nomine obarmandam, non sunt abusi eo quod sequitur facto, sed affinxerunt sancto quamdam ad Theodosium imperatorem epistolam, in cuius fine sic ei scripsisset: "Quia multoties locutus sum cum comministris meis, ut auferrentur imagines, receptus non sum ab eis, neque audire vocem meam saltem paululum passi sunt". Hanc vero epistolam "falso suprascriptam dici quidem, sed non esse Epiphanii," aeque ac aliam in qua scripsisset, "Ne inducatis imagines in ecclesias, neque in coemeteria sanctorum, sed neque in domum communem;" cum multis ostendisset synodus act. 6, se quidem "sanctum Patrem doctorem Ecclesiae catholicae nosse, conscriptionem vero" abiicere iterum profitetur: quia "haec mendacis assertionis conscripta, quae contra venerabiles imagines sunt, dicuntur quidem a quibusdam S. Epiphanii esse, sed nullo modo sunt".

23. Ipsum porro factum, cuius occasione haec dicta, audiamus propriis eius verbis. "Praeterea, inquit, audivi quosdam murmurare contra me, quia quando simul pergebamus ad sanctum locum qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem, et venissem ad villam quae dicitur Anablatha, vidissemque ibi praeteriens lucernam ardentem, et interrogassem quis locus esset, didicissemque esse ecclesiam, et intrassem ut orarem; inveni ibi velum pendens in foribus eiusdem ecclesiae, tinctum atque depictum, et habens imaginem,

quasi Christi vel sancti cuiusdam: nec enim satis memini cuius imago fuerit. Cum ergo hoc vidissem, in ecclesia Christi, contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud et magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent et efferrent. Illique contra murmurantes dixerunt, Si scindere voluerat, iustum erat ut aliud daret velum atque mutaret. Quod cum audissem, me daturum esse pollicitus sum: paululum autem morarum fuit in medio, dum quaero optimum velum pro eo mittere, arbitrabar enim de Cypro mihi esse mittendum. Nunc autem misi quod potui reperire; et precor ut iubeas presbyteros eiusdem loci suscipere velum a latore quod a nobis missum est; et deinceps praecipere in Ecclesia Christi eiusmodi vela, quae contra religionem nostram sunt, non appendi". Hactenus epistola, cuius si recte expendantur verba, velum istud discissum fuisse apparebit, non quia vere "habebat imaginem Christi vel sancti cuiusdam;" sed quia, cum haberet effigiem hominis cuiuspiam profani, aut forte adhuc viventis, appensum istic erat "quasi Christi aut sancti cuiusdam": quae exceptio orthodoxae fidei regulam ex contrario firmat.

CAPUT IV.

Prophetiae donum; Ancoratus et liber De haeresibus scriptus.

24. Plurima S. Epiphanii, ante et post susceptum episcopatum, miracula continentur in Actis, sub nomine Ioannis et Polybii productis; sed talia, ut eorum plerisque fidem deroget Sozomenus, negans viventi contigisse ut daemones fugaret et morbos curaret. His ergo praetermissis, quod solum in dicto auctore nobis superest, referamus, narratione haud parum diversa, ab ea qua idem miraculum in Actis praedictis recensetur. Verba Sozomeni lib. VII cap. 27 haec sunt: "Aliud praeterea quod de illo refertur commemorare libet. Id quidem ab admirando Gregorio, qui Neocaesariensem etiam rexit Ecclesiam, gestum esse accepi et libenter credo; sed non idcirco incredibile videri debet idem quoque factum ab Epiphanio; neque enim solus Petrus apostolus mortuum ab inferis resuscitavit; verum

etiam Ioannes in urbe Epheso, et Philippi filiae Hierapoli; multosque, tam ex antiquis quam ex nostrae memoriae piis hominibus, eadem saepenumero gessisse comperimus. Id autem, quod dicere proposui, hùiusmodi est.

25. "Duo quidam mendici, cum Epiphanium venientem observassent, ut plus pecuniae ab eo emungerent, alter quidem eorum, super solum extensus, mortuo similis iacuit; alter vero prope stans plorabat, simul sodalis sui mortem lamentans, simul egestatem suam querens, quod illum sepelire non posset. Epiphanius vero, iacenti requiem apprecatus, ea quae ad sepulturam necessaria erant mendicanti donavit, flentique dixit: Cura sepulturam et plorare desine, fili; neque enim in praesenti resurget: quod vero accidit inevitabile ac prorsus necessarium, id forti animo ferendum est. Et Epiphanius quidem his dictis abscessit. Cum autem nemo iam in conspectu esset, mendicus stans iacentem pede pulsare coepit, laùdans quod mortuum egregie simulasset: et, Surge, inquit; ex labore tuo hunc laetum transigemus diem. Sed cum ille perpetuo iaceret, et nihilo plus nec clamantem audiret, nec totis viribus monentem sentiret; concito cursu episcopum assecutus, fraudem amborum confessus, ploransque et crines vellicans orabat ut socius ad vitam revocaretur. Verum Epiphanius hominem dimisit, hortatus ut id quod acciderat aequo animo ferret: non enim dissolvere voluit Deus id quod factum fuerat, persuadere omnino volens hominibus, eos qui se tales praebent erga famulos ipsius, ipsi qui omnia audit ac videt fraudem struere".

26. Prophetiae porro donum in Epiphanio, quo occulta et arcana pervidere divinitus ei saepe dabatur, indicat illa significatio verae mortis eius, qui eam simulare duntaxat credebatur a socio, cum ei dixit: "Neque enim in praesenti resurget". Idem donum primo ex communi fama, deinde propria experientia agnoverunt duo illi, de quibus narravit senex quidam in *Vitis Patrum*, libello XV, num. 88, interprete Pelagio, his verbis: "Duo quidam erant saeculares religiosi; et colloquentes secum, egressi sunt, et facti sunt monachi. Aemulationem autem habentes vocis evangelicae, sed non secundum scientiam, castraverunt se quasi propter regna coelorum. Audiens autem archiepiscopus excommunicavit eos. Illi autem, putantes quia

bene fecissent, indignati sunt contra eum, dicentes: Nos propter regna coelorum castravimus nos, et hic excommunicavit nos? Eamus et interpellemus adversus eum Hierosolymitanorum archiepiscopum. Abeuntes ergo indicaverunt ei omnia. Et dixit eis archiepiscopus Hierosolymitanus: Et ego vos excommunico. Ex quo iterum contristati abierunt in Antiochiam ad archiepiscopum, et dixerunt ei omnia quae facta fuerant circa se; et ille similiter excommunicavit eos. Et dixerunt ad seipsos: Eamus Romam ad patriarcham, et ipse nos vindicabit de omnibus istis. Abierant ergo ad summum archiepiscopum Romanae civitatis, et suggesserunt ei quae fecerant eis memorati archiepiscopi, dicentes: Venimus ad te, quia tu es caput omnium. Dicit autem et eis ipse: Ego vos excommunico et segregati estis".

27. "Tunc defecerunt excommunicati totius rationis et dixerunt ad semetipsos: Isti episcopi sibi invicem deferunt et consentiunt, propter quod in synodis congregantur; sed eamus ad illum virum Dei S. Epiphanium, archiepiscopum de Cypro, quia propheta est, et personam hominis non accipit. Cum autem appropinquarent civitati eius, revelatum est ei de ipsis: et mittens in occursum eorum dixit: Ne intretis in civitatem istam. Tunc illi in se reversi, dixerunt: Pro veritate nos culpabiles sumus, ut quid ergo nos ipsos iustificamus? Fac etiam quia illi iniuste nos excommunicaverunt, numquid et iste propheta? ecce enim Deus revelavit illi de nobis. Et reprehenderunt semetipsos valde de culpa quam fecerunt. Tunc videns qui corda novit, quia pro veritate se culpabiles fecerant, revelavit episcopo Epiphanio; et ultro misit et adduxit eos, et consolatus eos suscepit in communionem. Scripsit itaque de his archiepiscopo Alexandriae dicens: Suscipe filios tuos, quoniam in veritate poenitentiam egerunt, et addidit senex, qui hoc exemplum narraverat, dicens: Haec est sanitas hominis, et hoc est quod vult Deus, ut homo culpam suam proliciat ante Deum".

28. His aliisque spiritualibus gratiis aevo suo celebris Epiphanius, toti deinceps posteritati innotuit scriptis libris quorum primus fuit quem appellant *Ancoratum*, propterea quod animum, de vita ac salute solicitum, instar ancorae firmat. Eius scribendi data ipsi occasio est per "epistolam scriptam e

Pamphylia, ex oppido Suedris a Tarsino, Matidio et aliis presbyteris anno 90 Diocletiani, Valentis vero 10 et Gratiani 6," qui fuit Christi 373. Ipsam epistolam ante opus videre est, una cum epistola Palladii cuiusdam, ut ex rescripto apparet monachi, *τῆς αὐτῆς πόλεως Σουέδρων πολιτευομένου*, quod mallem "in eadem Suedrorum urbe habitantem," quam inibi "magistratu aliquo perfunctum aut fungentem" vertere. Moverant autem eos, qui antea suorum multos ab errore abductos gaudebant, "acceptis a beato ac felicis memoriae episcopo Athanasio et ab religiosissimo Epiphanii collega Procliano litteris," ut ad ipsum Epiphanium nunc recurrerent, mortuo ante biennium Athanasio, et Procliano aliter impedito: moverant, inquam, eos "conscelerati dogmatis reliquiae, apud nonnullos adhuc superstites," compulerantque rogare ut et ipse "ad eorum Ecclesiam litteras dare non gravaretur," ac rectam fidem uberius explicare. Dogma autem illud, ut ex epistola Palladii intelligitur, Eunomianorum fuit, "inanes et absurdas quaestiones de Spiritu sancto moventium, negantiumque eum cum divinitate dominatuque gloria simul affici ac praedicari oportere; sed in ministri nuntiive haberi loco, imo etiam humilius aliquod abiectiusque de ipso sentientium. Quibus de causis," inquit Palladius, "sic tanquam constanti iactatione ac difficili tempestate fluctuantes; cum neminem hic ad eas dissolvendas quaestiones ac sanam fidem exponendam idoneum reperire possimus; ad pietatem tuam de hoc negotio referre coacti sumus, ut merito et illam vocem usurpare possimus: Praeceptor, serva nos. Quamobrem id pro sincera tua ac recta fide a te petimus, quam secunda iam dudum fama et idoneorum virorum testimonia passim celebrant; ut ad quod munus obeundum a Salvatore constitutus es, hanc nostram hortationem humaniter admittere, et quid de Trinitate sit credendum, uberius velis apertiusque disserere". Haec et alia illi.

29. Epiphanius vero respondens tum illis, tum Numerio presbytero et Severino monacho, quorum nomina vel exciderunt e titulis epistolarum, vel aliunde nota amoris honorisque ergo adiunguntur ultro, primo excusans "ingenium" suum, "quod abiectum et humile, in quiete otioque versari perpetuo studebat, neque sese ultra quam par est extendere" eorum ta-

men stimulis impulsum se fatetur, "ut ad id quod utile ac fructuosum est excitatum animum transferret ..... Auditis" enim, inquit, "precibus, quas non paucas pertulerunt Conops frater atque compresbyter, aliique ipsum secuti, vosque carissimi filii, nec non Hypatius filius noster, qui ad me propterea ex Aegypto venit; cum tot in idem suffragia consensisse cernerem; mente animoque commotus reputare mecum ipse coepi, ac tandem istud mihi prompte et alacriter faciendum esse decrevi, ut pro eo ac per litteras postulastis, ad hanc vobis pro vestro desiderio scribendam epistolam, tenuis licet et imbecillus, sine ulla tergiversatione me conferrem". Ut autem dicitur in praevia Synopsi, "complures opus hoc," quod iustius librum quam epistolam dixeris, "fidei partes continet, ut puta de Patris, Filii ac Spiritus sancti una eademque substantia, de perfecta Christi Incarnatione, de mortuorum resurrectione, de aeterna vita ac iudicio animae pariter et corporis; tum adversus idola haeresesque sigillatim, ac contra Iudaeos caeterosque disputat; octoginta porro haereseon nomina complectitur; denique varias de Scripturis sacris quaestiones exponit".

30. Verum hoc quod de haeresibus dicitur in Synopsi Ancorati, nunc in ipso *Ancorato* non reperitur: fuisse tamen in eo verisimile facit, quod "Acacius et Paulus, presbyteri et archimandritae monasteriorum in partibus Carchedonis et Beroeae in Coelesyria," grandius de eodem argumento opus ab eo postulantes, "anno Diocletiani 92, Valentiniani et Valentis 12, Gratiani 8," qui est annus Chhristi 375, dicant, "Nomina quidem ipsa quae a te sunt haeresibus imposita iam audivimus; nunc uniuscuiusque sectae dogma perspicue declarari a tua pietate cupimus". Hoc autem posito quod nomina illa primitus fuerint in *Ancorato*, consequens foret ipsummet Epiphanium, hunc librum post annos sex vel octo recognoscentem, inde sustulisse, quod iam alibi plenius ordinatiusque tractarat. Manet nihilominus mihi scrupulus, ne synopseos auctor postremas duas lineas, de haereseon nominibus et quaestionibus variis, non retulerit ad argumentum *Ancorati*, sed ad eius auctorem Epiphanium, quem indicare voluerit etiam ista tractasse.

31. Ut ut sit, sive in *Ancorato*, sive extra eum (quamvis verosimilius mihi sit quod extra eum) priusquam ad preces Aca-

cii et Pauli *Panarium* conderet, de quo infra, composuit aliquid, de quo ipsi audierint, quodque iam excidit, et fuit praeludium ac veluti rudimentum operis postea ab eodem compilati. Et hoc habuisse solumque novisse videtur Augustinus, cum eius materiam et formam descripsit in libro *De haeresibus* ad Quod vult Deum, quem circa extremum vitae suae annum, Christi 430, composuit, ita praefatus: "Noster vero Epiphanius, Cyprius episcopus, abhinc non longe humanis rebus exemptus, de octoginta haeresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Breves sane sunt hi libelli, et si in unum libellum rediguntur, nec ipse erit nostris vel aliorum, quorundam libris longitudine comparandus. Huius brevitatem si fuero in haeresibus commemorandis imitatus, quid a me brevius postulare vel exspectare debeas non habebis". Et rursum ipso in contextu haeresi LVII: "Proinde Epiphanius de octoginta haeresibus, viginti, quas ante Domini adventum exstitisse, sicut ei visum est, computavit: reliquas post Domini ascensum natas sexaginta, brevissimis libris quinque comprehendit, atque omnes in sex libris totius eiusdem sui operis fecit conclusi". Miratur Petavius, et merito miratur, talia de Epiphanio scribere Augustinum, "qui nec illud ipsum, quod omissum ab eo, a se vero factum iri dixerat, ut adversus singulas haereses dissereret, aut in illo de haeresibus libello, aut in alio praestitit". Magis etiam mirum, quod in *Bibliotheca* sua Photius, post laudatum a se *Panarium* dicat, num. 124, "legimus et *Ancoratum* eiusdem, quae est summa quaedam *Panariorum*": quandoquidem tanto prius *Ancoratum* quam *Panarium* fuisse compositum indubitabile sit. Legerit fortasse Photius *Anakephalaeosin*, serius quidem compositam, sed in eodem fortassis volumine scriptam cum *Ancorato*, citra novi tituli distinctionem, atque ita unum esse opus crediderit: Augustinus autem eam legisse non potuit, cum divisionem longe aliam invenerit, quam in ipsa sit, utpote eadem quae in *Panario*.

32. Sed ipsummet Epiphanium de suo opere, quod solum Graeco-Latine editum grande implet volumen, audiamus loquentem in epistola ad Acacium et Paulum: "Quoniam haereseon nomina omnia declaranda vobis hoc in libro suscepimus, nec

non exsecranda ac nefaria illarum flagitia, sic tanquam praesentissima quaedam venena, patefacere voluimus; atque his velut antidota quaedam opponentes, quae vel iis qui morsu petiti sunt remedio esse possint, vel eos, quibus ne incidant periculum est, praemuniant et conservent, honestarum rerum studiosis conscribere; *Panarium* sive arculam medicam, ad eorum qui a serpentibus icti sunt remedium, iure opus illud ac librum appellabimus: qui in tres partes divisus, haereses octoginta complectitur, quae serpentum ac reptilium similes sunt: secundum quas veritatis firmamentum et salutaris doctrina fideique formula subiecta est, ac Christi sponsa, sancta videlicet Ecclesia, declarata: quae cum iam tum ab orbe condito esse coeperit, postea tamen per Christi Domini incarnationem, temporum successione, ante commemoratas omnes haereses, vulgata atque patefacta, eademque a nobis in Commentarios ex Christi praedicatione relata (ad *Ancoratum* forsitan haec respiciunt) ac rursum post explicatam omnem istarum haereseon improbitatem, ex apostolorum doctrina accurate ac perspicue brevi quodam est compendio subiecta; uti ea re eorum recreentur ac reficiantur animi, qui hunc haereseon percurrendarum laborem susceperint".

33. Praedicti autem tres libri sic dividuntur, ut secundus et tertius in tres singuli tomos dispartiantur; atque ita cum primo, qui indivisus est, exsistant tomi septem. Et alia quidem Epiphanii opera, ut Hieronymus in libro *De scriptoribus* ait, "ab eruditis propter res, a simplicioribus propter verba lectitantur". Photius autem de *Panario* nominatim, sive (ut ipse cum Anastasio Sinaita pluraliter appellat) "Panariis," ait quod auctor, "prae aliis qui ante ipsum adversus haereses lucubrationes ediderunt, uberior atque utilior est; nam nec ea praetermisit quaecunque ab aliis prodita utilitatis aliquid contineat, et ipse quae potuit a se excogitata aliis addidit, initium ducens a Barbarismo et ad Messalianos usque perveniens. Genus porro "dicendi," inquit Photius, "humile, et cuiusmodi esse potest qui Atticae doctrinae rudis exstiterit. Sed et in confutandis haeresibus plerumque parum nervosus est, quanquam interdum praestantissimis illas rationibus ac sententiis aggreditur; etsi nihilo dictio sit atque orationis structura aut stylus ipse com-

modior". Nempe perparum temporis studiique in excolenda Graeci sermonis eloquentia, cui bonam vitae partem cultiores alii Patres Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus impenderunt, Alexandriae posuit Epiphanius, ut supra vidimus; moxque ad spiritus, non sermonis exercitationes transgressus in eremum, multas potius linguas scire, quam unam perficere eligebat; laudatus ideo ab Hieronymo in *Apologia* 2 *contra Ruffinum*, "quod Graecam, Syram et Hebraeam, et Aegyptiacam linguam, ex parte etiam et Latinam noverit": unde de eo querebatur Ruffinus, quod "velut necessitatem evangelizandi per omnes linguas habere se putaret, de Origene male loquendi".

34. Per hanc autem sermonis cultioris incuriam seu imperitiam factum est, ut in eo Latine reddendo maiorem opinione sua laborem senserit Petavius: "Accedebat" enim, inquit in praefatione ad lectorem, "ad communem interpretandi molestiam praecipua quaedam in illo scriptore difficultas, quod incompta et salebrosa est illius oratio, et in qua frequentissime occurrunt illa quae Graeci *ἀναπόδοτα* et *ἀνακόλουθα* nominant: pedestre ac populare dicendi genus: quod sive plani sermonis simplicitate consequi volueris, subagreste quiddam exsistet ac putidum, cuiusmodi fere sunt Latina" prioris interpretis "Cornarii, cuius nos utique similes esse nolimus; sin ornatum atque cultum adhibeas, id sine magna sententiarum commutatione obtinere vix possis". Magnam igitur Petavio debemus gratiam, quod eius beneficio sic Latine loquentem audiamus Epiphanium, ut styli nitorem in eo non desideremus; multo tamen maiorem ipsi sancto, quod suae sibi in eo genere tenuitatis conscius, contempserit iudicia fastidiosorum philologorum, modo prodesset publico; eaque protulerit, quorum semper maxima et fuit et erit utilitas, cum "in unaquaque aetate," ut idem Petavius in epistola dedicatoria notat, "redivivae mendaciorum sectae, evulgatis veterum haereseon abstrusis reconditisque mysteriis, validissime propulsari evertique possint; et auctores perfidiae atque satellites, suos in illis, quos quidem erubescant, principes auctoresque recognoscant. Est quidem eius, qui in haeresim vel moliendam vel tuendam incubuerit, animus in omnem audaciam sine ullo pudore proiectus: sed nemo est tamen ex illis absurdarum opinionum patronis, quem non utcunque convicti olim

erroris atque damnati pudeat. Sint sane, ut sunt, ferrei omnes haeretici, sint pervicaces; iidemque se in ipso ardore agitationeque disputandi ad resistendum acrius fingant, tamen qui id didicerit, quique certis veterum testimoniis compererit, ante ab antiquis Patribus et conciliis publicoque Christianorum consensu agnita ac repudiata dogmata illa, quam illi ipsi (quos sequitur) interpolatores exsisterent; vix erit, opinor, ullus, cuius, nisi frangi edomarique contumacia potuerit, non languidiores habeat eruptiones et impetus, ac paulatim per seipsam refrigerata atque enervata concidat".

CAPUT V.

Extrema sancti acta Constantinopoli; mors in reditu obita.

35. Quid de Origenis libris *Περὶ ἀρχῶν* sentiret Epiphanius, satis declaravit per *Epistolam ad Ioannem Hierosolymitanum*, cuius supra feeimus mentionem. Dum autem hac ex causa disputationes in Palaestina ferverent, contigit etiam Alexandriae simultates nasci inter Theophilum Alexandriae et Dioscorum Hermopoleos episcopum, atque huius fratres Ammonium et Eusebium cognomento Longos, totidem monasteriorum praefectos, quos cum primum caros habuisset Theophilus, haud immerito deinde a se aversos atque ad solitudinem regressos, persequi modis omnibus statuit; et quo simpliciores monachos ab iisdem abstraheret, culpare in eis praesumpsit, quod Deum humana forma praeditum negarent, Origenis praesertim auctoritate suffulti. Cum autem eos Constantinopolim ad S. Ioannem Chrysostomum confugisse intellexisset, atque ab hoc susceptos; cogitare coepit, inquit Sozomenus lib. VIII cap. 13 et deinceps, "qua ratione Ioannem quoque ipsum ab episcopatu deiiceret. Verum haec in intimo pectoris sui recessu occultans ac moliens, scripsit interim ad omnes ubique locorum episcopos litteras, quibus libros Origenis reprehendebat. Cumque considerarat magno sibi emolumento fore, si Epiphanium, Salaminis in Cypro episcopum, participem et consortem consiliorum suorum haberet, virum ob virtutis reverentiam omnium sui temporis clarissimum; eum sibi amicum adiunxit..."

36. "Porro Epiphanius, qui Origenis libros iam pridem aversabatur, Theophili litteris facile assensum praebuit: collectoque Cypriorum episcoporum concilio, Origenis libros legi prohibuit. Datis deinde litteris, tum ad alios, tum ad episcopum Constantinopolitanum, ea quae a synodo decreta fuerant insinuantibus, hortatus est illos ut synodum convocarent eadamque decernerent. Animadvertens igitur Theophilus se Epiphanium absque periculo sequi posse, utpote quem multi laudarent, et cuius sententiam ob vitae sanctitatem suspicerent, ipse quoque, cum episcopis qui sub ipso erant, idem quod Epiphanius decrevit. Verum Ioannes studium illorum haud magni ponderis esse existimavit, et Epiphanii ac Theophili litteras neglexit: ex potentioribus vero hi, qui Ioanni privatim infensi erant, cum intellexissent Theophilum id agere, ut Ioannem episcopatu exueret, ipsi quoque operam suam ac studium contulerunt, utque Constantinopoli maxima synodus fieret procurarunt. Quibus cognitis Theophilus adhuc magis incubuit, et episcopos quidem Aegypti navigare iussit Constantinopolim. Epiphanio vero et aliis per Orientem episcopis scripsit, ut quam primum in unum convenirent: ipse pedestri itinere proficiscitur".

37. "Nec multo post Epiphanius, cum primus ex insula Cypro solvisset, ad locum haud procul ab urbe Constantinopolitana, quem Septimum vocant, applicuit; factaque oratione in eccles.a quae illic est, in urbem introivit. Eum ingredientem Ioannes occursu cleri totius honoravit: at Epiphanius perspicue declaravit, quod calumniis adversus Ioannem concinnatis fidem habuisset. Invitatus enim ut in aedibus ecclesiasticis manere vellet, neutiquam acquievit: et cum Ioanne quidem congredi penitus detrectavit: privatim vero convocatis episcopis qui tum Constantinopoli morabantur, ea quae adversus libros Origenis decreta fuerant iis ostendit: ac nonnullis quidem persuasit ut decretis subscriberent: plures vero id facere recusarunt..... Porro Ioannes adhuc nihilominus reverentiam exhibebat Epiphanio, eumque hortabatur ut collectas secum celebrare, et contubernalem ipsum habere vellet. Verum Epiphanius, se neque eius domo usurum, nec cum eo oraturum esse respondit, nisi Origenis libros prius damnasset, et Dioscorum una cum sociis expulisset. Sed cum ille ante causae cognitionem haec facere

haudquaquam iustum esse diceret et procrastinaretur, die quo collecta agenda erat in ecclesia Apostolorum, procurarunt Ioannis inimici ut Epiphanius in ecclesiam veniret, et publice coram populo tum Origenis libros, tum Dioscorum et eos qui cum illo erant, tanquam idem sentientes cum Origene, anathemate damnaret; eademque opera episcopum urbis perstringeret, ut qui illis addictus esset; existimabant enim se hac ratione plebem ab illo esse alienaturos".

38. "Postero igitur die, cum ad id agendum progressus Epiphanius iam ecclesiae appropinquaret, obviam ei occurrit Serapio, missus a Ioanne (praesenserat enim Ioannes ea quae pridie fuerant constituta), palamque denuntiavit Epiphanio, illum ea gerere quae nec iusta essent, nec ipsi privatim utilia: siquidem tumultu populi excitato, ipse tanquam huius rei auctor periculum subiturus esset. Hac ratione cohibitus est impetus Epiphanii. Interea accidit ut imperatoris filius, admodum puer, morbo corriperetur; mater vero solicita ne quid tristius puero contingeret, misso ad Epiphanium nuntio, ut pro eo Deum precaretur, postulavit. Ille puerum victurum esse respondit, si Augusta haereticos, qui cum Dioscoro erant, aversaretur. Verum Augusta: Si Deus, inquit, filium meum eripere mihi voluerit, ita fiat; Dominus enim qui dedit, idem et aufert. Quod si tu mortuos ad vitam revocare posses, non esset mortuus archidiaconus tuus. Etenim haud multo ante e vivis excesserat Crispio ..... quem Epiphanius cum contubernalem haberet, archidiaconum suum constituerat".

39. "Ammonius vero et qui cum illo erant Epiphanium adierunt; id enim ipsi quoque Augustae placuerat. Cumque Epiphanius interrogasset quinam essent, respondit Ammonius: Longi sumus, o Pater; libenter autem disceremus, utrum aliquando in discipulos aut in libros nostros incideris. Illo negante, iterum quaesivit Ammonius: Unde ergo haereticos illos esse iudicasti, qui nullum habes argumentum, quo sententiam illorum possis convincere? Et cum Epiphanius diceret, id se auditu accepisse; Nos vero, ait Ammonius, plane contrarium fecimus; nam et discipulos tuos saepe numero vidimus, et libros perlegimus; ex quibus unus est qui *Ancoratus* inscribitur. Cumque multi vituperare et tanquam haereticum calumniari

vellent, nos pro Patre, uti par erat, pugnavimus, et causae tuae defensionem suscepimus. Proinde nec tu ex solo auditu absentes damnare debuisti, quos nequaquam tu ipse certis argumentis inductus conviceras, nec eiusmodi gratiam referre laudatoribus tuis. Posthaec Epiphanius lenius eum allocutus, tum quidem ab se dimisit, brevi autem interiecto tempore Cyprum navigavit, seu quod Constantinopolitanae profectionis ipsum poeniteret, seu quod Deus oraculo ipsum admonuisset, mortemque ipsi suam (ut verisimile est) praenuntiasset. Caeterum cum navem conscensurus esset, episcopis, qui ipsum ad littus usque prosecuti fuerant, dixisse fertur: Urbem vobis et palatium et scenam relinquo; ego vero abscedo: festino enim, et quidem valde".

40. "Aliud praeterea quidpiam audivi, quod multorum sermonibus etiamnum circumfertur, Ioannem quidem Epiphanio praedixisse illum in navigatione esse moriturum, Epiphanium autem praenuntiasse Ioanni abdicationem episcopatus. Nam dum inter se dissiderent, Epiphanius quidem Ioanni scripsisse dicitur: Spero te nequaquam episcopum moriturum. Ioannes vero rescripsit Epiphanio: Nec ego spero te in urbem tuam redituram esse". Haec Sozomenus, *Historiam* suam annis circiter triginta post Epiphanii obitum scribens; cui similia iisdem fere verbis habet Socrates lib. VI cap. 14; paris plane cum Sozomeno aetatis scriptor, et ex quo suam fere *Historiam* mutuatus Sozomenus creditur. Sozomeno tamen libentius usus hic sum, non quia Salaminium eum fuisse credo, sicut opinatur Nicephorus aliique post eum; cum ipse lib. V cap. 15 haud obscure indicet se Palaestinium, ex vico quodam iuxta Gazam cui nomen Bethelia; sed quia iam inde ab adolescentia familiariter cum monachis ibi celebribus, Hilarionis discipulis suisque ut videtur consanguineis, versatus; Salamane scilicet, cum quo commune nomen habuit (dicebatur enim, uti Photius notat, "Salamanes Hermias Sozomenus," quod alios decepit, ut Salaminium crederent) eiusque fratribus Fusconе, Malchione et Crispione, quorum postremus S. Epiphanio adhaerens, in munere archidiaconi Constantinopoli ante ipsum obiit, ut supra vidimus. Accedit quod Socrati nonnulla etiam hic addiderit Sozomenus, et accuratius aliqua videatur edidisse. Notabile est tamen quod

relata Epiphanii et Ioannis mutua de se invicem praedictione, addat Socrates: "Utrum porro vera mihi dixerint qui ista narrarunt, equidem non possum affirmare; utrique tamen illorum huiusmodi exitus contigit. Nam neque Epiphanius navem appulit Cyprum, post discessum enim mortuus est in navigio: et Ioannes haud multo post ex episcopatu deiectus est".

41. Potuit sane huiusmodi exitus utriusque occasionem dedisse hominibus, mutuae inter illos dissensionis conscii, virosque sanctos suo pede metientibus, ut altercationem verborum utrique parum dignam affingerent, quemadmodum iudicavit Baronius, et post eum Socratis atque Sozomeni illustrator et interpres novissimus Henricus Valesius. Dubitat etiam Baronius, verene Epiphanius, uti scribit Socrates, "Cum ad Basilicam S. Ioannis appulisset, quae septem passuum millibus ab urbe distat, nave egressus, collectam ibi celebrarit et diaconum ordinarit, priusquam civitatem ingrederetur". Veretur namque ne querelam Ioannis Hierosolymitani de Epiphanio, ad Ioannem Constantinopolitanum perperam transtulerit Socrates, quamvis tunc cum res ageretur Constantinopoli vivens. Neque enim apparet hic tam iusta quam ibi excusandi Epiphanii ratio, cum Ecclesia S. Ioannis citra controversiam esset sub dispositione Constantinopolitani episcopi, ubi nec huius iniussu licuisset Epiphanio Missarum solennia, nedum ordinationes celebrare: de utroque tamen querentem Chrysostomum Socrates inducit; quin etiam de iis quae in Apostolorum templo facturus erat Epiphanius, nisi denuntiatione Ioannis per Serapionem sibi facta fuisset absterritus, de iis, inquam, quae solum constituta dicit Sozomenus, tanquam de reipsa factis minus verosimiliter loquitur Socrates, ac tum demum Ioannem ait, ne eadem postridie iterarentur, ingresso rursus in ecclesiam Epiphanio misisse Serapionem.

42. Ut ut sit, apparet, optimum alias sanctissimumque senem, deceptum fuisse a Theophilo, tam in causa eorum quos Ioannes tolerabat monachorum, quam ipsius Ioannis; et ex abundantia zeli passum esse humanum aliquid, cuius ipsum cito poenituerit, magisque potuisset poenitere, si quae post discessum suum sunt consecuta, vidisset. Interim hoc machinationum suarum successu elatus Theophilus, priusquam Constantinopolim

proficisceretur ad synodum, qua Ioannis depositio decreta est, ita de eo ad S. Hieronymum scripsit, "Origenistas in suam recipiens familiaritatem et ex his plurimos ad sacerdotium provehens, atque ob hoc scelus beatae memoriae hominem Dei Epiphanium, qui inter episcopos clarum in orbe sidus effulsit, haud parvo moerore contristans, meruit audire: *Cecidit Babylon* (*Isa.* XXI, 9)". Quem locum ideo hic adductum volui, ut intelligatur nequaquam ambigendum, quin statim post suum a Constantinopoli discessum, uti Sozomenus scribit, obierit Epiphanius, de quo ut iam mortuo Theophilus loquitur; cumque 12 Maii saltem sit dies depositionis in Cypro, neque diu antea obiisse potuerit, cuius navis, ut praeter eius voluntatem procederet lente, mensem tamen vel sesquimensem itineri vix potuit impendisse; consequens est eum obiisse mense saltem Aprili anni 403, Maium certe aegre attigisse. Unde mirari subit, qua ratione dixerit Baronius, "ignorari quoto Domini anno obierit". Sicut enim ex *Apologiis* Hieronymi ad Ruffinum, scriptis anno 402, recte probat eum non obiisse eodem anno mense Maio, ita ex iam dictis colligitur, isto quidem anno non obiisse, sed nec ultra primos dies Maii anni sequentis vitam prorogasse.

43. Excusat idem Baronius Epiphanium, et merito excusat, in iis quae de Ammonio et sociis credidit; eo quod "Theophilus non privatis tantum litteris, sed synodalibus ex concilio Alexandrino scriptis, haereseos eos convictos atque damnatos significaverat;" sed non ideo Sozomenum arguerim iniuriae adversus Epiphanium, aut nimii erga Origenem favoris, dum inducit illum fatentem, quod solo auditu de iis cognoverit. Nam neque temere credidit illis Theophili litteris Epiphanius, utpote "quae scirentur in orbem divulgatae atque receptae ab Anastasio Romano pontifice": neque tamen ad quaestionem Ammonii aliter debebat respondere, qui eius ac sociorum causam per se non cognoverat; et audiens quanto illi erga se egissent circumspectius, non poterat non aliquo humanitatis sensu commoveri. Quod vero dicat Ammonius, tutatum se famam Epiphanii adversus eos qui illum haereseos insimulabant, sciendum est in his, Sozomeno teste lib. VIII cap. 14, fuisse ipsummet Theophilum, nondum Ammonii et fratrum eius inimicum; qui "antea Epiphanium reprehendit quasi Deum humana specie prae-

dium opineretur; postea vero, quasi resipiscens veram tandem sententiam eius esse agnovisset, idem se cum illo sentire scripsit, et Origenis libros calumniari institit," in quo reprobando, si haberet adiutorem Epiphanium, facilem sibi spondebat de monachis illis victoriam, qui dum Deo incorporeo corporis humani formam non esse defendebant auctoritate Origenis, sub invidia huius nominis videbantur posse opprimi. Quod cum agere Theophilum videret Chrysostomus, monachos illos non nisi recta de Deo eatenus sentire comperiens, merebatur extra culpam haberi in eo quem ipsis praestabat favore. Caeterum uti Epiphanium de Anthropomorphoseos haeresi suspectum Theophilus immerito habuit, "haereticum et schismatis auctorem" in epistola quadam priori vocans, uti scribit Palladius in Dialogo de S. Ioanne Chrysostomo; sic merito potuit eum apud se excusatum probatumque significare, non ut Anthropomorphitam (quod revera etiam Theophilus non fuit), sed ut commode iam intellectum, prout intelligi posse etiam Ammonius comprobarat.

44. Multa sunt alia haud magni momenti, quae in Sozomeni de Epiphanio narratione sugillat Baronius, quibus non est operae pretium immorari: unum tamen non praetermiserim, quod attinet contentionem Epiphanii cum imperatrice, quasi longissime "aberret a vero, ut Eudoxia, perinfensa Chrysostomo, faverit monachis illis, et Epiphanium fuerit aversata," eos damnari sic postulantem. Nam et illi absque Ioanne potuerunt esse immediate in eius gratiam insinuasse, et post primas ob agrum viduae ablatum rixas, usque adeo resederat imperatricis indignatio, ut in gratiam cum Ioanne debeat rediisse censeri; quippe quae haud diu post inter Ioannem et Severianum concordiae mediatrix, "in ecclesia Apostolorum filium suum Theodosium, tunc admodum puerum, ad genua Ioannis abiiciens, et per illius caput crebro obtestans, ab illo obtinuit ut Severianum in amicitiam suam admitteret," uti scribit Socrates lib. VI cap. 11. Quae autem deinde secutae sunt graviores querelae, eae primum coeperunt postquam Constantinopoli discessisset Epiphanius. Sed nihil in hac Baronii censura admiror magis, quam quod Acta Epiphanii, quae sunt apud Lipomanum et Surium sub nomine Metaphrastis, mendaciis scatere dicens, uti revera scatere mox ostendam; ex iis prorsus veritati contrariam pro-

ferat narrationem de congressu et contentione Epiphanii atque Eudoxiae. Nec refert quod eadem eodem fere modo in S. Ioannis Chrysostomi encomio scripsit Leo imperator: hic enim, quinque post rem gestam saeculis, deceptus fuit spuriis illis Actis; eaque transcripsit quatenus ad suum argumentum facere videbantur.

CAPUT VI.

Examinantur Acta edita, quatenus a Ioanne conscripta fingantur.

45. *Vitam* Graecam S. Epiphanii, quae olim Latine edita habebatur in II tomo Operum eius, etiam multis in locis a se recognitam dare voluit Dionysius Petavius, "ne quid, quod Epiphanii nomine utcumque est inscriptum, desideraret lector". Quanquam enim ipse quoque iudicaret, quod ea "in plerisque fabulae est quam historiae propior, ut iamdudum in *Annalibus* Baronius admonuit," sperabat tamen "fore" ut "in lutulenta illa narratione" esset "fortassis quod tollere possis: nam "alioqui," inquit, "multa continet, quae cum vera receptaque ab omnibus historia consentanea sunt, sed eadem admista falsis: in quibus discernendis, si nihil aliud, tuum, lector humanissime, iudicium ac *κριτικὴ τῆς ἱστορίας δύναμις* exerceri possit". Quae et quatenus vera credi debeant, satis ex capitibus praecedentibus lector intelliget: quam multa sint manifeste falsa, nunc aggrediar explicare. Hoc autem facto, apparebit, caetera inter haec media eiusmodi esse, ut licet per seipsa fidem non excludant, eam tamen prudens nemo dare ipsis possit, quandiu non alium auctorem sciuntur habere a mendacissimo istius *Vitae* compilatore. Hunc tu cave ne Metaphrastem esse ex vulgi errore credas, cum stylus passim concisus a stylo Metaphrastis periodico et fluido diversissimus sit. Praefert illa *Vita* duorum discipulorum Ioannis et Polybii, ut dixi, nomina: qui et in prima persona ubique loquuntur, licet unus idemque sit a principio usque ad finem stylus, proinde non nisi unum auctorem referat; non tamen omnino reiiciendum, si vera duorum istorum scripta prae oculis habens, suo illa duntaxat exornasset sermone, sensu servato. Qua autem aetate ille scripserit, quis

divinando consequetur? Hoc certum, decimo saeculo priorem fuisse, quando et Leo imperator, cognomento Sapiens, sub quo etiam Metaphrastes floruit, *Vitam* illam secutus est in laudando Chrysostomo; et elogium ex ea sumptum invenitur in *Synaxario* Basilii imperatoris Porphyrogeniti, ut de *Menaeis* excusis nihil dicam.

46. In hac vita Epiphanius patre agricola, matre linifica, ambobus Iudaeis, natus dicitur cum sorore Callitrope; cumque decennis esset amisso patre, iussus ad alendam familiam unicum quod suppetebat vendere iumentum, tanta negotium sinceritate egisse, ut quamvis indomitum alias, in ipso foro placidum se praeberet praeter morem, vitium tamen indicarit licitanti Iacobo, quod religioni sibi duceret fallere eiusdem religionis hominem: quare tribus ab eo donatus nummis, domum reverterit cum ipso iumento: a quo deinde excussus in via graviterque laesus, per supervenientem quemdam Cleobium Christianum, sanatus virtute crucis fuerit. Postea cum agellum paternum Eleutheropolitano cuidam legis perito ac diviti Iudaeo, cui Tryphon nomen, offerret venalem, ab eo adoptatum, ut matrimonio filiae unicae iungendum, nisi haec cito mortua fuisset; atque ita mortuo etiam Tryphone, eius et doctrinae et opulentiae mansisse haeredem. Tum vero incidisse in monachum Lucianum: quem cum vidisset donata pauperi veste, candida alia coelitus indui, petierit et Christianus et monachus fieri; congrueque instructus cum sorore, et ad ingressum ecclesiae decidentibus ultro calceis nudipes, baptizatus fuerit ab episcopo; acceptisque mille aureis, Veronicae materterae suae eidemque sanctimoniali, sororem commendans, in Luciani monasterio factus sit monachus, annos natus sedecim, et S. Hilarioni eiusdem Luciani discipulo commendatus, ipsum post mortem communis magistri habuerit cum caetera fraternitate hegumenum seu abbatem.

47. Sed iam aliunde constare vidimus, monasticae vitae tirocinia in Aegypto posuisse Epiphanium, ea forte quae hic notatur aetate, quamvis mallem biennio maiorem credere. Ad Lucianum et Hilarionem quod attinet, patet mendacii evidentia ex ipsius Hilarionis *Vita*, qui annos quindecim natus ad Antonium abiisse in Aegyptum dicitur ab Hieronymo, indeque post biennium revertens primus monasticae vitae exemplum retulisse

in patriam, quod anno eius aetatis 22 multi coeperint imitari, eatenus autem "necdum fuerant monasteria in Palaestina, nec quisquam monachum ante S. Hilarionem in Syria noverat". Fingitur praeterea monasterium eius quod prope Gazam fuisse scitur, eo fuisse loco ut ad quinque milliaria petenda esset aqua: qua occasione cum contigisset vinum ab Epiphanio in aquam converti ad refectionem transeuntium, ille gloriae fugitans alio se subduxerit, ubi cum Saracenorum praetereuntium quidam eum ferire volens, miratus esset aperiri sibi oculum alterum, quem semper clausum habuerat; ea re motum unum e turba, suscepisse fidem; qui baptizatus ab Hilarione et Ioanne dictus, adhaeserit Epiphanio, atque haec omnia scripserit: ac primo, ab energumeno pulsum daemonem comminatum esse, quod in Persidem venire faceret Epiphanium. Occupata igitur regis filia indicasse, quod nisi veniret Epiphanius, exiturus a puella non esset. Quaesitum ergo et in *Spanydrio* suo repertum, post aridam manum uni missorum regiorum restitutam, venisse in regiam, quae dicebatur Urion, daemonem a filiola regis ipso spectante expulisse, blandienti sibi ineptius mago loquelam abstulisse et poenitenti reddidisse, regia munera epulasque recusasse solo pane contentum: et resuscitato, qui mortuus efferebatur, adolescente, ab rege honorifice dimissum fuisse. Nescio an Ur Chaldaeorum, Abrahami patriam, intellexerit hoc loco fabulator (nam Urion alias nullum novi): ad miracula quod attinet, audivimus Sozomenum expresse negantem, quod viventi contigerit fugare daemones morbosque curare.

48. Pergit interim pseudo-Ioannes narrare, quomodo ad *Spanydrion* reversus secum Epiphanius fontem ibi elicuerit, ferās prohibuerit ab oleribus, et in novas mansiones sibi a Saracenis, prioris tugurii conditoribus exstructas, receperit fratres quinquaginta, leonem multis noxium sua praesentia occiderit, synonymum sibi ab Edessa philosophum exceperit, cum eoque integrum annum disputarit coram "Calisto Aetii magnae Romae praefecti filio," quem a daemone liberatum habebat discipulum; et quomodo theogoniam Hesiodi pertinaciter defendentem, oppositā veriori Geneseos historia flectere nequiens, provocarit ad energumeni liberationem, quam qui effecisset eius fides vera conseretur: atque ita conversum Epiphanium philosophum,

monachumque factum et presbyterum ordinatum ab Eleutheropolitano episcopo: quem deinde in Aegyptum recedens Epiphanius sanctus monasterio suo praepositum reliquerit. Sed praeterquam quod ea disputandi mora et ratio ridicula omnino videatur, et de altero isto Epiphanio alibi legatur nihil; unum hic Aetii Romanae urbis praefecti velim nomen notatum, quod ex cerebro suo commentum auctorem patet ex accuratissimo eo *Catalogo*, quem Bucherius a Bollando nostro acceptum edidit ad Canonem Paschalem Victorii c. 13 p. 236, ubi "ex temporibus Gallieni," ab anno 254 usque 354 indicatur, "quis quantum temporis praefecturam Urbis administrarit," quandoque praefectis successive quatuor intra eumdem annum positis; nec sola nomina, sed et praenomina exprimuntur. Interim ex ipsius fabulatoris calculo, annorum quinquaginta sex episcopatum Epiphanio tribuentis, acta haec essent ut minimum ante decennium ordinationem praegressum, adeoque ante annum 338.

49. Post haec demum sanctum, quem nos admodum iuvenem fuisse in Aegypto diximus, celebritatis nimiae fugientem, illuc secum navigare ex Ioppe facit pseudo-Ioannes, post energumenam in egressu Hierusalem liberatam; et Alexandriam appulsum Iudaeum, Aquilam nomine disputando convertere, ac S. Athanasio episcopo sistere baptizandum; deinde cum S. Paphnutio, magni Antonii discipulo, in Thebaide congredi, eo consilio ut in Nitriae eremo habitare permitteretur; sed ab hoc prophetice iussum, collecto apud Patres aestivo feno, abire in Cyprum atque oves pascere. Tum prope Leontopolim fingitur sanctus accedere ad Hieracis celeberrimum monasterium, istumque publice docentem errores multos mutum imperio reddere, ac poenitentem sanare; denique curato in superiori Thebaide energumeno, venire ad loca quae dicuntur Bucolia ibique septennio habitasse, ubi Eudaemonem philosophum converterit sanato pueri eius oculo; seque ad episcopatum quaeri cognoscens, reverterit in Syriam, primum quadraginta dies conversatus in monasterio S. Hilarionis, postquam ille in Cyprum se receperat, id est post annum 363, iuxta Hieronymum; cum tamen in calculo ipsius fabulatoris, diu ante Hilarionis adventum in Cyprum, ibi episcopus fuisse Epiphanius debuerit. In Hierace autem insignem parachronismum etiam notavit Baronius ad ann.

372 num. 110, observans plane hic eumdem describi, de quo ipse Epiphanius fuse tractat haeresi LXVII, tanquam a Manete proximo, et ante Meletianum schisma atque Arii haeresim apud Aegyptios noto; quanquam in *Ancorato* dicat n. 83, se comperisse "nonnullos nuper excitatos," id est circa annum 370, "quibus plerique omnium monasticam in Aegypto, Thebaide, ceterisque regionibus exercentium facile primas deferunt, qui in eodem cum Hieracitis errore versantur, ac perinde ut illi non resurrectionem carnis, non huius quam habemus modo, sed alterius in huius locum substituendae praedicant". Quod ad Paphnutium attinet, inter celebres Nitriae monachos, quos S. Paula Romana adivit, numerat Palladius *Hist. Lausiacae* c. 117, Paphnutium Scetiotem, qui utcunque reduci posset ad huius fictae in Aegypto peregrinationis tempus: ceteri eius nominis celebres alii iuniores sunt; nam de episcopo confessore sub Maximino, qui concilio Nicaeno interfuit, non est hoc loco cogitandum.

50. Porro manente iuxta Spanhydrion Epiphanio, fames valida incubuisse Phoeniciae dicitur, eamque impetrata triduana pluvia curasse sanctus; quare pro eo ad episcopatum evehendo collecti episcopi, cum ad eumdem quaerendum iuvenem monachum Polybium submisissent; ipse adventus causa divinitus coguita, cum eodem Polybio secum retento, et cum Ioanne fugerit in Cyprum ad S. Hilarionem: a quo iussus Salaminam habitatum adire, et invitus ac tempestate compulsus illuc appellens navim, quam navigaturus Ascalonem ascenderat, comprehensus in foro fuerit a S. Pappo, de quo supra n. 15, cum forte uvas licitaretur, tractusque ad ecclesiam ordinatus fuerit per vim episcopus; quo in munere habuerit diaconum Charinum, a quo calumniam passus propter aureos centum ad dissolvendum captivi Eugnomonis debitum de bonis Ecclesiae expensos, quamvis eidem restitutos; eidem Charino, sibi ad ter repetitam prandii tempore cervi vocem illudenti, mortem ab hoc praenuntiatam significarit; uxorem autem eius a paralysi liberatam ordinarit diaconissam, non sine utili ad reliquum clerum in officio continendum exemplo; quin etiam solitus non perficere oblationem, donec visionem vidisset; cum ea praeter morem differretur, orasse et cognovisse, in causa morae esse

praesentiam diaconi, eadem nocte usi coniuge sua; quare solos caelibes deinceps ad ministerium altaris ordinarit.

CAPUT VII.

Cetera, ut a Polybio adiuncta obtruduntur, explosa.

51. Capite superiori relata omnia scripsisse, inscio invitoque sancto, fingitur iam saepe nominatus Ioannes, Epiphanii presbyter et itinerum omnium socius; qui moriturus advocato ad se Polybio lampada tradiderit. Hic ergo inducitur narrans, quomodo sanctus episcopus, divinitus monitus pro eatenus parva magnam ecclesiam a fundamentis exstruere, variis miraculis obtinuerit sumptus ad opus necessarios. Nam primo cum Diaconis cuiusdam divitis, sed gentilis, sibi illudentis filium aegrotum sanasset; morbo in patrem translato, rursumque ad suam benedictionem ablato impetrasse ab eodem, converso cum familia et baptizato, quinque millia nummorum: deinde cum Eustorgium Synesii similiter gentilis filium, rogante matre, suscitasset a mortuis, ab eo oblata tria millia nummum remisisse ad fabricam. Postea cum Polybio iam presbytero narratur Epiphanius ivisse Hierosolymam ad Ioannis episcopi, sui sub Hilarionis disciplina condiscipuli, castigandam avaritiam, ut dictum n. 17, indeque regrediens offendisse mendicos duos, quorum alter se mortuum simulabat, quod in Cypro factum videtur indicare Sozomenus (*lib.* VII *cap.* 27). Huc porro reversus Isaacum Iudaeum legis peritum sibi adiunxerit, et coram Romanis nuntiis, ab Arcadio et Honorio imperatoribus ad ipsum Romam adducendum missis, calumniatorem suum Faustinianum, innoxio alias fabri alicuius lapsu oppressum, suscitans, mille nummos ab eius uxore oblatos dicitur fabricae applicasse, atque ita Romam navigasse, cum Isaaco atque Polybio, relicto ad ecclesiae Constantiensis vicariam curam Philone, uno ex legatis, quem pro civitate Carpasii episcopum nominarat. Carpasii civitas quam aorim nulla est: Carpathus insula, Cycladum extima inter Cretam et Rhodum, longo maris tractu distat a Cypro, ad cuius metropolitam nequaquam spectabat ei providere.

52. Sed haec leviora sunt: quae sequuntur quam possunt

speciem habere vel tolerabilis mendacii? Arcadius natus erat anno 374, decennio post Honorius, utrumque de baptismo suscepit vir in Palatio sublimis nomine Arsenius, et utriusque iuventuti informandae praefuit; simul illi Romae fuerunt nunquam, sed nec Epiphanius, quod quidem sciatur, nisi semel tantum anno 382. Illorum soror unica Galla Placidia (sed ex secundo Theodosii imperatoris coniugio, sub annum duntaxat 387 contracto), quo quidem anno praecise sit nata ignoratur; sed quandiu Arcadius vixit, Romae non fuit. Eo autem sub annum 408 mortuo, ad fratrem Honorium in Italiam profecta, dum Romae secure agit adhuc virgo, anno 409 a Gothis, ad Urbem ante annum captam ex improviso regressis, etiam ipsa capitur, ab eorum rege Ataulpho in uxorem sumitur, et in Hispaniam abducitur; fratri autem reddita et Constantio desponsa, Valentinianum Iuniorem peperit anno 418, nec alium scitur filium habuisse, nisi forsan ex rege barbaro in Hispania SS. Theodulphum ac Theodoricum peperit, de quibus apud Treviros mortuis actum a nobis 1 Maii. Quamvis autem haec omnia certissima sint, fingitur tamen Epiphanius ab Arcadio et Honorio, ut dixi, vocatus Romam ad eorum aegram sororem curandam: idque non tantum praestitisse, sed etiam eius filium mortuum suscitasse, tali lege, ut imperatores cum sorore atque nepote fidem susciperent Christianam: quod et fecerint, baptizati omnes ab Epiphanio, suscipientibus "Arcadium Polybio, Honorium Isaaco," eorum "sororem Proclisia Patricia, et filium huius quodam eunucho," non sine prodigiis. Et haec quidem omnia vivente adhuc Theodosio Seniore Augusto, atque adeo ante annum 395, quo hic e vita migravit.

53. Roma in Cyprum reversus, ut fingitur, Epiphanius non diuturnam ibi quietem habuit, sed postquam fami publicae, coemptis Faustiniani frugibus prudenter consuluisset, et insidias vitae suae a Rufino diacono suo, ex eiusdem Faustiniani suggestione, paratas divina praenotione evasisset, evocatur Constantinopolim, ad praedictum imperatorem Theodosium; quem pedibus laborantem sanaverit, laetitiam faciens non tantum ipsi, sed et filiis Arcadio atque Honorio, per eosdem dies Roma Constantinopolim reversis. Prius autem quam ab iis discederet sanctus, Faustinianus eodem abductus in vinculis male dicitur

periisse; rediisseque Epiphanius in Cyprum cum mandatis, ut quaecunque illius fuerant retineret pia uxor quae omnia ad usus ecclesiae consignarit ordinata diaconissa. Deinde Aetium Valentinianorum episcopum obmutescere fecerit; sed et contra Ophitas, Sabellianos, Nicolaitas, Simonianos, Carpocratianos haereticos, in Cypro nidulantes, rescriptum Theodosii acceperit, ut pellerentur ab insula. Quorum quam aegre quidquam possit cum veritate consistere, partim liquet ex dictis, partim quoad Sabellianos revinci potest ex Epiphanio, qui haeresi LXII agnoscens huius tunc novae adhuc sectae plurimos tum in Mesopotamia, tum Romae versari, non praeteriisset Cyprum, si ad eam ipsorum pertigisset venenum, sicut id de Valentinianis dixerat haeresi XXXI, Ophitas, Nicolaitas, Simonianos, Carpocratianos, sub his nominibus adhuc superfuisse saeculo IV exeunte quis credat?

54. Restat ultima, aut verius unica, Epiphanii ad urbem Constantinopolitanam profectio, anno 402 ad finem vergente, aut sequenti iam inito. Hanc ab ovo exordiens fabulator noster, primo narrat Theophili dissidium cum fratribus Longis, tribus scilicet filiis Heracleonis imperantis Alexandriae, quod alibi non legitur; et eorum causa exortam inter Theophilum et Ioannem discordiam; tum longam de agro viduae, per Eudoxiam usurpato per Chrysostomum reddi iusso, relationem texit; quam veram in substantia esse dubitare non sinit Marcus diaconus, in *Vita S. Porphyrii Gazensis* 26 Febr. n. 37, sed praetextum eius agri usurpandi eum adducit fabulator noster, qui non possit non esse de falsitate suspectus; quod scilicet "mos est imperatoribus et imperatricibus, si vel pedem intulerit in terram alienam, et si fructum acceperit ex aliquo eorum quae fructum ferunt, ut nullus alius in ea potestatem habeat nisi imperator". Itaque factum ait, ut cum casu illuc ingressa imperatrix botrum sibi resecuisset, hoc ipso cogi videretur ad fundum eum sibi vindicandum. Addit imperatricem obtulisse viduae pretium illius; quod sane ut illa acceptaret aut oblatum alibi praedium, consultius fuisset suadere laesae, quam pro summo iure tantas turbas movere, quantas consequi necesse erat, si per excommunicationis rigorem excluderetur ab ecclesia imperatrix. Itaque existimo neque tale quidquam ab hac

oblatum, praetextum autem illius agri usurpandi alium non fuisse, quam quod mortuus esset in exsilio viduae eius maritus ex bona olim fisco addicta. Neque me movet quod eamdem rem in encomio Chrysostomi narrèt Leo imperator; apparet enim eum inhaesisse, sine ullo examine, huic tam portentosae *Vitae S. Epiphanii.*

55. Utut sit, fingitur eo usque irata imperatrix ut de Ioanne deponendo coeperit agitare consilia. Quo cognito Theophilus persuaserit Epiphanio navigare Constantinopolim. Huc appulsum cum Polybio et Isaaco (nulla facta mentione Crispionis, de quo mox) sollicitaverit imperatrix, ut in Ioannis, tanquam perturbatoris et haeretici, depositionem consentiens, seipsum in eius locum pateretur substitui; molliora vero suadenti Epiphanio minata sit dicens: "Si fueris impedimento quominus mittatur Ioannes in exsilium, aperiam templa idolorum etc.". Cumque ad haec ingemiscens Epiphanius se ab hoc iudicio innocentem protestaretur, non tamen effugisse, quominus diceretur consensisse; itaque Ioannem accepta charta ei scripsisse: "Sapiens Epiphani, assensus es meo exsilio? In throno tuo non sedebis amplius;" Epiphanium vero rescripsisse: "Athleta Christi, verberare, et vince: in locum autem, ad quem fuisti relegatus, non venies". Potuitne postrema haec pro falsis, ut necessario sunt falsissima, habere Baronius; et non videre colloquium Epiphanii cum imperatrice, eiusdem ut auctoris sic et fidei esse? Cur igitur ipsum opposuit auctoritati Sozomeni tanquam in favorem Origenistarum propter Ioannem propensioris? Utrumque sane velim aequaliter reiectum, quando priorem Eudoxiae cum Chrysostomo rixam, quae Theodosii iunioris nativitatem ac forte etiam an. 391, antecessit, constat fuisse compositam: et posteriores querelas primum esse subortas, quando "digresso ab urbe Epiphanio, Ioannes in ecclesia verba faciens, communem adversus mulieres vituperationem instituit, quam populus ita accepit, quasi adversus imperatoris coniugem figurate composita fuisset," uti scribit Sozomenus, in hoc conformis Socrati. Tum scilicet Theophilus, qui solus fuerat vocatus in urbem, iudicandus a Ioanne in causa monachorum, agentibus Ioannis aemulis et suadente imperatrice, atque synodum contra eam convocandam poscente, permissus est Aegyptios episcopos

secum ducere: qui in suburbio Chalcedonis ad Quercum congregati Ioannem depositum declararunt; sed frustra, populo eum vel invitum restituente. Cum autem propter "argenteam statuam" denuo accensa esset indignatio imperatricis, in altera postea synodo decretum sancti exsilium est, eo solum praetextu, quod damnatus in synodo, absque numerosioris quam illa ad Quercum fuerat synodi sententia, sedem suam recepisset.

56. Ad extremum in Actis, tanto iure reprobandis, dicitur Epiphanius adhortatus in navi suos, sedasse precibus tempestatem triduanam, atque exspirasse. Cuius demortui corpus, circumcisumne esset, explorare volens navarchus, ictu pedis retro actus exstinctusque ad eosdem pedes positus revixerit. Cumque Constantiam appulisset navis, tenebrae quidem toti incubuerint civitati; tres tamen caeci obviam progressi, cum reliquis sese manu tenentibus, visum receperint; corpus autem conditum melle prostiterit in ecclesia diebus multis, eo quod Longinus et Petronius diaconi, haeresi Valentiniana clam infecti, nefas esse dicerent intra civitatem in ecclesia sepeliri mortuum; quia autem sepelire eum nihilominus volentibus illi se opponebant, ad venerandi diaconi Sabini, Epiphanium invocantis, preces; Longinus quidem conciderit ipso loco mortuus, Petronius vero, elatus inde paralyticus ac mutus, quarto die obierit. Tum vero missos Constantinopolim legatos sex, qui Arcadii imperatoris voluntatem exquirerent; hic vero eos detinuerit, donec suum, ut appellabat, patrem luxisset diebus quadraginta; iisque expletis eosdem remiserit cum quodam Maximo, molestum sibi daemonem circumferente. Ab hoc autem, ante sacrum corpus prostrato ac liberato, lectam imperialem epistolam, versu secundo sic continentem: "Eum qui vixit supra nostras leges, nolumus iacere convenienter nostris legibus;" atque ita demum depositus fuerit sanctus in theca ad id fabricata, "ipso loco ubi supra Faustinianum ceciderat fabricator," utique mensibus tribus aut quatuor, iuxta hanc fabulam, post sancti mortem. Haec autem, ut indicavi n. 5, fingitur scribere Epiphanii successor Sabinus ad Polybium octavo die durantis pro sepultura contentionis digressum ab insula, et post unius anni moram in Thebaide, raptum ab Heracleone, totius Aegypti praeside, Rhinocoruris tunc habitante, ut esset eius urbis epi-

scopus; cum petiisset de illius controversiae exitu doceri a Sabino, quia ex Calippo diacono audierit illum Constantiae episcopum ordinatum.

57. Habes, Lector, his duobus capitibus comprehensam totius prolixae alias fabulae summam, eo fine, ut si quid alibi reperias a nobis praeteritum in primis quinque capitibus quod hic etiam attingatur, discernere possis, utrum id hinc acceptum aestimari non debeat; an vero, ut ex meliori auctore huc translatum, fidem mereatur cum prioribus obtinere. Similiter arbitrio tuo relinquo, velisne pro genuino S. Epiphanii fetu habere cum Bellarmino librum *De vita prophetarum eorumque sepultura*, quamvis ignotum Photio n. 122 et seqq. eius opera recensenti; an cum novissimo eius interprete Petavio, *ψευδεπίγραφον* credere, "propter sexcentas mendaciorum nugas, quibus liber ille refertus est". Petavio Sirmundus et Labbaeus subscripsere, sancti Patris honori faventes; et horum sententiam ex eodem motivo libentius teneo, licet satis intelligam cum Labbaeo, esse qui censeant, "non omnia veteribus Patribus subtrahenda, in quibus Thalmudica commenta et Hebraicae quaedam deuteroses continentur.

58. Sic liber *De Vita et morte iustorum*, Baronio in notis ad Romanum Martyrologium 1 Maii et 25 "cuiuspiam alterius potius quam S. Isidori esse videtur, eo quod in eo complura reperiantur, Isidoro indigna, coagmentata mendacia": de eo tamen non sinit nos dubitare S. Braulio in praenotatione librorum eius: ita ut huic excusando aliud non suppetat, quam cum Labbaeo vel agnoscere "ab aliquo interpolatore corruptum," vel ingenue fateri, quod "nimis credulus, quae ab aliis scripta reperit, minus discussa, non tam sua quam aliena protulerit fide". Quamdiu tamen alterutrum dicere pro tuendo qui sub Epiphanii nomine controvertitur libro, similis ponderis non cogit auctoritas, bene de illo omnes mereri existimo, qui id quod eius gravitate indignum esse rationabiliter censent, ab ipso scriptum esse non libenter credunt; male econtra, qui mordicus id sustinere volunt, ut eius auctoritate, sicut et S. Isidori fulciri videantur, quae ibi de Eliae prophetae natalibus leguntur. Equidem existimo Patres istos, si talia ipsi revera scripserunt, mere interpretum et collectorum fungi officio voluisse, nullum

autem iis ex se pondus addere: an autem revera operae pretium fuerit Rabbinorum de sanctis veteribus somnia, quibus illi omnes sacrae Scripturae historias interpolarunt, vel iam olim collecta Graece Latineque reddidisse, vel in illorum libris pluribus dispersa in unum libellum collegisse, prudentiorum esto iudicium; curiositati certe et oblectationi nonnihil serviunt ista, neque alicui nocere possunt qui eis fidem non magnam habuerit, intelligens cum Theophilo Raynaudo nostro, de bonis et malis libris n. 352, eorum "multam mendacitatem et fabulositatem," quodque (ut idem n. 348 notat) "Rabbinis proprium quarto modo est fabulari, et quae nunquam fuerunt eruntve unquam, tanquam vera proponere, adeo crasse ac stolide, ut ne ingenii quidem mica deprehendatur in comminiscendo dextre et apposite, fingendoque probabiliter et apte ad persuadendum". Convenit profecto non tam considerare quis quid scripserit, de iis quae ante longissimas aetates acta feruntur, certis nullis auctorum coaevorum monumentis testata; sed quos fuerit duces in scribendo secutus; hi autem, in eo quod tangimus argumento, alii quam Rabbini non fuerunt, iique vero similiter Hierosolymitano excidio posteriores omnes.

59. Ceterum, quia liber vulgatus sub nomine Epiphanii, primum superiori saeculo Latine legi coepit, merito praesumuntur scriptores Latini praesertim ii quos Graecam nescivisse constat, dum aliquid eiusmodi de legis antiquae prophetis scribendo attigerunt, non illum sub nomine Epiphanii librum, sed alium sub nomine S. Dorothei, Latine duntaxat exstantem, prae oculis habuisse, prout in tractatu de B. Alberto Hierosolymitano ad 8 Aprilis indicavi. Hic autem liber, multo prius et certius, quam alter ille Epiphanio, adiudicatus Dorotheo fuit, statim ac per impressionem factus est magis publici iuris: Synopsim intelligo *De vita et morte apostolorum; prophetarum ac discipulorum Domini*, quae sub Dorothei nomine excusa fuit, tum seorsim tum in Bibliothecis veterum Patrum; hanc enim, ut notavit Labbaeus, "iam pridem ut fabulis refertam nulliusque apud doctos auctoritatis, obelo fixerunt Molanus, Baronius, Bellarminus et alii Catholici, quibus heterodoxi subscripserunt": ut de Theophilo Raynaudo taceam, cuius iudicio liber est "infantilis, scatens fabulosis narrationibus". Quibus cum similes

sint in duobus iam supra indicatis opusculis, S. Isidorus quidem sic excusatur, ut tamen melius fuerit proprio honori consulturus, si praecautione saltem aliqua usus indicasset non magnam iis a se fidem haberi; Epiphanius autem nec excusatione quidem eget, quandiu nullo veteri et ineluctabili testimonio probatur, haec vere illius esse scriptio. Adde quod plures Epiphanii fuerint subsequentibus saeculis, etiam in Cypro episcopi quorum aliqua, ut fieri vulgo solet, principaliori huius nominis scriptori tribui potuerunt, sicut "orationes illae quae Epiphanii nomine fucum iam pridem faciunt, Petavio iudice, satis cum stylo ipso tum aliis quibusdam indiciis, alterius vel Epiphanii vel auctoris se esse declarant".

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. FRANCISCO

S. R. E. CARDINALI RUPIFUCALDIO, EPISCOPO SILVANECTENSI, MAGNO FRANCIAE ELEEMOSYNARIO, AC SANCTAE GENOVEFAE APUD PARISIOS ABBATI.

Meliusne sit, et consultius (Cardinalis Illustrissime) pestiferarum Haereseon nefaria dogmata consignare literis, an ea tacere penitus, iure inter sapientes quaeritur. Ac nonnullos minus Sectarum ipsa descriptio, diligens praesertim et enucleata, delectat. Alii cautione quadam ac delectu opus esse iudicant; ut eae solum praetermittantur, quae aut vetustate iam obsoleverint, aut insigni foeditate ac spurcitia contaminatae fuerint. Utrosque movet ea caussa potissimum: quod cum universe decretorum eiusmodi recordatio perniciosa sit; tum eorum mortifera contagio, quae obscoenae voluptatis lenociniis partim incautos alliciunt, partim invitos, ac repugnantes afflatu nihilominus quodam turpitudinis, et odore perfundunt. Quamobrem quod Epiphanius Gnosticorum, Basilidianorum, Carpocratianorum, Origenianorum arcanas, ac detestandas libidines tam diligenter expresserit, non illud quidem viri sanctissimi factum, consiliumque reprehendunt: sed eorum omnium memoriam oblivione conteri fuisse satius putant; et Graece, uti scripta sunt, relinqui modo, atque a peritioribus duntaxat legi oportere statuunt. Itaque Latine ut ea nos interpretemur, ac promiscuam flagitiorum conscientiam, communemque faciamus omnibus, probandum minime esse contendunt.

Contra quos omnes tam Epiphanii nostri, quam nostra etiam caussa disputandum breviter existimo. Ac priores quidem illi, quibus totum istud negotium displicet, Haereseon abstrusa, ac recondita mysteria mandare scriptis, summum ac singulare veritati praesidium opinione sua detrahunt. Hoc enim extorquent; quo nascentes identidem ac redivivae mendaciorum sectae validissime propulsari a nobis, evertique possint. Est quidem eius, qui in Haeresin vel moliendam, vel tuendam incubuerit, animus in omnem audaciam sine ullo pudore proiectus. Sed nemo est tamen ex illis absurdarum opinionum patronis, quem non utcumque convicti olim erroris, ac damnati pudeat. Sint sane, uti sunt, ferrei omnes Haeretici: sint pervicaces, iidem se in ipso ardore, agitationeque disputandi ad resistendum acrius fingant, tamen qui id didicerit, quique certis veterum testimoniis compererit, ante ab antiquis Patribus et Conciliis, publicoque Christianorum consensu agnita ac repudiata dogmata illa, quam illi ipsi, quos sequitur, eorum interpolatores existerent; vix erit, opinor, ullus, cuius nisi frangi, edomarique contumacia potuerit, non languidiores saltem habeat eruptiones et impetus, ac paulatim per seipsam refrigerata, atque enervata concidat. Habent igitur hunc fructum commentarii illi, qui de Haeresibus scribuntur, ut in unaquaque aetate fautores perfidiae ac satellites suos in illis, quos quidem erubescant, principes authoresque recognoscant.

Iam qui certas ex Haeresibus, easdemque vel obliteratas, vel turpitudine infames omitti iubent, difficilem quandam moderationem postulant: cuius ne ipsi quidem usum, rogati a nobis, expediant. Etenim si hoc certo polliceri possent, opinionum illa portenta, postquam oppressa ac sepulta semel essent, nunquam, nisi in libris extarent, emersura denuo, neque suis ex illis bustis, ac cineribus excitanda, nihil consilio huic istorum praevertendum putarem. Sed cum nihilominus statis temporum intervallis eadem illa monstra amputata toties, ac iugulata reviviscant: cum idem Haeresum illarum architectus, inventorque Diabolus, etiam omni librorum extincta memoria, perseveret: cum iisdem artibus et machinis, eademque ad illas instaurandas calliditate ac nequitia sit praeditus, neque nos istorum ille delectus adiuvat, et adversus redintegrati morbi periculum pri-

stina illa certissimaque subsidia comparanda sunt. Potuerit sane ante annos aliquot, imo saecula, designatio illa certarum Haereseon ad scribendum, et opportunitas iactari; cum pauciores adhuc essent, nec tam diversis ac dissimilibus ex formis, prodigiisque conflatae. Hoc quidem tempore, quo emortuas pridem superiorum aetatum haereses revocatas in lucem, ac renovatas cernimus, ne dubitationi quidem illi ac quaestioni locus amplius est relictus. Quod enim fuit in omni antiquitate genus opinionis ac sectae tam horrendum, tam inusitatum et obsoletum? quis tam obscoenus et abominandus error? quod perfidiae genus tam palam omnium voce condemnatum, quod non parentum nostrorum memoria fautores aliquos ac sectatores habuerit? Parum est de Arianis illis conqueri, aut Macedonianis, Eunomianis, Nestorianis et iis etiam antiquioribus Manichaeis, Sabellianis, Samosatenis: caeterasque veteris Ecclesiae faces ac tempestates persequi, in quibus praeter dogmatis falsitatem nulla, aut obscura foeditatis disciplina fuit, quae omnes in Germania, Polonia, Pannonia, Russia, alibi denique renatae ad hanc diem grassari et increbrescere dicuntur. Illae ipsae sordidissimarum libidinum inventrices Haereses ac magistrae, quae promiscuos concubitus, ac reliquam corporis turpitudinem ostentabant, quaeque uno Gnosticorum vocabulo contineri nonnunquam solent, iisdem in locis in Adamianos, Pikardos, Valdenses, Lugdunenses pauperes, caeteraque portenta verius quam nomina redundarunt. Veniam ad Galliam nostram, ac novissimam Calviniani labem dogmatis, atque pestem, quae in illius gremio consedit. De qua verissime hoc mihi videor esse dicturus, velut sentinam illam orbis esse terrarum, in quam veterum et recentium sectarum errorumque colluvies confluxit, ac quicquid Haereseon hactenus extitit, de quo legere aliquid vel audire potuimus, ex eo libatum esse ac derivatum aliquid; atque ex abhorrentibus monstrorum omnium partibus ac figuris, ultimum illud, ac reliquis horribilius esse concretum.

Quamobrem cum et ubique terrarum, et hic apud nos priscarum sese Haereseon ac sectarum venena diffundant, ad illa, quae supra dixi, praesidia confugiamus et medicorum imitemur industriam. Quorum maiores cum eosdem humanis ingruere corporibus ac recurrere morbos intelligerent, eorum

origines, progressiones, proprietates, casuum atque eventorum exempla, tum remedia diligenter in libris notarunt, quae dum posteri legunt, contra illos ipsos alieno se usu experientiaque confirmant. Ita nobis, quibus assiduum est iisdem cum erroribus, velut morbis ex intervallo recrudescentibus, ac iam ante cognitis, certamen ineundum, utiles sunt commentarii antiquarum Haeresum: ex quibus non earum modo notitiam adipiscimur, sed ad illas etiam, ubi renatae fuerint, profligandas, eadem paramus auxilia, quibus, cum primum nascerentur, extinctae sunt.

Quo in genere cum multorum Patrum egregie sit labor ac cum laude versatus; quem tu tamen, sive diligentia sive ubertate eruditionis ac copia, cum Epiphanio conferas, reperies ex omni antiquitate neminem. Non enim ille brevem duntaxat Haereseon Indicem caeterorum more conscripsit, quemadmodum Augustinus, Philastrius, Hieronymus, Damascenus, copiosius etiam Theodoretus, atque alii complures instituerunt, nec illorum tantummodo opiniones ac dogmata, res etiam ab earum authoribus ac principibus gestas accuratissime proposuit. Sed quibus armis insuper aut illarum petitiones depelli, aut vicissim illae peti expugnarique possent, uberrime doctissimeque monstravit. Quibus etiam de caussis *Πανάριον*, sive, ut Anastasius Sinaita in Quaestionibus ac Photius cum Graecis aliis habet, *Πανάρια*, id est, *medicam arcam*, sive *capsulam* ac *thecam*, opus illud inscripsit, ut in eo sciremus contra mortiferos ac venenatos serpentium morsus, adeoque morbos omnes Haeresum, saluberrima remedia contineri.

Quocirca persaepe sum equidem Augustinum vehementerque miratus, qui in libro de Haeresibus ad Quod vult Deum, cum Epiphanii meminit, haec de illo in Praefatione posuit: *Noster vero Epiphanius Cyprius Episcopus abhinc non longe humanis rebus exemptus, de octoginta Haeresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Breves sane sunt hi libelli, et si in unum libellum redigantur, nec ipse erit nostris, vel aliorum quibusdam libris longitudine comparandus. Huius brevitatem si fuero in commemorandis Haeresibus imitatus, quid a me bre-*

vius postulare vel expectare debeas, non habebis. Haeccine, quaeso, de Epiphanii Panario Augustinum scribere? affirmare, opus esse perbreve, et si in unum libellum redigatur, tam mediocri mole et amplitudine futurum? negare denique aliud iis in libris, praeter simplicem Haereseon historiam, sine ulla mendacii oppugnatione tractari? Atqui et uberrimi sunt de Haeresibus Epiphanii libri, et adversus singulas fuse accurateque disputat, nec illud ipsum postremo, quod omissum ab Epiphanio, a se vero factum iri dixerat, ut adversus singulas Haereses dissereret, aut in illo de Haeresibus libello, aut in alio Augustinus ipse praestitit. Nihil enim praeter sectarum omnium summam errorumque capita complexus est. Quod postremum ut admirationem auget, ita prius illud non levem suspitionem facit, Epiphanii Panarium ipsum, opusque adversus Haereses integrum, Augustinum nondum, illa cum scriptis proderet, vidisse, sed illius duntaxat Epitomen, atque eiusdem fortassis Anacephalaeosin, sive Breviarium ex singulorum Tomorum et Haereseon argumentis et capitibus collectum. Quanquam illud etiam movet, quod *in sex libros* asserit Epiphanii opus esse partitum. At id secus se habet. Nam in tres duntaxat libros tribuitur. Libri omnes in tomos septem. Quare illud Augustini singulare est, quod 57 Haeresi, quam Psallianorum vocat, Massalianorum Epiphanius, subtexuit: *Proinde ille de octuaginta Haeresibus separatis viginti, quas ante Domini adventum extitisse, sicut ei visum est, computavit, reliquas post Domini ascensum natas sexaginta, brevissimis libris quinque comprehendit, atque omnes in sex libros totius eiusdem sui operis fecit concludi.* Tres in libros Panarium omne dividitur. Primus Tomos continet tres, quorum in priore viginti illae sunt Christo antiquiores Haereses. Alter earum, quae post Christum exortae sunt, tredecim colligit. Totidem postremus. Ac si librorum nomine Tomos Augustinus intelligit, dempto superiore illo, qui viginti ex Haeresibus constat, reliqui sex erunt, non septem. Quare fuerit illius Operis, sive Epitomes, alia ratio partitioque necesse est, quod se Augustinus legisse et imitari voluisse demonstrat.

Sed a minuta illa et angusta disquisitione ad id redeo, quod de Panarii commendatione ac fructu disputare coeperam. Nam ad illud, de quo agebatur, Catholicae religionis patroci-

nium et hodiernarum eversionem Haeresum, opportunitates innumeras et adiumenta suppeditat. Primum quod de eius authoritate, propter et scriptoris vetustatem et illustrem inter Patres dignitatis locum, ne ipsi quidem obtrectatores antiquitatis ac bonorum hostes omnium dubitant. Deinde quod praecipua quaeque decreta fidei, quae opinosissimi homines his temporibus inficiari audent, tam expressis ab illo testimoniis approbantur, quae autem iis illi contraria defendunt, suos ad authores, hoc est Haereticos, revocata veteres, tam graviter ac crebro refutantur; ut quem adhuc falsitatis istius non pudeat, communem ante sensum, quam modestiam, verecundiamque perdiderit.

Haec de Epiphanio nostro adeo magnifice splendideque iactata quam vera sint, planum in singulis Lutheranorum et Calvinistarum erroribus facerem, si id aut Epistolae brevitas sineret, aut alium, quam te, (Cardinalis Illustrissime) oratio haec a nobis instituta respiceret. Sed id aut alio fortasse loco praestabimus, aut ad certos hodiernis e Scriptoribus remittemus, qui in eam partem studiose, ac sane utiliter incubuerunt. Tibi vero nota magis illa, quam mihi sunt, qui quantus vir Epiphanius fuerit, quantumque Panarii istius momentum sit non aliena commendatione, sed studio ipse tuo experientiaque didicisti. Ac quicquid hactenus vel de Authoris huius praestantia, vel de Haereseon labefactandarum ratione paulo verbosius explicavi, non id tua caussa, neque ut quod abs te discere debeo, hoc te ipse docerem, pertractare volui, sed ut consilium de hac editione meum expositum tibi, a teque probatum, manaret ad caeteros, tuoque se iudicio et authoritate defenderet. Quam ego praerogativam voluntatis humanitatisque tuae, dignitate ipsa muneris ac pretio impetrare malui, quam, quae trita et pervagata Praefationum seges est, ornandis tuis laudibus, ac virtutum tuarum praeconio colligere. Nam apud te de te ut verba faciam, singularis quae in te est gravitas ac modestia non patitur. Neque te ambitiuncula ista, et quod esse iucundissimum omnium acroama dicitur, ornamentorum tuorum atque insignium praedicatio delectat. Itaque non alio sequestre ac conciliatore gratiae tuae usus, quam Epiphanio ipso, ad tutelam nominis tui patrociniumque confugi. Quod ut mihi defuturum non esse confidam, facit amor imprimis erga literas tuus: tum pietatis

religionisque cognitus omnibus ac perspectus ardor, quibus ex ambobus studiis nostrae illae in Epiphanium collatae operae vigiliaeque proficiscuntur. Faciunt excellentes ingenii artes virtutesque caeterae, quibus Ecclesiae principatum iamdudum publica omnium vota ac suffragia despondent. Facit postremo prolixus tuus in Societatem nostram ac multis indiciis perspectus atque exploratus animus, tum nonnullus quoque tenuitati nostrae patefactus iamdiu ad benignitatem tuam aditus ac receptus. Quorum omnium summam brevissima hac certissimaque voce complectar: neque te dignius, quam quod a me modo defertur, offerri tibi munus posse; neque digniorem, cui illud offerrem, te uno reperiri potuisse. Vale. Lutetiae Parisiorum, Anno ineunte MDCXXII, die XVIII Kal. Febr.

Ill. A. T. deditissimus Dionysius Petavius Societatis Iesu Presbyter.

DIONYSII PETAVII

AD

CATHOLICUM ET CANDIDUM LECTOREM

PRAEFATIO.

Cum assiduis eruditorum ac piorum hominum querelis flagitari iamdudum Epiphanium nostrum intelligam, a quibusdam etiam tarditatem accusari meam, quod cuius editionis spem ante complures annos ostenderim, ea nondum in lucem tam longo intervallo prodierit; nonnulla nostra excusatione muniendus ad aequitatem tuam aditus videtur. Erit illa vero perfacilis, si hoc cum animo tuo aestimare volueris, quantum ad id, quod initio praevideram et ad quod paratus veneram, pensi ac laboris accesserit. Nam cum primum illud opus amicorum rogatu et eorum, qui authoritate poterant apud me plurimum, hortatu recepi, unum illud designabam animo, ut et Graecis diligenter emendatis et Latina Cornarii interpretatione castigata, annotarem ea breviter, quibus ad Authoris mentem assequendam adiuvari non imperiti hominis industria posset. Ut autem Latine interpretarer ipse, neque constitueram equidem, neque fore necessarium arbitrabar. Hac ego spe conditioneque cum ultro oneri illi successissem, cumque istud et amicorum praedicatione, et mea quoque denunciatione manasset longius, quam ut vadimonium honeste possem deserere, mox ubi tractari coepta res est, plus in ea negotii, quam mihi pollicebar, esse situm animad-

verti. Postquam enim Cornarii Latina emendare sum ingressus, periculumque recensendis aliquot paginis feci, ecquid mediocri aliqua tractatione nitescere ac perpoliri posset, plena non solum fastidii visa res est, sed etiam molestiae et illiberalis cuiusdam operae ac laboris. Ita multa tum demenda, commutanda, interpolanda fuerunt, ut ego tolerabilius esse statuerem, aliam de integro ac novam struere, quam alienae, praesertim barbarae insulsaeque, tectorium inducere. Cessi igitur invitus atque haesitans licet, et in hoc me pistrinum detrudi compingique sum passus, ut eum scriptorem, quem castigandum, ut dixi, atque ornandum tantummodo susceperam, Latino insuper sermone converterem.

Est illud profecto genus interpretandorum librorum utile bonis artibus, et quod maior pars Graece aut omnino nescit, aut non ita scit, ut iis adiumentis carere possit, hac aetate necessarium. Sed idem tamen non solum insuave per sese, verum etiam, propter summam hoc tempore obtrectandi impunitatem ac licentiam, solicitum ac lubricum. Quoniam quidem recte facto, mediocris approbatio; errato, sine ulla venia, vehemens et atrox reprehensio proponitur. Id adeo certorum hominum importunitate et inhumanitate fit, qui cum ipsi sine errore nihil scribant, neque se a quoquam redargui patiuntur, et hoc ipsum tamen tyrannico sibi iure in caeteros usurpant. Est autem in Graecis Latinam in linguam transferendis lapsum ac reprehensionem evitare difficile, propterea quod nemo est ita necessariis ad id munus praesidiis instructus, qui aut Graecos omnes authores legerit, aut immensam vim artium omnium et materiam, quarum ex scientia efflorescere ac redundare debet interpretatio, usu et memoria comprehendat. Quis est enim, qui divinas humanasque disciplinas, qui Theologiae, Philosophiae ac Mathematum partes omnes, qui Iuris ac Medicinae, qui minutas denique artes vel unus exhaurire potuerit, vel infinitam vocabulorum, quae cuique propria sunt, silvam varietatemque scrutari? Atqui cum illa passim Graecorum monimentis aspersa sunt, tum eorumdem inscitia nonnunquam hallucinari interpretem par est, et ab illius artis peritis, contra quam commissum aliquid fuerit, vitia ipsa deprehendi. Sed mutua ista castigatio erroris et animadversio maximam affert communibus

literis utilitatem, ac ne ei quidem, qui erraverit, si se hominem natum esse recordetur, odiosa videri, vel iniqua debere. Movet vero plerosque, atque ab hac publice commodandi ratione deterret, non reprehensio erroris ipsa, sed insultandi in aliena culpa libido quaedam petulans ac procax, quae utcumque vel levissima in re titubatum erit, si unius voculae vis ac potestas Interpretem fugerit, sic quasi Reip. salus agatur, rem ab honesta contentione ad illiberales rixas et sordidas, ad foedissimas simultates, atque ad personarum iniurias, contumeliasque transferunt. Haec igitur ipsa famae honorisque proposita dimicatio quietos et moderatos homines, qui nonnullum tamen in publica sibi commendatione laborum fructum constituunt, defugere operam illam admonet potius quam cum acribus et pugnacibus adversariis, et ad quaevis dicenda audiendaque paratissimis in puerile certamen descendere. Mihi vero, quem ad sublimius quiddam et divinius cogitata omnia consiliaque referre susceptae vitae rationes hortantur, atque haec vanissimorum et ineptissimorum hominum iudicia contemnere, cur Epiphanii interpretationem vererer attingere, caussa imprimis ista fuit, quod cum lentum ac diuturnum fore negotium illud animadverterem, tantumdem praestantioribus studiis detractum iri temporis cernerem, quantum in eam occupationem esset insumptum. Accedebat ad communem interpretandi molestiam praecipua quaedam in illo scriptore difficultas, quod incompta et salebrosa est illius oratio, et in qua frequentissime occurrunt illa, quae Graeci ἀναπόδοτα et ἀνακόλουθα nominant, pedestre ac populare dicendi genus. Quod sive pari sermonis simplicitate consequi volueris, subagreste quiddam existet ac putidum, cuiusmodi sunt Latina fere Cornarii, cuius nos utique similes esse nolimus. Sin ornatum atque cultum adhibeas, id sine magna sententiarum commutatione obtinere vix possis. Altera caussa est, quod iidem illi Epiphanii libri mendis ac maculis scatent innumeris, quae non modo infringunt interpretis conatum, sed ad divinationes, ac temerarias interdum coniecturas adigunt: dum ne suspensa ac mutila sententia relinquatur, supplere multa de suo, aut aliter, atque edita sunt, conformare cogitur. In quo ut acute non pauca et solerter inveniat, aberret tamen interdum, seque criminationibus istorum, quos dixi, et

calumniis obiiciat. Vicit nihilominus privatas rationes bene de te (Catholice lector) deque Ecclesiae caussa merendi studium. Vicit novae, iam pridem a me data fides editionis, ac promissi religio. Nam et tua, atque Ecclesiae communis intererat, opus illud, quod ad diluendas Haereses a gravissimo et sanctissimo Patre Graecis est editum, quemlibet potius interpretem habere quam Haereticum, et ad recentis editionis splendorem attinebat, commodius aliquanto, minus certe barbare et inquinate loquentem Epiphanium, Latinis auribus non suspecto ab authore committi.

Habes quae mihi caussae tarditatis fuerint; cognosce nunc caetera. Epiphanium tibi damus integra primum fide ex vetustis codicibus, quoad licuit, castigatum ac recensitum. Horum princeps Vaticanus fuit, cuius diversas lectiones Romae olim a se collectas R. P. Andreas Schottus, pari vir humanitate atque eruditione praeditus, ad me sponte misit. Ex quo permulta sunt a nobis opportune restituta. Accessit ex Bibliotheca Regis Christianissimi depromptus alter, quocum Basileensem ipsi contulimus. Ex amborum authoritate, si quid in contextu ipse mutatum reperies, scito esse profectum. Reliqua, quae ex iudicio emendare facile potuimus, utut erant in Basileensi, reliquimus: atque ad oram fere paginarum coniecturam nostram adscripsimus, quaedam in animadversiones coniecimus. Nam et Animadversionibus nostris, hoc est plenioribus notis, ac prope commentariis, Epiphanium illustriorem reddidimus. In quibus quantum a me sit elaboratum, quantum ex melioribus derivatum studiis, ex reipsa facilius quam mea oratione perspicies. Illud quidem providendum duximus, ut ne aridae ac ieiunae nimis essent, et variarum lectionum exiles quaedam notae: sed si quod uberius apud Epiphanium esset argumentum, si qua paululum insignis quaestio, cuius difficultas cum utilitate certaret, ea nos pro usu captuque nostro liberius ac diffusius tractavimus. Quo in genere multa illic habes de Natalis Christi et Passionis anno ac die: de Paschali mense, de Iudaeorum Cyclo, de antiquo Poenitentiae ritu, de Sirmiensi et Ancyrano Conciliis, de nonnullis veteris Ecclesiae moribus, de Romanorum Imperat. Chronologia, et id genus aliis explicata. Quae si longiora videbuntur, licet, disputationibus iisce praeteritis, quarum iccirco titulum paginarum initiis adscripsimus, ea deligere, quae

ad Epiphanium sine offensione percurrendum necessario praecipienda sunt. Quanquam eiusmodi fere illa esse cognosces, ut supervacanea, aut alieno posita loco videri nequeant. Ita plerumque perplexum atque anceps est, quod ab Epiphanio proponitur, argumentum, ut ad intelligentiam sui aliquanto etiam plura quam a nobis sunt allata desideret.

Illud vero postremo ad Epiphanii tractationem commodum accessit, ut, quoniam longiores singularum Haeresum disputationes sunt, ac perpetuo cursu orationis, sine ulla interspiratione ac distinctione contextae, certas in partes, ac veluti capita Haeresim unamquamque tribueremus, quibus numerales ad oram notas apposuimus. Quae res non legentium solum fastidium sublevabit, sed ad citanda testimonia cumprimis erit expedita. Nam quoties ex aliqua Epiphanii Haeresi authoritas producitur, si illam, uti fit, recognoscere volueris, tota tibi, quae nonnunquam est immensa, pervolvenda disputatio est. Nunc notarum illarum capitumque compendio licet, non tantum qua ex Haeresi locum illum adduxeris, sed etiam quoto ex Haeresis numero, vel adscribere ipsum, vel adscriptum ab aliis nullo negotio reperire. Quod si mihi id occurrisset initio, de quo affecto iam opere venit in mentem, etiam Basileensis editionis paginas ad marginem nostrae huius addidissem, propter eos videlicet authores, qui cum Epiphanii locum aliquem proferunt, paginarum eadem ex editione numerum utiliter adnotant. Quare istud in alia, si res tulerit, editione faciendum suaserim.

Tu velim (Catholice, ac candide Lector, neque enim pluribus te detineo) ad hanc lucubrationem nostram sic accedas, ut intelligas, neque nihil a nobis esse peccatum, et si quae in illa commissa deprehenderis, ea pluribus cum bonis, si modo plura mihi bona sunt, aut aequalibus, paucioribusve compenses, atque his fruare, illis veniam tribuas, pro aequitate tua deinque maiora et utiliora deinceps a nobis expectes.

DIONYSII PETAVII

ANIMADVERSIONES

IN

EPIPHANIUM.

DIONYSII PETAVII E SOCIETATE IESU 1

ANIMADVERSIONES IN EPIPHANII OPUS

QUOD PANARIUM INSCRIBITUR.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

Si cum exquisita rerum, quae in hoc Opere tractantur, varietate ac copia adaequare commentationes nostras instituissem, non brevibus iisce notis et animadversionibus, sed ingentibus libris committenda res fuerat. Quoniam autem neque me commentariorum moles illa delectat; et eruditorum Lectorum fastidiis occurrendum potius hoc in genere est, quam aliorum tarditati consulendum; nulla est obtinendae a me ratio praetermissa brevitatis. Ea vero visa est imprimis eiusmodi, ut diversas ex veterum exemplarium comparatione, aut ex coniectura lectiones ad oram contextus adscriberem: tum ut leviora quaeque, ac faciliora, vel commode ab aliis explicata, ne attingerem omnino, aut carptim breviterque perstringerem. Quamobrem certa potissimum argumenta delegimus, in quibus elaborandis atque illustrandis plusculum operae disputationisque consumptum est; quae nimirum talia esse consideremus, ut ad eorum minuendam obscuritatem nonnihil opera nostra posset accedere. Fuerat jam-

dudum animus, omnium Haereseon, quae in hoc Opere commemorantur, τὰ ἱστορούμενα primum, deinde opiniones ac dogmata omnia separato libello persequi, et cum iis, quae Epiphanius perscripsit, quae ab aliis sunt Patribus exposita, conferre: sed ab eo consilio revocavi ipse me, quod eum mihi laborem iamdudum aliorum industria sublevasset. Etenim praeter veteres illos, Irenaeum, Augustinum, Philastrium, Damascenum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Hieronymum; ac caeteros, qui aut de Haeresibus nominatim scripserunt, aut earum in libris suis utcumque meminerunt; recentiores aliquot eodem in argumento summa cum laude versatos memineram; imprimis autem Gabrielem Prateolum, atque illustrissimum magnorum Annalium conditorem. Quorum ille Haereseon omnium luculentissimum catalogum literato ordine contexuit, hic in Annalibus suo quamque tempore consignatam reliquit: uterque uno in conspectu quae apud Veteres illos dispersa erant ac dissipata proposuit. Hac igitur cura et cogitatione solutus, hunc unum ad scopum commentandi laborem istum conferam; ut qui Latine iam, hoc est minus, ut spero, barbare studio nostro loquitur Epiphanius, idem Notis istis et Animadversionibus qua castigatus, qua illustrior factus, dilucide atque intelligenter id faciat, omni obscuritate detersa.

DE INSCRIPTIONE OPERIS AC XX PRIORUM HAERESEON PARTITIONE. 2

Cum adversus 80 Haereses, quae ad suam aetatem extiterant, susceptum a se hoc opus profiteatur Epiphanius, duo quaedám occurrunt in eo negotio consideranda. Alterum, *Haeresis* nomen latissime in quibusdam usurpari; nec ad Theologorum normam vocabuli usum istius exigi, a quibus quid proprie sit Haeresis, et quantum reliquis ab sectis differat, subtilius atque enucleatius declarari solet. Nam neque priores illae sectae, Barbarismus, Scythismus, Iudaismus, quatenus Christi ortum antecessit, inter Haereses merito recensentur; neque ullae proprie sectae Barbarorum, aut Scytharum fuerunt. Atque, ut diligentius in Hellenismi, Iudaismi, ac Samaritismi species inquiratur, pleraeque forsitan e numero sectarum, sive Haereseon eximendae erunt: de qua re sparsim, ac suis locis opportunius agetur. In Hellenismo quidem, cum quatuor tantummodo sectas Epiphanius numeret, infinitae adiungi aliae potuerunt; quarum plerasque in calce huius operis, in fidei Catholicae Compendio prosecutus est. Alterum hoc in negotio considerandum est; quamvis omnes illae sectae inter Haereses haud immerito censeantur, nequaquam tamen Epiphanio octogenarium illum constare numerum. Etenim in partitione ipsa contra dividendi praecepta non mediocriter peccatum est: cum principio quinque ante Christum sectarum fastigia proponuntur, Barbarismus, Scythismus, Hellenismus, Iudaismus, Samaritismus: ac deinde posteriora tria genera in alias species tribuuntur. Et nihilominus genera cum subiectis sibi partibus eundem in numerum summamque conferuntur. Quod est in divisione vitiosissimum. Neque enim genus *πρὸς τὰ εἴδη ἀντιδιαιρεῖται.* Ut si anima vitaque praeditum corpus primum in animal ac plantam partiare: tum animal in terrestre, aquatile, volatile: plantam in herbam, fruticem, et arborem: ac deinde collectis omnibus, octo corporis animati partes esse constituas: nimirum animal, plantam, terrestre animal, aquatile, volatile: herbam, fruticem, et arborem. Ita enim inter divisionis partes genera ipsa, quae dividuntur, perperam referas. Quod

in illa Haereseon distributione commisit Epiphanius. Quippe tres illae, quas dixi, Hellenismus, Iudaismus, Samaritismus cum suis 8 partibus coniunctae summam conficiunt. Unde subductis recte omnibus 17 duntaxat ante Christum, universe vero 77 Haereses, non 80 numerantur. Praeterea 20 priorum Haereseon alium in Epistola ad Acacium et Paulum Presbyteros, et in Ancephalaeosi, quam in ipso decursu Operis, ordinem instituit. Utrumque nos in sequenti Tabula proposuimus.

	20 priorum Haereseon ordo in Anacephal.	
	1	Barbarismus
	2	Scythismus
	3	Hellenismus
	4	Iudaismus
	5	Samaritismus
Hellenismi	6	Pythagorei
Hellenismi	7	Platonici
Hellenismi	8	Stoici
Hellenismi	9	Epicurei
Samaritismi	10	Gortheni
Samaritismi	11	Sebuaei
Samaritismi	12	Esseni
Samaritismi	13	Dosithei
Iudaismi	14	Scribae
Iudaismi	15	Pharisaei
Iudaismi	16	Sadducaei
Iudaismi	17	Hemerobaptistae
Iudaismi	18	Ossaei
Iudaismi	19	Nazaraei
Iudaismi	20	Herodiani

	20 priorum Haereseon ordo ex Opere Panarii	
	1	Barbarismus
	2	Scythismus
	3	Hellenismus
	4	Iudaismus
Hellenismi	5	Stoici
Hellenismi	6	Platonici
Hellenismi	7	Pythagorei
Hellenismi	8	Epicurei
	9	Samaritae
	10	Esseni
	11	Sebuaei
	12	Gortheni
	13	Dosithei
Iudaismi	14	Sadducaei
Iudaismi	15	Scribae
Iudaismi	16	Pharisaei
Iudaismi	17	Hemerobaptistae
Iudaismi	18	Nazaraei
Iudaismi	19	Osseni
Iudaismi	20	Herodiani

In posteriori serie Stoici ante caeteras Philosophorum sectas collocantur; aliter atque in priori fecerat, quae longe hac in parte tolerabilior est. Hinc est, quod Stoicorum secta *τρίτη ἀπὸ Ἑλληνισμοῦ* sit inscripta. Nam tertium ab Hellenismo locum habet in serie, ut Platonici quartum, atque ita deinceps; non ut in inscriptione Latina est; *tertia Hellenismi secta:* pro quo scribe: *tertia ab Hellenismo secta.*

AD TOTIUS OPERIS PRAELUDIUM. 4

2 c. *Ἄφατα γάρ ἐστι καὶ φατὰ*] Expungo posteriores hasce voculas, quae sententiam infuscant, *καὶ φατά*. Dixit quidem Hesiodus initio *Ἔργων*,

Ὅν τε διὰ βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς, ἄφατοί τε φατοί τε
Ῥητοί τ' ἀῤῥήτοί τε.

sed alio sensu, quam ut huic loco congruat. Nam hoc unum Epiphanius significat, se non omnia complecti hoc in Opere cupere, cum innumerabilia sint, nec oratione comprehendi possint.

τουτέστι βασιλείας Οὐαλεντινιανοῦ] Est hic annus Christi 374, quo suum opus aggressus est Epiphanius; Gratiano III. et Equitio Coss. Valentinianus enim et Valens imperium auspicati sunt anno 364 bisextili; qui Ioviani et Varroniani Consulatu notatur in Fastis. Ideo annus utriusque 11 Christi est 374 Gratiani annos praetermisit, ut opinor, librarius. Quare substituendam est *καὶ Γρατιανοῦ ὀγδόου*. Gratianus Lupicino et Iovino Coss. ut author est Socrates 4, 10. Imperator et Augustus a Patre renunciatus est anno Christi 367. Itaque undecimus Valentiniani et Valentis est Gratiani octavus. In Manichaeorum Haeresi 66, 20 annos Gratiani commemorat. Quem in locum caetera reservamus.

οὐκ ἀθεεὶ διασκοπήσαντας] Hic coniecturae locus est. Nam de vitio constat. Scribe *διασκοπήσας τὰς ψήφους*: et *εἴσω παρελθεῖν*. Vel *διεσκόπησα τὰς ψήφους* et retinendum *εἰς ὅ*, Cum ad susceptum opus aggrediendum consentientia vestrum omnium suffragia viderem.

3 c. *Πάμφιλος*] Rei herbariae scriptores aliquot recenset, quorum plerosque Dioscorides in Praefatione commemorat, et Plin. l. 1. In his Pamphilus ille ipse videtur esse, de quo Suidas; qui inter caetera Georgicorum tres libros edidit, patria Amphipolita, vel Sicyonius, vel Nicopolita. Ex quo nonnulla passim excerpta leguntur in Constantini Geoponicis. Meminit et alicubi Photius.

καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ταραντινός] Citatur a Galeno in Libris de Compos. Medicam. *κατὰ τόπους καὶ γένη*: nec non et ab Athenaeo l. 3 Heraclides Tarentinus. Idem et Andreae Medici meminit.

Βᾶσσος ὁ Τύλιος] Tylus Messeniae urbs, quam nonnulli Oetylum vocant, ait Strabo l. 8. Sed corrupta hoc loco vox est, legendumque ex Dioscoride *Βᾶσσος ὁ Ἰούλιος*.

καὶ Πετρώνιος Νίγερ] Dioscorides *Petronius Niger* coniunctim habet. Plinius vero *Petronium Diodotum* copulat, quasi eiusdem sint appellationes ambae.

5 a. *δι' ἐτῶν δισχιλίων*] Non igitur vulgatam in nostris Editionibus LXX Seniorum rationem secutus est, annorum 1242, sed castigatam, ac germanam, quae ad priorem annos addit 20. Magna iam tum olim Graecorum exemplarium non cum Hebraeis Latinisque modo, sed secum etiam discordia fuit. De priori disserit Augustinus de Civit. Dei 15, 13 Hieron. Quaest. Hebr. aliique maxime recentiores. De posteriori vide Eusebii excerpta Chronologica; ubi varie annorum summa concipitur. Ac propter immanem absurditatem, quae ex Mathusalem annis oritur, animus est ad numerorum emendationem adiectus. Nam si LXX Interpretum communem editionem sequare, quae annos Mathusalemo ante genitum Lamechum arrogat 167, Lamecho vero 188, confient additis Noëmi sexcentis, anni ante Diluvium 955. Vixit autem Mathusalem in totum annos 969. Igitur 14 annis post Diluvium superfuit; quod est ineptum. Quare Africanus Mathusalem annos ante Lamechum susceptum tribuit 185, qui ad Lamechi Noëmique totidem, quot proxime numeravimus, adiuncti summam conficiunt annorum 972. Itaque tribus, quatuorve annis Diluvium mors illius antecessit. At vero idem Africanus ab Orbe condito ad Diluvium annos colligit 2267. Quippe Enos 195 confert, cum LXX duntaxat 190 numerent. Subtractis quinque illis superfluis, crediderim in reliquis Epiphanium Africani, sive LXX apud Africanum Interpretum calculum secutum annos computasse 2262.

5 c. *ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἀραράτ*] Chaldaeus Cordu, id est *Γορδιαῖος*. Iosephus 1, 4 *ἀποβατήριον τὸν τόπον τοῦτον Ἀρμένιοι καλοῦσι*. Mox Berossum Chaldaeum citat: *λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι*. Item ex Nicolao Damasceno: *ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ Ἀρμενίαν βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι*. Franciscus Iunius pro *Βάρις* rescribendum exi-

stimat *Λούβαρις:* a quo non abhorreo. Sed idem solennia delirat, cum Lubar Armenio et Aegyptiaco sermone dicit idem esse atque *ἀποβατικὸν*, sive *ἀποβατήριον:* id est locum editissimum, ex quo descensus patet, a verbo *Labar,* descendere. Unde et *Labarum,* et *Labra* apud Epiphanium in Ariomanitis. Sed de Labra, caeterisque nugis dicemus ad illum Epiphanii locum. Quod quidem ad praesens negotium attinet, *ἀποβατήριον* Iosepho nuncupatur locus ille, in quo Noëmus *τὴν ἀπόβασιν,* hoc est exscensionem, ex arca fecit: sive quod ibidem *τὰ ἀποβατήρια* sacra persolvit. Haec enim vis est horum vocabulorum, *ἀποβατήρια, διαβατήρια,* et caeterorum. Valde igitur aberrat Iunius cum *ἀποβατήριον* interpretatur arduum, et excelsum, ex quo descendere oporteat: quod a Graecae vocis usu alienum et absonum est.

οὐ γὰρ ἔτι ἐμφαίνει] Putidissimi Iudaei Noëmum a Chamo exsectum nugantur: ut inter alios R. Selomo, qui et alia quaedam adiicit nefanda, et *ἄῤῥητα.*

6 d. *ἔνθα που ἐπελέξαντο*] Fortasse *τόπον ἐπελέξαντο.*

ἦν δὲ τοῦτο πάλαι Ἀσσυρίων] Ager Sennaar, et Babylon ipsa primum, inquit, ad Assyrios pertinuit. Respexit autem ad id, quod Genes. 10, 11, legitur: *De terra illa* (Sennaar) *egressus est Assur, et aedificavit Ninivem, et plateas civitatis, et Chale.* Verum *Assur* quidam proprium esse nomen existimant: ut R. Selomo, qui se ab impiorum consuetudine ac convictu segregarit: eundemque Aben Ezra Iapheth filium extitisse memorat. Equidem Assur hoc loco de Assyrio populo, vel Nino 6
ipso regni Assyrii conditore, libentius interpretor. Eodem porro spectare videtur quod est apud Esaiam 23, 13. *Ecce terra Chaldaeorum: talis populus non fuit: Assur fundavit eam. In captivitatem traduxerunt robustos eius: suffoderunt domus eius: posuerunt eam in ruinam.* Sed Hebraïca aliam sententiam praeferunt: *Iste populus non erat illic olim. Assur fundavit eam navibus;* vel, ut alii, *deserti incolis; qui erexerunt arces illius. Sed* (Chaldaei) *contriverunt palatia illius,* etc. Quod ita R. David exponit. Non est mirum, aut incredibile, quod de Tyri eversione praedicitur. Ecce tibi Babylon, et Chaldaea ipsa non eosdem semper incolas habuit; sed et ipsa vicissitudinem est experta. Nam Chaldaeorum populus olim ibi sedem non habuit:

sed Assyrii principio tenuerunt, et in ea urbes excitarunt. Tum Chaldaei pulsis Assyriis occuparunt, qui a Chasad Nachoris filio oriundi, ait Kimchius, ex Gen. 22, 21. Haec ex Hebraeis, quanquam aliter Aben Ezra, et ex Latinis Hieronymus. Nam LXX diversi prorsus abeunt. Ex iis colligitur Assyrios olim tenuisse Babylonem. Ac nonnullis placet Sennacheribi maiores Babylonem invasisse; propterea quod l. 4 Re. c. 17, 24 rex Assyriorum Sennacherib de Babylone, et de Cutha, caeterisque regionibus incolas Samariam transtulerit. Sane Babyloniorum rex Assyrius in Scripturis interdum vocatur, et Babyloniam sub Assyria fuisse comprehensam authores sunt Geographi.

ἐπωνομάσθησαν πάντες] Scytharum nominis origo ab Hebraïca voce שוּת, cum puncto semol, quod est *declinare, errare*. Potest et a שוּת cum puncto dextro derivari, quod *discurrere et obambulare* significat. Utraque notio Scytharum moribus apprime congruit: quos *πλάνητας* errabundos, et *ἀμαξοβίους* fuisse constat. Sed ea vocabuli ratio, quam Epiphanius affert, quod scilicet *ἀπὸ τοῦ κλίματος τοῦ πρὸς Εὐρώπην εἰς Ἀσίαν* declinaverint, non valde mihi probatur. Neque enim verum puto, Scytharum nomine priscos illos insignitos, qui post Diluvium turrim illam architectati sunt. Etymologicon magnum *σκύζεσθαι*, quod est irasci, et supercilium contrahere, *παρὰ τοὺς Σκύθας* nominatum scribit: quoniam iracundi Scythae. An potius *Σκύθας* Graeci *ἀπὸ τοῦ σκύζεσθαι* deduxerunt?

καὶ ἀπὸ μιᾶς εἰς ἑβδομήκοντα δύο] De eadem linguarum gentiumque distributione agit Haer. 39 quae est Sethianorum: ubi et 72 linguas totidem, quot *κεφαλαιῶται* erant, et authores stirpis, effloruisse dicit. Vulgatus est hic matricum linguarum, populorumque numerus, de quo certatim Chronologi disputant. Quorum quidem ratio mihi non satis explorata certaque videtur: non modo quod Graeci codices a Latinis et Hebraeis in numero dissident: sed etiam, quod plerique *κεφαλαιῶται* cum posteris suis ac filiis in numerum censentur. Non est autem credibile distinctum ab iis populum ac linguam illos constituisse. Certe enim Heber a Phaleg lingua diversus non fuit; ut etiam Augustinus existimat. Deinde Chananaei omnes populi idioma commune sortiti sunt. Itaque labat illa 72 lin-
7 guarum partitio. Sed nec in eo laborare admodum necesse est,

ut totidem illis nationibus domicilium cuique suum, ac regionem assignemus. In quo multi nominum similitudines nimis ambitiose consectantur. Est enim verisimile plerosque finibus iis, quos occuparant, relictis, ac sedibus, alio sese contulisse. Nam quod Moyses narrat, ab iis propagatas esse nationes omnes, non sic accipiendum est, ut eas per sese primum, *καὶ ἀμέσως* regiones insederint, atque in earum possessionem pedem ipsi posuerint, sed ut eo saltem illorum posteri commigrarint. Verum haec discutere longioris et operae, et alterius instituti fuerit.

7 a. *Ψοῦς τὰ Ἀξιωμιατικά*] Mendose pro *Ἀξουμιτικὰ*, ut est in Sethianorum Haeresi. Nec minus emendandum *ψοὺς*, pro quo *φούθ* legendum, sive ut est Esaiae 71, 19 פול *φούλ*. De Axumitis alius erit dicendi locus.

Ῥεγμᾶ, καὶ Σαβᾶ, καθᾶ] Corr. *Σαβαθακὰ*, qui inter filios Chus recensetur. Pro *ἐλοὺδ*, fortasse *Λούδ*. Quippe *Λουδιεὶμ* inter filios Mestraim numerantur.

7 b. *τὰ πρὸς τῇ Γαράμιων χώρᾳ*] An *Ἀράβων*? an potius *Γαραμάντων*. Nam haec vicina sunt nomina. Est qui Regamam Ptolemaei, quae est in Arabia felice, ad Regma transferat: de qua Ezech. 27, 22 רעמה ורעמה.

7 c. *Νεβρωὴθ γὰρ βασιλεύει*] Quem plerique omnes Chronologi, imo et antiqui Patres, Belum fuisse censent, Babylonis conditorem. Huius filium Assur Epiphanius facit: quem quidem Ninum fuisse par est, si Nembroth idem cum Belo fuerit. Et eadem utrobique colligendi ratio. Nam Belus Babylonem extruxit, et Ninus Ninivem. Atqui priorem a Nembroth, posteriorem ab Assur civitatem conditam Moyses affirmat. Verum Assur Genes. 10, 11 gentis nomen esse, non viri proprium existimant alii; quibus libenter subscripserim. Sed haec Annalium, ac Chronologiarum paginas implent, nec sunt pluribus hoc loco disceptanda.

τούτου ἡ βασιλεία Ὀρὲχ] Pro *Ἀρφὰλ* LXX *Ἀρχὰδ*, Hebraei אבר.

κτίζει δὲ καὶ τὴν Θειράς] Nescio unde haec expiscatus sit, quae in Geneseos 10 illo capite non leguntur. Ubi hoc duntaxat habetur: Principium regni Nembroth fuisse Babylonem, *καὶ Ὀρὲχ, καὶ Ἀρχὰδ, καὶ Χαλάννη* in terra Sennaar. Unde Assur egressus *ᾠκοδόμησε τὴν Νινευὶ, καὶ τὴν Ῥωβωὴθ πό-*

λιν, καὶ τὴν Χαλάχ. Pro Ῥοωβὼθ πόλιν, Hebraice scriptum est רחוב עיר quod Hieronymus vertit, *plateas civitatis*, et pro appellativo habuit, quod Graeci proprium fecerant. Intelligit autem urbis Ninives plateas, quas Ninus extruxerit. De Epiphanio quid dicam aliud occurrit nihil, nisi voces istas, Θειρὰς, et Θόβελ alienum in locum translatas esse. Nam Thiras, et Thubal inter laphethi posteros numerantur com. 2 *Thubal, et Mosoch, et Thiras.* Fortassis enim cum Regma, Sabatacha, caeterisque, quosdam alios recensuit Epiphanius, et inter illos Thubal, et Thiras. Nisi haec coniectura placeat, pro Θειρὰς, et Θόβελ, ac Λόβος propria urbium illarum nomina substituenda sunt, quas Assur aedificavit. Certe in Λόβος vestigium quoddam apparet vocabuli Ῥοωβὼθ, et in Thiras vocis עיר, quae civitatem significat. Unde ita depravari vox ista potuit Ῥοωβωθίρα.

7 d. οὐ πολὺ δὲ ἀλλήλων τῷ χρόνῳ διεστήκασι] Bactrianorum rex ille, quocum Ninus conflixit, Oxyartes a Dio-
8 doro vocatur; a Iustino, Arnobio, ac caeteris Zoroastres. Neque dissentit Plinius, ut Scaligero videtur. Neque enim dubitat ille, sitne Magus idem eum rege Bactriano, sed utrum unus hic fuerit, an et alius postea: quod Salianus noster recte in Annalibus animadvertit. Vanissima Magorum natio Zoroastrem illum antiquissimum putat; utpote qui Troianum excidium quinque annorum milibus antecesserit, ut Plinius, et Plutar. Tract. de Iside testantur. Apud Laertium Xanthus Lydius sexcentis duntaxat annis ante Xerxis διάβασιν extitisse Zoroastren asseverat. Unde merito plures eiusdem nominis fuisse suspicatur Scaliger.

τὸν σεροὺχ τὸν ἑρμηνευόμενον ἐρεθισμὸν] Variae sunt apud Epiphanium Hebraeorum nominum origines, et interpretationes partim obscurae, partim subabsurdae. Multa enim vel eruditissimis per imprudentiam excidunt. Neque propterea Hebraismi fuit imperitus Epiphanius, quem Graecae, Syrae, Hebraeae, Aegyptiacae, et ex parte Latinae linguae scientem fuisse confirmat Hieron. Apol. 2 contra Ruff. quem argute bilinguem nominat, quod Graece Latineque nosset. Inter falsas originationes haec ipsa vocabuli Serug interpretatio a Calvinista quodam profertur, cum aliquot aliis; ut cum caeteros Patres erroris haud expertes fuisse colligat; tum vel imprimis Epiphanium in explicandis nominibus aberrasse. Nos de reliquis, quae in

hoc Scriptore notat, sparsim, ac suo loco viderimus. Quod ad praesens vocabulum spectat, male ab Epiphanio putat *σερουχ ἐρεθισμὸν* verti: cum ita scribendum sit hoc nomen, *σερουγ*, et *propaginem*, non irritationem significet. Haec ille. Verum purgandi hoc quidem loco Epiphanii facilis est et explicata ratio. Primum enim *σερουχ*, non *σερουγ* scribendum illi fuit, cum priore modo LXX conceperint. Et fieri potest, ut Hebraice quoque saltem aliquot in exemplaribus סרוח non שרוג lectum sit: ex quo Graece *σερουχ* ediderunt LXX. Nam ח per *χ* plerunque reddi solet: ut in נחור et חם, *Nachor*, et *Cham*. Utcunque vero scriptum extiterit, potest commoda aliqua interpretatione Epiphanii glossema defendi. Imprimis שרג *perplexum esse*, atque *intricatum* significat: unde שרוז *propago*, non שרוג, ut Calvinistae placuit. Quare perperam et ipse *σερουγ*, sive שרוג *propaginem* vertit; cum ratio postulet, ut sit *intricatus*, et *perplexus*. Et quoniam quae eiusmodi sunt, hoc est implicata et perplexa, tricis suis *ἐρεθίζειν*, provocare, atque irritare solent, inde fortasse שרוג *τὸ ἐρεθίζον*, vel *ἐρεθισμὸς* dicitur, ex reconditiore lingua. Non enim omnes omnium vocum potestates in sacris literis expressae sunt. Sin est ut סרוח LXX in Hebraeo repererint, qui *σερουχ* scripserunt; bellissime ad hunc modum quadrabit. סרח Chaldaeis, et Rabbinis est perverse agere Sam. 2, 19 de Semei סרח רי *perverse egit, rebellavit*. Hinc סורחן *iniquitas, peccatum, rebellio:* סורחין rebelles. Vide Eliam in Thisbi. Indidemque *σερουχ*, hoc est a rebellione, contumacia et *ἐρεθισμῷ*. Eadem vox Hebraïce idem est ac superfluum esse, redundare, quod et aliam eiusdem notionis originem indicat: quasi sit, *ἐκ περιουσίας ὑβρίζειν*, lasçivire, et insultare ac procaciter irritare. Est illa vero Epiphanii interpretatio longe probabilior, quam quae apud Hieron. Lib. de Nom. Hebr. legitur: ut sit *corrigia, vel perfectus*. Nam שרוך non שרוג corrigiam sonat: unde Seruc, *σερουκ*, non Serug legendum esset. Quanquam litera caph in fine cum Raphe aspirate pronunciatur: ideo Graece *σερουχ*. An ita in Hebraeo legerat Hieron. aut LXX Seniores divinare non libet. Alterum 9
glossema, quod addit Hieronymus, nempe *perfectus*, non capio, neque ad rem pertinere puto. Quis autem nesciat multa Hebraeorum vocabula, quod aliter Graece perscripta essent, et ab

origine detorta, doctissimis interdum Patribus fraudi fuisse, minus ut rectas illis significationes affingerent? Exemplo sit quod cum haec scriberemus fortuito nobis occurrit. Idem Hieron. Epist. ad Ageruch. *Noëmi*, cuius in Libro Ruth historia commemoratur, *consolationem* interpretatur, quod Hebraice est נעמי a נעם, non a נחם.

καὶ ἤρξατο εἰς ἀνθρώπους] Hausit haec ex Eusebii Chronico, quae in Graeca editione Scaligeriana leguntur, pag. 13. Sed ibi Iaphethi non Semi filius Seruch dicitur, ut etiam apud Suidam in vocabulo *σερούχ*, ubi eadem fere declarantur. Quin et illud contra atque Eusebius scripsit, ab Epiphanio subiungitur: nondum aetate Seruch lapides, ligneave simulacra, aut aurea argenteave fabricata, sed in picturis, et coloribus omnem, ut Tertullianus loquitur, Idololatriae paraturam constitisse. Eusebius vero: *αὐτὸς γὰρ*, inquit, *καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τοὺς πάλαι γενομένους ἢ πολεμιστὰς, ἢ ἡγεμόνας, καί τι πράξαντας ἀνδρίας, ἢ ἀρετῆς ἄξιον ἐν τῷ βίῳ τοῦ μνημονεύεσθαι, καὶ ὡς ὄντας αὐτῶν προπάτορας ἀνδριάσι στηλῶν ἐτίμησαν*. Quae fortassis in concordiam redigi ita possunt, ut Epiphanius Idola, ac simulacra duntaxat affabre facta, et caelaturis effigiata per illud tempus extitisse neget; non autem informes truncos, aut lapides, sive columnas: de quibus Eusebius accipiendus est, cum eas vocat *ἀνδριάντας στηλῶν*. Ab iis enim rudibus, et impolitis statuis, et columnis Idololatria coepit. Clem. Alex. Strom. 1. *Πρίν γ' οὖν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ*. Quod ad eius columnae, quae Israëlitis in solitudine praeibat, imitationem expressisse Daemomones ibidem disputat. Sic Athenienses pro foribus columellas, et obeliscos Apollini consecrabant, quem *ἀγυιέα* vocabant. Aristoph. scholia ad *Σφῆκας*. *ἀγυιεὺς κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν· ἰδίους δέ φασιν αὐτοὺς εἶναι Ἀπόλλωνος, οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν*. Hi sunt *θυραῖοι*, et *ἀντήλιοι θεοί*. Tertul. Apolog. *Etiam apud Graecos Apollinem θυραῖον, et Antelios Daemones ostiorum praesides legimus*. Hesychius, *ἀντήλιοι θεοὶ οἱ πρὸ τῶν θυρῶν ἱδρυμένοι*. Est igitur propius vero, informes illas moles initio pro Diis erectas. Tum paulatim artem ac *διάρθρωσιν* accessisse, au-

thore, ut ferunt, Daedalo. De quo Themistius Orat. 15: ac demum expressas coloribus imagines, et picturas: licet contra sentiat Epiphonius.

8 a. *περιέστη δὲ ὁ ἀγὼν*] Scrib. ut est in Regio, *αἰὼν*. Ab Adamo ad Thare 20 *γενεαὶ* sunt, quia Cainan in numerum venit. Eae colligunt, ut hic Epiphanius indicat, annos 3332. Reipsa autem, ex LXX Seniorum editione, annos 3364. Ab Adamo ad Diluvium supra numerati sunt 2262. Hinc ad Thare ortum anni sunt 1102. Fiunt anni 3364. Quare annis minus 32 dixit Epiphanius. Vide sequentem numerum.

8 b. *ἐξότε Θάῤῥα*] Suidas in *σεροὺχ*, *ἐντεῦθεν εἰσήχθη ἡ πολυθεΐα, καὶ ἡ εἰδωλολατρεία. τοῦτο δὲ διέμεινε παρ' αὐτοῖς μέχρι τῶν χρόνων Θάῤῥα τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ. ἦν γὰρ ἀγαλματοποιὸς, ἀπὸ διαφόρων ὑλῶν εἰκόνας ἐργαζόμενος* etc.

καὶ μετέπειτα ἐθεοποιήσαντο] Haud absimilem Idolorum, eorumque cultus originem disce ex Lib. Sapientiae c. 14. Lactantio 1, 14.

8 c. *ἔπειτα δὲ ἀκινάκην σέβοντες*] Martem imprimis coluere Scythae, cuius effigies erat acinaces ferreus, ait Herodotus l. 4. Huic templum ex virgultorum fasciculis extruebant, ubi et captivos mactabant. Sed quoniam in eum Herodoti locum incidimus, obiter hic a nobis emendandus atque illustrandus erit. Cum templum illud describit 4, 62 ait sarmentorum ab illis fasces comportari, exaggerarique *ἐπὶ σταδίους τρεῖς μῆκος, καὶ εὖρος· ὕψος δὲ ἔλασσον; longitudinis ad stadia tria; totidem latitudinis; altitudo vero minor.* Nonne otiosum est admonere minorem tribus stadiis altitudinem fuisse? Quis tam alte erectum cumulum suspicari posset? Plane igitur mendosus hic locus est, et pedum cubitorumve certus deest modus, quo minorem fuisse exaggerationem illam scripserat. Ad haec paulo ante, cum sacrificiorum rationem explicat, ac quemadmodum hostias immolarent, quaedam leguntur partim ab Interpretibus ignorata, partim corrupta. *τὸ μὲν ἱρήϊον αὐτὸ ἐμπεποδισμένον τοὺς δύο πόδας τοὺς ἐμπροσθίους ἕστηκε· ὁ δὲ θύων ὄπισθεν τοῦ κτήνεος ἑστὼς, σπάσας τὴν ἀρχὴν τοῦ στρόφου καταβάλλει μιν· πίπτοντος δὲ τοῦ ἱρηΐου ἐπικαλέει τὸν θεὸν, τῷ ἂν θύῃ· καὶ ἔπειτα βρόχῳ περιὼν*

ἔβαλε τὸν αὐχένα. Victima ipsa primoribus alligata pedibus sistitur. Cuius a tergo stans sacrificulus, funis extremum trahens pecudem prosternit. Mox ea cadente Deum illum nominatim invocat, cui sacra facit. Inde laqueo collum circundat. Haec verba *σπάσας τὴν ἀρχὴν τοῦ στρόφου* Laurentius perperam vertit: *amota imprimis infula.* Ista vero *περιὼν ἔβαλε τὸν αὐχένα* vitiosa sunt. Scribe *περὶ ὧν ἔβαλε* pro *περιέβαλε*, quod Ionicum est. Sic alibi *κατ' ὧν ἐκάλυψε*, et *κατά με ἐφάρμαξας*. De Acinace vide Alexandrinum Clementem in Protreptico, Lucianum in Toxari.

ἐξ οὗ τὸ γένος κατάγεται Φρυγῶν] A Thracibus originem traxere Phryges. Dardanus certe primum in Samothracia consedit: unde in Phrygiam traiecit. Sed et a Moesis, vel Mysis Europeis Mysos Asiaticos propagatos asserunt. Diserte id ipsum Strabo l. 10 *καὶ οὐκ ἀπεικός γε, ὥσπερ αὐτοὶ οἱ Φρύγες Θρᾳκῶν ἄποικοί εἰσι, οὕτω καὶ τὰ ἱερὰ ἐκεῖθεν μετενηνέχθαι.*

8 d. *μετηνέχθη δὲ ταῦτα εἰς Ἕλληνας*] Euseb. in Chronico A. 464. *Primus Cecrops bovem immolans Iovem appellavit.*

καὶ ἦν μὲν κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν] Abraamum anno Nini 43 natum esse docuit in Chronicis Eusebius, idque posteris omnibus persuasit. Nam nemo est veterum post Eusebium, qui non pro certo id habuerit, ac tanquam *ἀναπόδεικτον ἀρχὴν* Chronologiae suae praefixerit. Sed in digerendis Assyriorum, ac Medorum intervallis variat Eusebius. In posteriore Chronicorum Libro, qui annos expansos complectitur, ab ortu Abraami, quem vult esse Nini 43, ad Sardanapali mortem anni sunt 696. Additis Nini 42, qui Abraami natalem antecedunt, et Beli 65 (Alibi 55 idem author numerat), confiunt anni 803 quibus Assyriorum Monarchia tenuit. Sequuntur Medi: quibus annos imputat 260. Itaque Cyri ac Persarum initium ponit numero 957. Hic Scaliger nullum insectandi Eusebii finem facit, eique pene omnibus paginis insolenter illudit. Accusationis caput est, quod Assyriorum Reges aliquot praeterierit, et de annis illorum detraxerit. Cum enim ex Africano Regum illorum seriem, et annos uniuscuiusque descripserit, apud Africanum vero Reges numerentur 41, iisdemque mille quadrin-

genti octoginta quatuor anni tribuantur, Eusebius 4 Reges, annos 162 expunxit. Tum aliis rursum annis detractis, eo calculum perduxit, ut mille circiter ac trecentis annis Assyriorum imperium circunscriberet. Quod eo animo fecisse putat Scaliger ut ad institutum suum ac *πρόληψιν* Regum illorum tempora dirigeret. Quamobrem immanis hic est Anachronismus Eusebii, si Scaligero creditur, ex quo factum est ut anno Nini 43 natalem Abraami posuerit; cum ad Beluchi 31 reiiciendus fuerit, qui est a 43 Nini fere 259. Sed vanissima est haec Scaligeriana ratio; ex qua perabsurdum illud sequitur, Assyriorum regum initium ante Diluvium extitisse. Mundum enim creatum existimat anno Per. Iul. 764, a quo ad Christi Natalem Dionysianum, qui anno eiusdem Periodi 4713 convenit, anni sunt 3950. Idem porro Sardanapali necem et Assyriorum finem in annum coniicit Periodi Iul. 3840, qui est mundi 3077. Rursus Diluvium accidit, ut ille putat, anno mundi 1657. Quibus de 3077 detractis, reliqui sunt 1420. Atqui regnatum est ab Assyriis annos 1484. Igitur anno ante Diluvium 64 Belus imperium adiit. Nullum hic Proleptici temporis methodus locum habere potest: ubi historica veritas, ac verorum regum, verique imperii tempus exquiritur. Quid enim peccavit Eusebius, qui eos annos omisit, ex quibus absurditatis tantum sequebatur? An non Ctesiam, Diodorum, alios denique, quam Africanum authores habere potuit, ex quibus numerum illum Regum Assyriorum conficeret? Sane Diodorus, quem Euseb. l. 1 Chron. pag. 29 Edit. Graecae profert, Sardanapalum a Nino quintum ac tricesimum numerat. Ita fiunt additis Nino ac Belo, Reges 37, quot Eusebius percensuit. Quod si quatuor illi Reges ab Eusebio praetermissi, nihilo secius intrudendi fuerant, intererat eius, qui ludibrium vereretur, de singulorum saltem spatiis aliquot annos deducere, ut Assyriorum primordia intra Diluvii metas continerentur. 11

Nos ut obscurissimi vetustissimique imperii vestigia persequamur, certam epocham deligemus, de qua apud omnes ferme Chronologos constet. Ea est Cyri ac Persici regni: cuius initium omnes statuunt Olymp. 55 anno primo. Coepit haec Olympias, ut alias ostendetur, anno Per. Iul. 4154. Quare vel hoc ipso anno, vel sequenti, labente scilicet Olymp. anno primo,

Persarum imperium iniit. Nos certis de caussis annum 4155 Cyri exordio praefinimus. Iam vero Medis, qui Persas antecesserunt, annos cum Diodoro et Ctesia imputamus 317. Quare illorum initium convenit anno Per. Iul. 3838. Mundus, ut opinio fert nostra, conditus est Per. Iul. 730 autumno, siquidem ad Dionysianum Christi Natalem annos ab orbe condito putamus fere 3483. Accidit itaque Diluvium anno Per. Iul. 2386, Mundi 1656. A quo ad Persarum exordium anni colliguntur 1769, ad Medorum, 1452. Quocirca si, ut Diodoro et Eusebio placuit, Assyriorum imperium ad annos 1300 propagatum est, merito Beli a nobis initium statuitur anno post Diluvium 153, mundi 1809, Periodi Iulianae 2539. Indidem vero consequens est annum primum Beli natalem Abraami praecedere annis 140; si annos Belo quinque et sexagenos attribuas. Abraamum denique non anno Nini 43, sed Semiramidis 23 natum esse: cum eius ortus incidat in annum a Diluvio 292; Periodi Iul. 2678,
12 mundi 1948. Haec de Assyriorum intervallo et initio proponenda modo, alibi probanda nobis erunt.

Αἰγυπτίων τε ὀκτωκαιδεκάτη] Longissima de Aegyptiorum Dynastiis, deque Scaligeri in Eusebium intemperantia disputatio hoc loco institui poterat. Nam et hic quoque Proleptici temporis, commentitiarumque Dynastiarum methodus vestigia omnia veritatis permiscuit. Sed Animadversionum nos brevitas libare ista leviter admonet, neque vehementius ad eas quaestiones incumbere. Dynastias Aegyptiorum ex Manethone Africanus unam et triginta commemoravit, quibus annos assignat 5354. Ab eo diversissimus est Eusebius tam in Dynastiarum ordine, quam in annorum summa. Propterea odiose hominem insectatur Scaliger, et Manethonis Dynastiis omnibus explicatis, earum caput ultra Mundi primordia longissime promovet. Quod ad fabularum institutum opportunum, ad historiae veritatem indagandam frivolum ac ridiculum est. Non enim mediocris ineptiae est, hisce nugis ac quisquiliis locum in historia Chronologiaque tribuere, atque Eusebium propterea culpare, quod a fabulosis deliriis abstinens, certam inierit viam, qua haec ad historiam accommodaret. Quoniam igitur Aegyptiorum, uti diximus, initia obscurissima sunt, harum Dynastiarum novissima tempora consideremus, quorum historia certior, ut effusam fa-

bularum lasciviam quibusdam terminis ac limitibus coërceamus. Cambyses anno, ut author est Herodotus, regni sui quinto expugnavit Aegyptum, paulo post Amasidis obitum. Ad hoc tempus sex et viginti Dynastiae ab Africano numerantur: anni 5159. De Cambysis exordio dubitari non potest, cum et ex historia et ex Astronomicis observationibus apud Ptolemaeum liquidissime constet. Convenit autem anno Per. Iul. 4185. Ergo annus eius Imperii septimus coepit anno 4189, quem esse definimus Mundi 3459. A Diluvio ad hoc tempus anni decurrerunt 1803, quo spatio continenda Dynastiarum intervalla: quibus ab ortu Abraami ad Cambysis quintum Eusebius imputat annos 1491. Sed Abraamo nascente 16 Dynastiam inchoatam scribit; a quo discedit Epiphanius, qui 18 posuit. Ut eodem tempore, quo Assyriorum Monarchia coepit, Aegyptios regnasse dixerimus, cum illorum primordium circa annum a Diluvio 153 inciderit, detractis totidem annis ab intervallo, quod a Diluvio ad quintum Cambysis elapsum est, anni supererunt 1650 ab Aegyptiorum initio ad Cambysen usque, et Persarum in Aegypto dominatum, per Africani Dynastias, si lubet, dispensandi; quod otiosum ac nugacissimum est. Ad summam qui Aegyptiacarum originum historiam, veritatemque consequi studet, postulatitias illas Scaligeri Periodos, et omnem Dynastiarum pompam reiiciat necesse est, ac certis se annorum intervallis adstringat.

9 a. *οἱ ἐν Σικυῶνι δὲ μόνοι*] Ex eodem Eusebio sumpsit. Sed hoc parum fideliter, quod primum Sicyoniorum Regem facit Europem, cum sit apud Eusebium secundus. Nam primus est Aegialeus, qui annis 52 regnavit. Huic Europs successit, cuius anno 22 nascitur Abraamus. Antiquissimum hoc in Europa regnum fuit. Cuius in annis minime authores consentiunt. Sed parum admodum fere omnes absunt a millenis; quot Apollodorus apud Eusebium numerat. Huius regni si initium explorare volumus, eadem, qua supra, methodo, considerandus est finis. Postremus Sicyoniorum regum Zeuxippus fuit; cuius 13
post obitum Agamemnon regnum illud invasit: ita ut deinceps reges nulli proprii fuerint, sed Sacerdotes: tametsi post Zeuxippum Pausanias Hippolytum regnasse scribit, quo imperante Sicyoniis potitus est Agamemnon. Addit et Lacestadem regem; sub quo a Doriensibus Sicyonii subacti sunt. Constat igitur

propemodum sub Troianum excidium Sicyoniorum desiisse regnum. Tempus *ἁλώσεως* Troianae annus est in Per. Iul. 3530, mundi 2800, post Diluvium 1144. Quare cum Agamemnon 15 annos regnaverit, ex quibus 10 Troianae obsidioni decerpendi sunt, quinque primis Sicyonem expugnavit. Coepit autem Agamemnon, ut eodem anno desiisse fingamus, quo Troia est excisa, Per. Iul. 3516, Mundi 2786, post Diluvium 1130. Quare si anno regni primo Zeuxippum vicit, ac primi illi regum anni terminati sunt, affirmandum est Sicyoniorum imperium iniisse anno post Diluvium circiter 164, paulo post Assyriorum exordium. Ita falsum erit, quod Eusebius operis initio praefixit, ortum esse Patriarcham Europis anno 22, qui est ab initio regni Sicyonii 74. Nam centum prope ac triginta anni inter utramque epocham interiecti sunt.

9 b. *καὶ ἦν τῆς τοῦ κόσμου καταβολῆς*] In superiore numero ab orbis initio ad *εἰκοστὴν γενεὰν* numerabat annos 3332: cui summae duos et triginta deesse ad LXX Seniorum ratiocinia monuimus. Vicesima *γενεὰ*, quia Cainan comprehenditur, est Thare ortus; Abraami vero, 21. Ad hanc, anni sunt ex LXX, 3434, nempe additis Thare septuaginta, quot erat natus, cum Abraamum genuit. Ad Abraami porro circuncisionem anni fluxerunt 3532. Atqui Epiphanius ab Orbe condito ad Abraami 90, quo Circuncisionis praeceptum editum est, et Iudaismus occoepit, nonnisi 3432 annos enumerat. Aut igitur *πεντακόσια* pro *τετρακόσια* restituendum est: aut certe summam illam non ad Isaaci natalem, vel Circuncisionem Abraam, sed ipsius ortum Abraami perduxit, hoc est ad 21 ab Adamo *γενεάν*. Hoc si ita est, tum in viam redierit Epiphanius, et 30 fere illos annos restituerit, quos a superiore calculo abesse docuimus: nisi quod tres omnino anni desiderantur; quod nullius est momenti.

Σκυθισμὸς γὰρ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ] Ad Seruch, inquit, et turrim: quasi Babylonica turris Seruchi tempore sit extructa. Quod secundum Latinos defendi potest, Graecorum vero rationibus repugnat. Etenim Geneseos 10, 25, Heber Phalego filio nomen imposuit ab eventu: ***Quod in diebus eius divisa sit terra.*** Hoc partim Heberis ipsius tempore, paulo ante Phaleg ortum accidisse censent; partim sub Phaleg, et *in die-*

bus ipsius. Qui posteriorem sectam tenent, Heberem dicunt afflatu Prophetico praesensisse divisionem illam, quam post Phalegi ortum quamlibet longe, impune certe summovent. Tertius a Phalego Seruch est; qui anno apud Latinos aetatis 30 Nachorem genuit, cum Phaleg 92 ageret. Quare sub Serucho turris aedificari potuit. Verum hoc LXX Seniorum ratiocinia non ferunt. Nam ab ortu Phaleg ad Seruchum anni sunt apud Graecos 262. Vixit autem Phaleg annos non amplius 239. Non potest igitur sub Serucho excitata esse turris, si quidem 14
vivo adhuc Phalego, *et in diebus eius divisa sit terra.* Ideo *πλατυκῶς* Epiphanius dixit, *ἄχρι τοῦ πύργου, καὶ τοῦ Σερούχ*, quia secundum turris aedificationem Seruchi temporibus Idololatria grassata est.

Animadvertenda et hoc loco, et alibi sparsim constituta apud Epiphanium religionis ac sectarum progressio. Principio enim Barbarismum ab orbis initio ad Diluvium decurrisse putat. Inde ad ortum Seruchi Scythismum. A Serucho deinceps Hellenismus obtinuit. Tum Abraamiaeorum ab Abraamo secta. Exinde Iudaismus ab anno Patriarchae 99. Quae partitio maxime ob Scythismum fautorem me non habet. Neque enim fando unquam est auditum Noëmi posteros ante turrim conditam Scythas appellatos, aut aliis denique, quam Scythiae incolis, post nationum utique divortia, Scytharum vocabulum attributum. Hanc Epiphanio partitionem peperit arguta illa Pauli interpretâtio, ad Rom. 1, ubi Barbarorum, Scytharum, Graecorum, Iudaeorumque fit mentio. Sed quam alienus ab Epiphanii mente sit Apostoli locus ille, res ipsa loquitur.

9 c. *Ζεμβρὰν, καὶ Ἰέζαν*] Hebraice Iecsan LXX *Ἰεκτάν.* Mox *Ἐμμαδὲμ* corrupte apud Epiphanium pro *Μαδάν.* LXX *Μαδάλ.*

9 d. *ἐξ ὧν αἱ φυλαὶ*] De Sarracenorum *φυλαῖς* et *φυλάρχοις* frequens apud Procopium aliosque mentio.

10 a. *ἐξ οὗπερ πέμπτος*] De Iobi stirpe et origine non eadem fuit antiquorum opinio. Sed quam Epiphanius sequitur, ea communis, maximeque probabilis est: Iob eundem esse cum Iobab, de quo Genes. 36, 33. Quod in Editione LXX ad calcem Libri Iob adnotatum est, *ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραὰμ*, excluso scilicet Abraamo; ut Epiphanius interpreta-

tur. De quo vide cum alios, tum Salianum nostrum, qui de Iobi historia, ut et de caeteris, luculente eruditeque scripsit.

10 b. *ἐπὶ τὴν Μεσοποταμίαν φαδάν*] Mesopotamia פדן ארם *Padan Aram* appellatur Genes. 25 et 28. Sed quae sit altera Mesopotamia Susoba, nondum comperi, nec ulla eius nominis occurrit.

10 d. *ἐν ἑβδομήκοντα ψυχῶν*] Cor. *ψυχαῖς*. De numero dissident Hebraei Latinique Codices a LXX Senioribus; secundum quos Act. 7, 14 Stephanus 75 animas enumerat: quanquam iidem illi LXX Deuter. 10, 22, non plures animas quam septuaginta posuerunt. De hac Quaestione vide Hieron. in Tradit. et Augustin. Quaest. 152 in Genes. et de Civit. 16, 149.

11 a. *ἐν χρόνοις Μωϋσέως*] Prava interpunctio falsissimam sententiam hoc loco peperit: nempe quinta *γενεᾷ* utrobique tam in stirpe Levi, quam Iudae, Israëlitas ex Aegypto migrasse. Dixit enim paulo ante mansisse illos in Aegypto *γενεὰς πέντε*; quas deinde singillatim percenset. Atqui de sola id Levitica utcunque verum est; in Iudae stirpe falsum. Haec enim est utriusque series.

15

Iacob	
Levi	Iuda
Caath	Phares
Amram	Hesron
Moyses	Ram
	Aminadab
	Naasson

Aegyptum ingressus est Iacob, cum iam Caath nepotem ex Levi filio suscepisset. Quamobrem prius illud falsum est, *πέντε γενεὰς* in Aegypto commoratos Israëlis posteros, cum duae, aut ad summum tres duntaxat intercesserint. Posterius, quod ait quinta *γενεᾷ* liberatum esse populum, commoda interpretatione sic adiuvandum est, ut quintum caput per *γενεὰν* intelligat. Nam Moyses a Iacobo quintus est. Neutrum in stirpe Iudae procedere potest, siquidem Naasson a Iacobo septimus est. Ergo ita locum Epiphanii concipiemus: *ἐν χρόνοις Μωϋσέως καὶ Ναασσών· πέμπτῃ γενεᾷ κατὰ τὸν Λευὶ ἐξεισιν,*

etc. *Quinta generatione duntaxat in serie Levi.* Quod adiiciendum ideo fuit, quia ambas inter se familias permiscuerat. Ad eumque modum corrigenda et Interpretatio nostra.

Huc illa celebris, et a Chronologis vexata quaestio pertinet, quot annos in Aegypto Israëlitae permanserint: quam ne attingam hoc loco cum eorum, a quibus est tractata, diligentia et copia, tum instituta notarum brevitas hortatur.

ἦν δὲ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ] Veteribus ante Eusebium omnibus persuasissimum erat Moysis *σύγχρονον* Inachum fuisse, ut Iosepho, Clementi, Tatiano, caeteris denique. Quorum quidem errorem castigavit Eusebius, et Inachum ante Israëlitarum migrationem annis ferme 346 extitisse docuit. Quare vehementer miror, Epiphanium, qui Eusebium in omnibus, quae ad temporum rationem attinent, perpetuo sequitur, ibi, ubi minime oportuit, ab eius authoritate descivisse, ac falsam Veterum opinionem veritati praetulisse. Atque ut verum Inachi et Argivorum regni initium eruatur, huius extrema tempora perscrutanda sunt, atque in termino aliquo defigendus est gradus, unde ad anteriora progredi liceat. Duae apud Eusebium Dynastiae in eiusdem propemodum regni successione ponuntur: Argivorum una Regum, Mycenaeorum altera. Argivorum Regum series ab Inacho coepta ad Acrisium usque perducta est; quanquam Inachi stirpem ac familiam Sthenelus claudit: quo mortuo in Danaum peregrinum atque Aegyptium ius est ab Argivis imperii translatum. Deinceps a Danao ad Acrisium propagata successio est. Quem cum Perseus nepos per imprudentiam occidisset, Mycenas sese contulit, ubi vel ab ipso, vel ab eius filio Sthenelo continuatum est Argivorum regnum, et Mycenaeum appellatum. Ultimus Regum istorum, cuius quidem rationem Eusebius habeat, Agamemnon fuit: quo interempto Mycenaeorum regnum in secundo Chronico terminatur anno eodem, quo excidium Troianum accidit. Vide Pausaniam Corinthiacis. Iam Argivorum, Mycenaeorumque Regum successio, annique quibus imperarunt, varie ab Eusebio traduntur in utroque Chronic. 16
l. 20. Nam in posteriore ab exordio Inachi ad Troianam *ἅλωσιν* anni numerantur 675, in priori 655. Secundum posterioris Libri ratiocinia, quem praecipue sequimur, cum Troianum excidium congruat anno Periodi Iul. 3530, Mundi 2800,

Inachus anno ante hunc sexcentesimo septuagesimo quarto coepit Periodi Iul. 2856, Mundi 2126; post Diluvium 471, post Abraami ortum 179. Cumque Israëlitae anno Per. Iul. 3183, Mundi 2453 ex Aegypto migraverint, Inachi primordium Moysis principatum antecedit annis fere 325. Tantum veterum Scriptorum et Epiphanii Chronologia a veris temporum rationibus aberrat.

οὗ θυγάτηρ Ἰώ] Haec ex Eusebii Chronicis interpolata sunt. Eusebius ad annum 160 haec notat: ***Inachi filio Io, quam Aegyptii mutato nomine Isidem colunt. A patre Inacho Inachus fluvius apud Argos. A filia Ione Bosporus nuncupatur.*** At anno 481. *Io*, inquit, ***Iasi filiae Iupiter mixtus est: qua in bovem, ut dicitur, versa, Bosporus appellatus est; et secundum nonnullos in Aegyptum profecta Isis nuncupata.*** In Graecis, quae ex Georgio Monacho Scaliger concinnavit, pro Iasi scriptum est *Ἰνάχου*. Itaque duas eiusdem nominis apparet fuisse. De priore loquitur Epiphanius. Sed hoc de suo perperam adiecit, eandem Atthidem nominatam. Nam Eusebius anno 511 Cranai secundi Atheniensium regis filiam Atthidem extitisse scribit, a qua Attica cognomen obtinuit, cum hactenus Acta vocaretur.

11 c. *καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἰνάχου, Ἄπιδος*] Multum discrepant Inachus et Apis. Nam hic ab illo tertius est in Argivorum Regum serie. Quare imprudenti hoc Epiphanio excidit.

καὶ εἰς αἱρέσεις συσταθέντα] Quis hoc praeter Epiphanium dixit, Mysteria illa, quae ab Orpheo, caeterisque Athenas importata fuerant, Philosophorum sectas ac dogmata propagasse? Plane hoc inauditum, ac mirum: neque, ut quod res est fatear, speciem ullam probabilitatis continet.

ἕως τῶν Μακεδονικῶν χρόνων] Susque deque miscet ac perturbat omnia, non minus temporum quam veritatis et historiae securus. Nam Macedonica tempora, quibus imperium istud floruit, a Xerxis aetate nimium distant, multo magis a Nabuchodonosore. Et tamen ad illa tempora sectarum principes Philosophos extitisse docet. Haec sunt inextricabilia.

Πλάτων γὰρ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρόν] Toto, inquit, illo spatio Plato, et ante hunc Pythagoras, ac post illum Epicurus emersit. Xerxisne ac Nabuchodonosori temporibus? Unus ex

iis, quos recensuit Epiphanius, antiquissimus Pythagoras diu post Nabuchodonosorum, ante Xerxen floruit, nempe Olympiade 60, ut Diogenes testatur, Cyro adhuc superstite.

AD HAERESIN V STOICORUM.

12 b. *μεταγγισμούς τε ψυχῶν*] Stoici animam putabant esse corpoream: videlicet *πνεῦμα ἔνθερμον*, ut ait Diogenes, ideoque interire post mortem: tametsi aliquandiu post obitum maneret. *Μετεμψύχωσιν* vero defendisse Stoicos nusquam a me lectum est. Et hallucinationem hanc esse crediderim, quemadmodum et quod sequitur, immortalem a Stoïcis animam esse constitutam. Quod falsum est. Vide sis Diogenem, et Plutarch. de Placitis Phil.

12 b. *οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἔφασαν*] Zeno Stoicae sectae 17
conditor Mnaseae, sive Demeae F. Citiensis, ex oppido Cypri insulae, ut Laërtius et Suidas narrant: de Cleanthe Tyrio Zenonis patre nihil comperi. Quanquam scio *ἄνωθεν* fuisse Phoenicem: quod Citiense oppidum a Phoenicibus colonis frequentatum fuerit. Quinetiam civem illum vendicasse sibi *τοὺς ἐν Σιδῶνι Κιτιεῖς* author est Laërtius. Ergo Citium aliud in Phoenice oppidum. Denique Zenonem Poenulum ob id appellat Cicero l. 4 de fin. *Postea tuus ille Poenulus (scis enim Citiaeos clientes tuos e Phoenicia profectos).*

ἐν Ῥώμῃ δὲ βεβιωκέναι] A quo haec didicerit Epiphanius, beasset nos, si docere voluisset. Crediderim *Ῥώμην* ab eo pro Italia sumi, et Eleatem Zenonem cum Citiensi confundi. Nam dubitat, duone fuerint ambo isti, an unus Stoicorum pater. Fuit autem Zenonum alter Eleates ex Italia. Sed quod ambos dicit eadem habuisse dogmata, satis ex Diogene aliisque refellitur.

AD HAERESIN VI PLATONICORUM.

14 a. *τῇ μετενσωματώσει*] Socrates apud Platonem in Phaedone de hoc dogmate disputat. Sed et Chrysostomus Homilia 1 in Ioan. Platonis dogmata de anima redarguens: *νῦν μὲν γὰρ αὐτὴν τῆς τοῦ θεοῦ φησὶν οὐσίας εἶναι. νῦν δὲ οὕτως ἀμέτρως καὶ ἀσεβῶς ἐπάρας μεθ' ἑτέρας καθυβρί-*

ζει πάλιν ὑπερβολῆς, εἰς χοίρους καὶ ὄνους εἰσάγων, καὶ τὰ ἔτι τούτων ἀτιμότερα ζῶα.

AD HAERESIN VII PYTHAGOREORUM.

14 c. *πρὸ δὲ τούτου Πυθαγόρας*] Verum est Pythagoram Platone superiorem fuisse, de Peripateticis absurdum. Quos perperam sane cum Pythagoreis commiscet. Quinque enim sectas commemorat, Stoicorum, Platonicorum, Pythagoreorum, sive Peripateticorum, et Epicureorum. Ad haec Peripateticos *τὴν μετεμψύχωσιν* propugnasse ridiculum est. Et hoc Pythagorae figmentum reiicit Aristoteles de Anima 1, 3.

οὗτος δὲ τέλειος ἐν τῇ Μηδίᾳ] In Media Pythagoram obiisse nemini unquam auditum. Scribendum *ἐν τῇ Ἰταλίᾳ*. Mortuus enim est in Magna Graecia. Vide Laertium.

AD HAERESIN VIII EPICUREORUM.

15 a. *εἶναι δὲ ἐξ ὑπαρχῆς*] Vid. Diodorum Siculum l. 1 et Euseb. *Προπαρασκ.* l. 1.

16 b. *ἕως τοῦ Σερούχ καὶ Ἀράμ*] Pro *Ἀρὰμ* cor. *Θαρέ*.

16 c. *ἐντεῦθεν τὸ πᾶν γένος τοῦ Ἰσραήλ*] Non tam vetus est Iudaeorum appellatio pro universo Israelitarum genere, ut Davidicis temporibus usurpare coeperit. Audi Iosephum *Ἀρχ.* 1·1, 5. *ἐκλήθησαν δὲ τὸ ὄνομα ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν ἐκ Βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἧς πρώτης ἐλθούσης εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα τῆς προσηγορίας ταύτης μετέλαβον.* Quare post Babylonicam captivitatem Iudaeorum vocabulum obtinuit.

17 c. *καὶ Φιλιστιαίᾳ οὕτω κληθείσῃ τότε*] Quasi duae ac discrepantes appellationes istae sint. Enimvero una eademque vox est, פלשתים Sed *τὸ* פ olim, ut apud Arabes, ita apud Hebreeos perpetuo cum Raphe pronuntiatum. Graeci *διὰ τοῦ Π* expresserunt.

18 18 a. *καὶ χυδαῖοι ἐγένοντο*] *Χυδαῖοι* hoc loco idem est atque ***abundantes, copiosi fuerunt.*** Epiphanius vero perinde hoc vocabulum accipit ac si ***viles et contemptos*** significaret. Nam ea vocis est potestas. Hinc dactylorum genus Divis sacrum per contemptum a Iudaeis chydaeum vocatum. Plinius

13, 4. *Nam quos ex iis honori Deorum dicamus, chydaeos appellavit Iudaea, gens contumelia numinum insignis.*

19 c. *διὰ τὸ διπλοῦσθαι*] Nam libri duo Regum priores, quos Samuelis vocant, volumen unum constituunt: itemque Regum duo posteriores unum. Tum liber Ruth cum Iudicum libro volumen unicum facit. Sic et libri Paralipomenon duo, totidemque Esdrae, singula apud Hebraeos volumina faciunt. Ita 5 expunctis voluminibus, constat 22 librorum numerus. Vide Hieron. in Prologo Galeato, Cyrillum Catech. 4 Euseb. Hist. 6, 19.

20 b. *ἥτις ψυχὴ οὐκ ἀκούσεται*] Solet plerumque Scripturae verba non iisdem, quibus concepta sunt, citare verbis, sed immutatis; ut hoc loco factum est.

21 a. *βασιλευόμεναι ὑπὸ τοῦ Ἱεροβοάμ*] Samaria regionis interdum nomen est, interdum oppidi. Priori modo etiam ante conditam Samariam usurpatur 3. Reg. cap. 13, 32. *Profecto enim veniet sermo, quem praedixit in sermone Domini contra altare, quod est in Bethel, et contra omnia fana excelsorum, quae sunt in urbibus Samariae.* At cap. 16, 24. Amri rex Israëlis *emit montem Samariae a Somer duobus talentis argenti: et aedificavit eum, et vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis Samariam.* Apud Epiphanium ergo ratio postulat ut Samaria regionis potius quam oppidi vocabulum sit. Nondum enim Ieroboamo regnante condita erat Samaria. Et tamen cum Hierosolymis opponatur, pro oppido sumi videtur.

21 b. *Ἰωσίας Ἰεχονίαν, τὸν καὶ Σελούμ*] Multis modis implicata et obscura est postremorum Iudae Regum successio, quam impediliorem facit Matthaei genealogia. Nos utrumque nodum breviter hoc loco dissolvemus. Iosias Amon filius regni haeredes filios habuit omnino tres, ut ex 4 Reg. constat. Primus post parentis mortem regnavit Ioachaz mensibus tribus: 4. Reg. 23, 30, qui et Iechonias in apocrypho Esdrae libro tertio dicitur, cap. 1, 34. Perperam enim Maldonatus noster id ad Ioacim accommodavit. Secundus est Ioakim, qui et Eliacim vocatus est, 4. Reg. cap. 23, 34, qui annos regnavit 11. Tertius fuit Sedecias; ante quem Ioachin, sive Iechonias Ioacimi filius tribus mensibus imperavit: cap. 24, 17. At 1. Paral. cap. 3, 15. Iosiae filii nominantur quatuor, Iohanam, Ioakim, Sedecias et

Sellum. Cum hic multa ab Interpretibus et Chronologis afferantur, placet Hebraeorum sententia, imprimisque Aben Hesrae in 1. cap. Dan. R. Levi ben Gerson, et R. David ad 4. Reg. cap. 23, Sellum eundem esse cum Ioachaz, qui paternum imperium populari factione, non iure successionis obtinuit, quod et Scriptura cap. 23, 30 declarat eis verbis, *Tulitque populus terrae Ioachaz filium Iosiae: et unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro patre suo.* Nam si aetatis ordinem spectes, post Iohanam, qui ante patris obitum praereptus videtur, maximus natu fuit Ioacim, sive Eliacim. Quod et Iosephus 10, 7 Orig. docuit. Etenim Ioachaz cum ad regnum evectus est, vi-
19 ginti trium annorum erat; c. 23, 31: Ioakim vero, qui post tres menses regnum capessivit, annorum erat 25; biennio itaque maior fuit. Unde et Ioakim anno Iosiae circiter 6 natus est, Ioachaz vero 9. Tertius natalium ordine debet esse Sedecias; qui post 11 annos et 6 menses a morte Iosiae a Nabuchodonosore regno praepositus est. Ac tum *vicesimum et primum aetatis annum habebat.* Cap. 24, 18. Quare Ioachazo iunior est, natusque anno Iosiae 21, vel 22. Atqui in lib. 1 Paralipom. postremus numeratur Sellum, quem Ioachaz esse diximus. Non desunt coniecturae, cur postremum in locum coniectus sit Sellum, quas, ne longiores simus, Chronologi suppeditabunt. Quanquam Hebraei quidam, ut Aben Ezra in cap. 1. Dan. Sellum sive Ioachaz postremum Iosiae liberorum esse velint, et quod Sedecias, cum regnare coepit, 21 annos natus fuisse dicitur, interpretari student. Scribit enim ille triennio ante Iosiae necem Sedeciam Regem esse consalutatum: unde cum Iosias mortuus est annum egit 24. Idque ex eo probat, quod Hier. 27, in principio regni Ioakim iussus est Propheta vincula praeparare, ac Legum nunciis dare, qui venerant Ierusalem ad Sedeciam regem Iuda: nimirum quod finitimi reges Sedeciam, quem abhinc triennio regem esse factum didicerant, mortuo Patre adhuc regnare sibi persuaserant, ad eumque legatos miserant: ita Aben Ezra. Quae mihi interpretatio non magnopere placet. Sed utut ea se res habet, omnino Sellum est Ioachaz. Nam Ierem. 22, 11. *Sellum filius Iosiae pro Iosia patre suo regnasse* dicitur: is autem est Ioachaz. Cum haec partim certissima, atque e sacrorum Librorum authoritate

deducta, partim probabilia sint, ex iis nonnulla ab Epiphanio commissa castigari necesse est. Primum quod Iechoniam ait Iosiae filium eundem esse cum Sellum. Nam Matthaeus Iechoniam quidem a Iosia genitum asserit; sed Iechoniae filium non Iechoniam alterum, sed Salathielem appellat. Atqui Sellum, sive Ioachaz, prolem habuit nullam; neque Iechonias ab altero quam ab apocrypho Esdrae Libro nominatur. Quamobrem Epiphanius per Iechoniam Iosiae filium Ioacimum, sive Eliacimum, intellexit; cuius filius Iechonias, idemque Ioachin appellatus יהויכין: Pater autem יהויקים. Verum Ioakim nusquam Iechonias vocatur. Haec prima est hallucinatio. Altera, quod Amasiam eundem Iechoniam, sive Ioakimum nominat, quod unde hauserit nescio. Tertia omniumque gravissima, quod Iechoniam, hoc est Ioacimum, genuisse Sedeciam ac Ioacimum existimat. Lib. 1 Paral. cap. 3, 15 ex quatuor Iosiae filiis, Ioanan, Ioakim, Sedecia, et Sellum, secundus, nempe Ioakim genuit Iechoniam et Sedeciam, Iechonias Salathiel. Duo ergo fuere Sedeciae, neuter Iechoniae filius; sed prior Iosiae, qui et postremus ex Davidis stirpe regnavit; alter Ioakimi filius, qui nunquam rex fuit: quos quidem ambos Epiphanius permiscuit. Nam qui ab eo commemoratur Sedecias, ille est ipse, qui Regum novissimus imperavit. Cuius etiam fratrem Ioakimum appellat, quae quarta est hallucinatio; nisi quis Sedeciam alio nomine Ioacimum ab Epiphanio nominari censeat, ut καὶ Ἰωακεὶμ ad καλούμενον referatur. Quod et nihilo secius falsum est: Ioakimi quippe filius Ioachin fuit, qui male hic Ἰωακεὶμ concipitur, cuius patruum Sedeciam Scriptura vocat. Hieron. in cap. 1 Dan. Ioacimum Iosiae F. per kim, Ioacimi vero filium scribi per chin observat. Totidem paucis illis verbis a sanctissimo eruditissimoque viro Epiphanio peccata sunt; quorum admonere Lectorem officii est instituti- que nostri; excusare, humanitatis; dissimulare, aut tueri velle, neque officii, neque humanitatis est.

21 c. καὶ μηδεὶς περὶ τούτου] Hic illa gravis agitatur quaestio, sitne in Matthaei Genealogia alicuius nomen praeteritum. Etenim Matthaeus generationibus recensitis omnibus, tria intervalla distinguit, quibus singulis 14 generationes assignat. Ut puta ab Abrahamo ad Davidem 14: totidem a Davide ad transmigrationem Babylonis: ac postremo totidem a transmigra-

tione ad Christum. In duobus intervallis prioribus constat numerus; in tertio 13 duntaxat capita numerantur. Nam generationum nomine personas ipsas Matthaeus intelligit, quae aut gignunt, aut gignuntur. Quare unum aliquod nomen, sive generatio una desideratur. Cum hunc Matthaei locum Christiani nominis hostes tanquam inextricabilem obiicerent; quaestionis difficultas nostrorum excitavit ingenia; et innumerae rationes excogitatae sunt: quarum haec plerisque commodissima videtur, ut librariorum culpa nomen aliquod exciderit. Quamobrem Epiphanius Iechoniam bis a Matthaeo positum arbitratur; quam eiusdem vocabuli repetitionem exscriptores vitiosam rati praepostere correxerunt. Ergo ita Matthaeum scripsisse putat: *Iosias autem genuit Iechoniam, et fratres eius in transmigratione Babylonis: Iechonias autem genuit Iechoniam: Iechonias autem genuit Salathiel,* etc. Iam scimus quis ex Epiphanii mente sit Iechonias iste. Prior enim est Ioakim, sive Eliacim, Iosiae F. Posterior alio nomine Sedecias dictus est. Sed quam absurdum illud sit, e superioribus constat. Nam si de Sedecia Rege loquatur, quod ex Regii stemmatis successione videtur velle, Sedecias non Iechoniae, neque Ioakimi, sed Iosiae filius est. Sin alterum Sedeciam intelligat, qui privatus vixit, est ille quidem Ioakimi filius, sed non Iechoniae. Nam 1. Paral. cap. 3, 15. Ioakim Iosiae filius Iechoniam et Sedeciam genuit, Iechonias Salathielem. At Epiphanius Iechoniam et Sedeciam, quos tam perspicue Scriptura distinguit, in eundem virum conflavit. Non dubium est, quin Iechonias ille, qui Salathielem a Matthaeo genuisse dicitur, idem sit cum eo, quem Paralipomenon Liber commemorat. Sed alius ei pater quam Iechonias quaerendus est. Maldonatus noster Ioakim pro iterato Iechonia substituit: atque ita legit *Ioacim autem genuit Iechoniam: Iechonias autem genuit Salathiel.* Quod Scripturae consentaneum est.

22 a. *ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ τῆς αἰχμαλωσίας*] Multiplex error, quo vix ullus ab Epiphanio gravior est commissus. Non enim post Hierosolymorum excidium, sed tanto ante, post 10 videlicet Tribuum deportationem, coloni in Samariam submissi, idque a Salmanassaro, non a Nabuchodonosore. Vide 4. Reg. cap. 24. Neque vero solus in eo errore fuit Epiphanius. Nam

et Procopius in Esaiam a Nabuchodonosore Samariam et Iudaeam expugnatas ait. Atqui com. 24 dicitur Assyriorum Rex de Babylone, et de Cutha caeterisque regionibus transtulisse colonos in Samariam. An tum Salmanassar Babylonem obtinebat, ut qui tunc in ea regnabat Assyriorum vectigalis esset? 21 Hoc quidem probabile est. Nam post Assyriorum vetus illud ac diuturnum Imperium extinctum, Babyloniorum primordia a Nabonassaro coeperunt, anno Per. Iul. 3967 centum fere annis a constituta Medorum Monarchia; quae iniit anno 3838. Porro Salmanassar 10 Tribus captivas abduxit circiter annum Per. Iul. 3993, anno Ezechiae 6. A quo ad Nabopolassarum Nabuchodonosori patrem anni sunt 96. Irritur enim Nabopol. convenit anno Per. Iul. 4089 sub quo, imo ante ipsum, Babyloniorum Imperium florere excitarique coepit: cum iam Assyriorum secundum illud occidisset. Etenim post Assaraddon nulla fit amplius Regum Assyriorum mentio: sed Merodachi filii Baladan Babyloniorum principis, 4. Reg. c. 20, 12 anno Ezechiae 14. Ideoque post Merodach Babylonios Reges crediderim ab Assyriorum dominatu se in libertatem asseruisse.

22 b. *τούς τε χουθαίους καλουμένους*] Quatuor hosce populos longe aliter Scriptura concipit: ***Adduxit***, inquit, ***Rex Assyriorum viros de Babylone, et de Cutha, et de Hava, et de Emath, et de Sepharvaim.*** Graece ita, *Καὶ ἐκ Χυθὰ, καὶ ἀπὸ Ἀουὰν, καὶ ἀπὸ Αἰμὰθ, καὶ ἀπὸ Σεμφαρουαίμ.* Quod ad Chuthaeos attinet, Iosephus *Ἀρχαιολ.* 9, 14, a Chutha, Persidis regione, et cognomine fluvio nominatos affirmat. Vide Eliam Thisbitem, vocabulo כוּת. Ab iis nihil, opinor, discrepant *Κουδαῖοι*, licet Epiphanius secernat; nisi quis *Αἰμαθαίους* eius loco reponendum censeat. Nam pro *Ἀναγωγαναίους* fortasse *Ἀουαναίους* melius erit, pro Havaeis, cum LXX *Ἀουὰν* scribant. At Scaliger *Ἀνάγνους Γαναίους* leg. ariolatur; quia גנאי sunt *ἄναγνοι, obscoeni.* Verum nationum hic nomina, non morum ac vitiorum propria commemorantur.

23 a. *Ἔσδραν τινὰ ἱερέα*] Mirifica rerum temporumque perturbatio. Esdram asserit a Nabuchodon. missum, qui Samariae inquilinos Mosis legem doceret, idque anno 30 Babylonicae captivitatis accidisse. Non videtur alterum Esdram ab eo intellexisse, qui Hecaliae filius Legis scriba dicitur. Sed alium

tamen, si verum illud est, oportet fuisse. Non melioris est notae, quod Israëliticam, hoc est 10 Tribuum captivitatem, cum altera confundit, quae sub Nabuchodon. contigit. Quid enim aliud facere potuit qui Nabuchodon. eundem cum Salmanassaro constituerat?

AD HAERESIN IX SAMARITANORUM.

24 a. Hactenus Sectae illae, quae vel ante Scripturam extiterunt vel Gentilium fuere propriae. Sequuntur eae, quae utcunque Scripturas usurpantes multiplicibus sese erroribus implicarunt. Quarum duo capita sunt, Samaritae ac Iudaei. Samaritanorum *καθ' ὑποδιαίρεσιν* factiones sunt 4, Iudaeorum 7. Samaritani sunt Esseni, Gortheni, Sebuaei, Dosithei. Iudaeorum, Saducaei, Scribae, Pharisaei, Hemerobaptistae, Nasaraei, Osseni, Herodiani. Haec Epiphanius: qui, ut alias saepe, sic in harum sectarum partitione ac descriptione aequum magis ac benignum quam accuratum et severum lectorem exigit. Permulta enim istic falsa, minimeque cohaerentia disputat; quae
22 nos invitissimi sane, pro eo ac sanctissimi viri pietatem eruditionemque veneramur, sed necessario tamen eruere, ac ne fraudi cuiquam sint castigare debuimus. Hegesippus porro apud Eusebium 5, 22. Iudaeorum sectas percensens, Samaritanos inter illas retulit. Sunt autem istae: Essaei, Galilaei, Hemerobaptistae, Masbothaei, Samaritae, Sadducaei, Pharisaei.

24 a. *ἑρμηνεύονται δὲ Σαμαρεῖται*] Non unius Epiphanii est otiosa illa ac nimis arguta vocis interpretatio. Pene omnes antiqui tam Graeci quam Latini eam amplexi sunt, ac mirificas ex ea sententias procuderunt. Sed accuratior omnibus Epiphanius noster: qui ita communem illam attulit, ut veriorem ac germanam non praeteriret, quae est 3. Reg. 16, 24.

24 b. *τὴν νῦν Ἰουδαίαν ἢ Σαμάρειαν*] Saepenumero hoc inculcat Cham, in fratris suis possessionem invasisse, ac Iudaeam occupasse; cuius pars, latius diffusa vocabuli notione, Samaria fuit.

24 c. *ἔκ τε τοῦ φυλάττειν τὴν γῆν*] Primus hoc Eusebius in Chronicis scripsit; a quo mutuatus est Epiphanius; si haec tamen Eusebii, non Hieronymi sunt, qui in istiusmodi origine saepius lusit. Huic Epiphanius non bellae nominis inter-

prelationi, deteriorem adiecit alteram, Samaritas ob id appellatos esse, quod Legem custodirent.

25 a. *ἐν τῷ ὄρει τῷ παρὰ τοῖς Γαριζειν*] De duorum montium istorum, Garizin et Hebal, sive Gebal, situ, idem sentit Epiphanius quod Eusebius, si is author est Libri de Locis Hebr. quem Latine vertit Hieron. Ibi enim ad Hierichuntem collocat, et Samaritanos mendacii arguit, qui eosdem prope Sichem, sive Samariam constituebant. At Iosephus 4, 8. Samaritanorum opinioni suffragatur: nec non et 11, 8 ubi de Templo, quod Alexandri Magni tempore a Samaritanis in Garizin extructum est, historiam explicat: quam tu consule. Sed omnium accuratissime de Garizim et Hebalis situ disserit eruditissimus Masius ad c. 8. Iosue, et adversus Mercatorem Samariae propinquos istos esse colles pluribus argumentis affirmat.

26 d. *ἀπὸ γὰρ τούτου τοῦ ἄρθρου*] Arguta haec observatio Graeci articuli, qui ad *νεκροῦ* vocabulum appositus est, vim habet omnino nullam, ut neque loca caetera, quae illustrandi gratia congerit.

28 c. *παραδόσει τῇ προαχθείσῃ*] Reg. *προσαχθείσῃ*.

AD HAERESIN X ESSENORUM.

Quid in mentem Epiphanio venerit, ut Essenos Samaritanis accenseret, divinare non possum. Nam quod occurrere potest, genus quoddam Essenorum fuisse a notis illis et sanctioribus diversum, probarem equidem, si apud Philonem, aut Iosephum, qui de Essenorum generibus, institutis ac moribus accuratissime scripserunt, vestigium aliquod novorum istorum ac posteriorum existeret. Nunc cum neque isti, nec alius quisquam vel levissime significarit Essenos cum Samaritanis commune quippiam habuisse, cumque inter Iudaeorum sectas a Iosepho recenseantur Esseni, apparet primum neque Essenorum ullam inter Samaritanos fuisse sectam, neque Epiphanium aliud Essenorum genus, cum Samaritanis adscriberet, intellexisse 23
quam celeberrimum ac laudatissimum illud, quorum instituta Philo ac Iosephus uberrime perscripserunt. Quamquam Ossenos postea inter Iudaicas sectas commemorat, qui iidem cum Essenis videntur.

29 a. *μετὰ τούτους Γορθηνοὶ διεφώνησαν*] Quomodo Gortheni *πρὸς ἀλλήλους* dissentire coeperunt? Nam nulla hic Gorthenorum divortia, sectas nullas enumerat: et *ἐπεξήγησις* illa quae subiicitur: *φημὶ δὲ μέσον Σεβουαίων καὶ Ἐσσηνῶν καὶ Γορθηνῶν*, arguit *τὸ πρὸς ἀλλήλους* non ad solos Gorthenos, sed ad tres *ὅλας* sectas pertinere. Atqui *διαφωνεῖν πρὸς ἀλλήλους* Graece non est *πρὸς ἄλλους*. Fortasse igitur *ἄλλους* pro *ἀλλήλους* substituendum. Postulabat *ἡ ἀκολουθία* ut pro *Γορθηνοὶ* scriberetur *οἱ λοιποὶ*, vel sectae tres recenserentur.

ὁ νόμος ἐκέλευεν] Mirum est quod hoc loco narrat, Samaritanorum inter se dissidium ab odio, et iurgiis manasse, quod ea natio cum Iudaeis exercet. Nam si cum praetereuntibus Iudaeis rixabantur, quae caussa fuit, cur a se invicem dissentirent? Non id explicat Epiphanius: et aliud agit omnino: etenim *συμπληγάδες* istae non sunt *τῶν Σαμαρειτῶν πρὸς ἀλλήλους*, sed *πρὸς τοὺς Ἰουδαίους*.

29 b. *ἀλλὰ καὶ ὅτε ᾠκοδόμει Ἔσδρας*] Duo hic in Epiphanio reprehendit Scaliger: alterum quod ab Esdra instaurata Hierosolyma dixerit, cum Neemias non Esdras id egerit: alterum quod Samaritanos operam suam ad eam refectionem detulisse scribat; quod contra Scripturam esse credit. Sed in altero *κακοήθειαν*, in altero stuporem suum arguit. Etenim praeterquam quod Esdras cum Neemia vixit, et Urbi instaurandae praefuit, ut ex Neemiae 8, 2 et 12, 26, probat Serrarius, illud *ᾠκοδόμει Ἱερουσαλὴμ* comiter accipiendum est, ut ad Urbis partem aliquam, cuiusmodi Templum erat, pertineat. Illud vero dementissimae caecitatis est, negare Samaritanos operis participes se esse velle prae se tulisse, cum id diserte l. 1 Esdrae 4, 1 et 2 Scriptura testetur. Sed ea Serrarius in Minervali iam occupavit.

ἐπετράπησαν ὑπ' αὐτοῦ] Deest negativa particula, quod vel mediocriter peritus animadvertere potuit. Ideo frustra hac in parte calumnia struitur Epiphanio in Elencho Scaligeriano, quasi contra Scripturam dixerit Samaritanos in communionem operis admissos. Nam et infra cum de Sebuaeis agit, scribit Esdrae illos odio festa sua praepostere ordinasse.

AD HAERESIN XI SEBUAEORUM.

Iebussaeos perperam Damasceni Codices habent. Hos ab Hebraïca voce שבוע, quae hebdomadem significat, appellatos שבועאי, quasi ἑβδομαδίτας verisimile est, quod p. 218 in Isag. Canon. scribit Scaliger. Sed in eius vocis reddenda ratione sibi non constat. Nam in eo loco iccirco ἑβδομαδίτας nominatos putat, quia omnem δευτέραν τῶν ἑπτὰ τῆς πεντηκοστῆς ἑβδομάδων eadem religione, qua ipsum πεντηκοστῆς diem colunt. Etenim τῇ δευτέρᾳ τῶν Ἀζύμων Omer, sive manipulum offerebant; a qua die Sabbata omnia, quae ad Pentecosten usque sequebantur, nomen obtinebant, puta δευτερόπρωτον, δευτεροδεύτερον, et caetera, ut alibi disputatur. Samaritani vero δευτέρας appellabant omnes deinceps dies, quae in eandem feriam incurrunt, in qua erat δευτέρα: ita ut inter 24 oblationem Omer, et solenne Pentecostes, incurrant septem δευτέραι. Vide caetera: in quibus δευτέρας appellari celebrarique duntaxat illas a Samaritanis significat, quae ad Pentecosten, sive עצרת succedunt. Unde σεβουαίους et ἑβδομαδίτας dici Samaritanos a Iudaeis asserit, quod omnem δευτέραν τῶν ἑπτὰ τῆς πεντηκοστῆς ἑβδομάδων eadem religione qua ipsum πεντηκοστῆς diem colunt. At idem in Elencho Trihaeresii c. 1. Sebuaeos ait septies in anno Pentecosten instaurasse: indeque factum, ut in autumnum, in hiemem et in ver incideret: propterea, quod hoc loco scribit Epiphanius Pentecosten illos in autumno celebrasse, non solum id autumno, sed in quatuor anni articulis egisse. Quod est aenigmatis simile. Quomodo enim Pentecosten in quatuor anni temporibus instaurabant, si in spatio illo tantum, quod ab Omer ad Pentecosten intercedit, τὰς δευτέρας septem festas ac solennes ducerent? Drusius a Sebaïa, qui cum R. Dosthai ad novos Samariae inquilinos erudiendos ex Assyria missus est, derivat. Probabile est a שבוע, id est hebdomade, dictos esse, quod ut Samaritani caeteri τὰς δευτέρας septies illo duntaxat intervallo celebrarent, quod ad Pentecosten intercedit.

29 c. διὰ μῆνιν καὶ ὀργὴν μετέθηκαν] Supra dixerat πρὸς ἀλλήλους iras ac rixas suscepisse; nunc cum Iudaeis simultates illas intercessisse non obscure colligitur, siquidem odio illorum praepostere solennium istorum tempus usurpare coeperunt.

τάττουσι δὲ οὗτοι τὸν νέον μῆνα] Utrum primus mensis apud Samaritanos et Sebuaeos Tisri fuerit non satis explicat. Ait enim *μετὰ τὸ νέον ἔτος*, post annum novum ab illis statū; cuius anni novi caput est *μετὰ τὸν Θεσρὶ ἐν τῷ μετοπώρῳ*. Porro Tisri cum Augusto comparat. Haec igitur salebrosa ac perplexa sunt. Si in autumno novus annus iniit, non utique in Tisri, qui Augusto respondet. Cur ergo tam diligenter hunc ipsum mensem variis circunscribit nominibus, si non anni primordium est? Cur deinde ita loquitur? *ἀπεντεῦθεν οὗτοι τὴν ἀρχὴν τοῦ ἔτους ἡγοῦνται, καὶ εὐθὺς τὰ Ἄζυμια ἐπιτελοῦσι*. Nimirum in eo mense, de quo locutus est, hoc est Tisri. Sequitur enim, *ἐν δὲ τῷ μετοπώρῳ τὴν πεντηκοστὴν ποιοῦσι*, quinquagesimo post die. Quare ante *μετόπωρον*, et in Tisri Azyma celebrantur; adeoque caput anni Tisri. Et *μετὰ* idem erit atque *inchoato, ineunte*.

ὃς Αὔγουστος παρὰ Ῥωμαίοις] Imo vero September. Sed nescio utrum isti Iuliani ac Solaris anni primum mensem in Augusto defixerint.

29 d. *Γορπιαῖος δὲ παρὰ Μακεδόσι*] In Alogorum Haeresi n. 24 longe aliam Graecorum mensium ordinationem sequitur. Nam Graecorum, sive Syrorum Audynaeus Ianuario, Dius Novembri respondet. At hoc loco quoniam Apellaeus cum Augusto confertur, Ianuarius erit Artemisius, et Dystrus November. In Macedonicis mensibus magis sibi consentaneus est. Nam illic Apellaeus Octobris die 24 coepit. Unde consequens est Gorpiaeum Augusti partem occupare. Est autem Macedonicorum ac Syromacedonicorum, quos Graecorum nomine appellat, mensium varia admodum, nec satis explicata dispositio: de qua agemus ad Alogorum Haeresin pluribus. Interim valde suspicor pro Apellaeo hoc in loco substituendum esse Loum; nisi in eo quoque hallucinatus sit Epiphanius.

25 *καὶ εὐθὺς τὰ Ἄζυμια ἐπιτελοῦσι*] Potuit haec certis ex authoribus comperire, vel coram observare ipse. Quare non temere de Epiphanii fide dubitandum est; quod in Elencho facit Scaliger.

οὐ μὴν δὲ ἐπείσθησαν τοῖς Σεβουαίοις] Haec vel aliena ab hoc loco, vel parum sincera videntur. Quae ita forte restituenda sunt: *οὐ μὴν δὲ ἐπείσθησαν τοῖς Σεβουαίοις Γορ-*

θηνοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι, hoc est Dosithei. Cornarius ita legerat, *οὐ μὴν ἐπεισ. τοῖς Σεβ. οἱ ἄλλοι*, expuncta voce *Γορθηνοί*.

AD HAERESIN XII GORTHENORUM.

30 a. *Γορθηνοὶ δὲ καὶ οἱ ἄλλοι Ἐσσηνοί*] Mire implicatus et involutus hic locus est. Nam quos repetitis hisce vocibus *ἄλλοι, ἄλλων*, et *ἐκείνοις*, intelligat, extricari vix potest. Nonnihil assequeremur, si de Essenis istis constaret, quos inter Samaritanos unus Epiphanius annumerat. Atqui veri et *γνήσιοι* Esseni, quos Philo ac Iosephus exhibent, nihil cum istis moribus, atque ea festorum perturbatione commercii habuerunt. Divinandum igitur nobis est, et in tenebris attrectanda veritas, quod minime desperamus. Serrarium hic agitat Scaliger Elenchi cap. 20, et miram ei hallucinationem obiicit, quod ex iis Epiphanii verbis, *καὶ οἱ ἄλλοι Ἐσσηνοὶ*, duplex ab illo genus Essenorum agnosci in Trihaeresio scripserat. Ipse autem nullos alios Essenos videre se dicit, praeter eos, quos decima Haeresi posuit. *Nam recta*, inquit, *erat locutio, Γορθηνοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι: sed quia inter Essenos et eos, de quibus loquitur, Gorthenos medii interiecti sunt Sebuaei, ne de Sebuaeis videretur loqui, adiecit ἐξ ἐπιμέτρου Essenos.* Idem Scaliger *ἐγγὺς τῶν ἄλλων* de Sebuaeis exponit. Quae interpretatio non inepta modo, sed Epiphanio ipsi contraria est. Nam ex ea sequitur Epiphanium velle Gorthenos et Essenos Sebuaeorum vicinos eadem cum ipsis facere, *τὰ ἴσα ἐκείνοις πράττειν*. Ad quos enim *τὸ ἐκείνοις*, nisi ad Sebuaeos pertinebit? Hoc autem absurdissimum est, cum et antea dixerit, et subinde moneat, Gorthenos saltem a Sebuaeis magnopere dissensisse. Cum igitur manifeste hic in mendo locus haereat, videamus quemadmodum recenseri possit. In Anacephalaeosi, quae summam Haereseon complectitur, Samaritanorum tres priores sectae ita breviter explicantur: *Γορθηνοὶ οἱ ἄλλοις καιροῖς τὰς ἑορτὰς ἄγοντες παρὰ τοὺς Σεβουαίους. Σεβουαῖοι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν τῶν ἑορτῶν πρὸς τοὺς Γορθηνοὺς διαφερόμενοι· Ἐσσηνοὶ μηδ' ὁποτέραις ἐναντιούμενοι, τοῖς δὲ παρατυγχάνουσιν ἑορτάζοντες ἀδιαφόρως. Gortheni, qui diversis a Sebuaeis temporibus festa celebrant: Sebuaei, qui ob illa ipsa*

festa a Gorthenis dissident. Esseni neutris adversantes, in quoscumque inciderint, sine ullo discrimine festa cum ipsis obeunt. In Breviario Tomi huius, quod Operis initio praefixum est, in Gorthenis, pro eo quod est *παρὰ τοὺς Σεβουαίους*, perperam legitur *παρὰ τοὺς Ἑβραίους*. Nam et Damascenus Libro de Haeresibus, qui nihil aliud est quam Epiphanii Anacephalaeosis, paucis ademptis aut immutatis, ita ut supra pro-
26 posuimus, exscripsit: licet vitiose, ut monuimus, *Iebussaei* pro *Sebuaeis* legantur. Quamobrem quod Essenorum institutum fuerit ex eo loco constat; nempe ut se in utramque partem versantes ad amborum mores consuetudinemque fingerent. Ideo Gorthenos solos, ac Dositheos cum Sebuaeis simultates exercere dixit. Quibus animadversis ita locus iste conformandus mihi videtur, *οὐ μὴν ἐπείσθησαν τοῖς Σεβουαίοις Γορθηνοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι. Ἐσσηνοὶ δὲ ἐγγὺς τῶν ἄλλων γινόμενοι τὰ ἴσα ἐκείνοις πράττουσιν.* Ubi *τῶν ἄλλων* idem est atque *ἑκατέρων, alterutrorum.* Caeterum Gorthenorum vocabulum varie solet exprimi. Nam aut *Γορθηνοὶ* dicuntur, aut *Γορθαιηνοί.* In Anacephalaeosi *Γοροθηνοὶ* mendose, ut arbitror; ut et apud Eusebium *Γορθηωνοὶ*, ab authore, qui *Γορθαῖος* appellatur. Quare *Γορθαιηνοὶ* rectius videtur Scaligero.

30 b. *καὶ νηστείας τῆς παρ' αὐτοῖς*] Expiationum festum, sive Kippurim intelligit, quod 10 Tisri celebrabant.

οἱ δὲ ἄλλοι οὐχ οὕτω ποιοῦσιν] *Ἄλλοι* debent esse *Σεβουαῖοι*, sed vox *Ἐσσηνοῖς* inducenda: aut *ἀλλ' Ἐσσηνοῖς* scribendum, quia nonnunquam Esseni cum illis Pascha celebrant. Verum ecce de Essenis supra Haer. 10 scripsit: *ἐνέμειναν γὰρ οἱ Ἐσσηνοὶ τῇ πρώτῃ ἀγωγῇ μηδὲν ὑπερβαλλόμενοι. In priore instituto permanserunt, nulla in re transgredientes.* Hic autem, et in Anacephalaeosi plerumque cum Sebuaeis festa praepostere celebrant. *Quo teneam vultum mutantem Protea nodo?* An duo sunt Essenorum genera, ut Serrario placuit, reclamante Scaligero? Ut alii cum Sebuaeis, alii cum Gorthenis et Dositheis habitarint; et eorum quibuscum degerent ritus in obeundis duntaxat solennibus imitarentur. Quod quidem studio pacis ac concordiae Essenos praestitisse horum disciplina persuadet, quae nihil otio ac quiete antiquius habuit.

AD HAERESIN XIII DOSITHEORUM.

Δοσίθεοι δὲ τούτοις διαφέρονται] Supra Dositheos a communibus Samaritanorum odiis ac contentionibus excipere visus est, *πλὴν τῶν Δοσιθέων μόνον*. Verum contrarius ex hoc loco sensus superioribus illis attribuendus est: nimirum *ἐν βραχεῖ καὶ ἔν τινι ποσῶς:* paucis ac levissimis in rebus Samaritanorum factiones a se invicem dissentire, praeter Dositheos, non qui nihil a caeteris discreparent, sed qui non leviter, ut illi, sed gravissime dissiderent. Dositheï porro tam ante Christum, quam post eum complures extiterunt: et nonnullorum apud Hebraeos mentio. Nam דוסתאי Dosthai est Dositheus, quod frustra negatum a Scaligero. At in cap. 3 Pirke Aboth quoddam Dosthai Ianai F. dictum memoratur, quod a R. Meir didicerat. Sed is ab hoc nostro diversus est. Quemadmodum et alter ille, cuius aliquoties Origenes meminit, eumque Samaritanum appellat *περὶ Ἀρχῶν* 4, 2, nec non et aliis in locis, praecipue contra Celsum lib. 2. Verum antiquior est Epiphanianus iste, a quo Sadducaeos propagatos esse mox indicat, qui quidem Christi ortum antecessit. De Dositheo et Dositheanis lege quae erudite Serrarius noster in Minervali disputat lib. 4 cap. 10. 11 et 12.

30 c. *ἐγκρατεύονται ἀπὸ γάμων μετὰ τὸ βιῶσαι*] Pot- 27
est illud *μετὰ τὸ βιῶσαι* duobus modis accipi: utrobique *ἐλλειπτικῶς*. Alter ut *ἐν τῷ γάμῳ* subaudiatur: alter, ut ad *γυναῖκα* pertineat. Prior interpretatio simplicior est, eamque Cornarius secutus est. In altera *τὸ βιῶσαι* idem est *ac mortuum esse*, ut apud Latinos *vixit*, *βεβίωκε* apud Plutarch. in Cicerone. Nos utramque cum agnovissemus, posterior in contextum recepta.

31 a. *καὶ τῆς πλάνης τὰ βοσκήματα*] Fortasse *τὰ σχήματα*.

AD IUDAISMI HAERESES.

31 b. *Ἰουδαϊσμὸς λοιπὸν μερισθείς*] De Iudaicis factionibus deinceps agit; quas ante Christi adventum septenas recenset. Quod *πλατυκῶς* et pingui Minerva dictum est. Nam tres constat apud Iudaeos fuisse sectas: caeteras, quae a Phi-

lastrio, Isidoro, et hoc nostro numerantur, partim Iudaeorum non esse proprias, partim ne Haereses quidem videri, partim denique a tribus illis matricibus non esse distinctas, quae sunt Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum. De quibus quoniam summa cum eruditione ac diligentia Serrarius noster tribus libris disseruit, et quae de iis observari a me possent occupavit omnia, cupidum earum rerum Lectorem ad illius lucubrationem dimittendum potius arbitror quam otiosa repetitione detinendum. Conferat etiam si lubet cum Serrarii Trihaeresio, ac Minervali, quae Drusius et alii quidam de eodem argumento scripserunt. Nos enim hic ea tantum adnotabimus, quae ad illustrandum Epiphanium necessaria videbuntur.

DE HAERESI XIV SADDUCAEORUM.

31 c. *πρῶτοι Σαδδουκαῖοι ἀπόσπασμα ὄντες*] Quantum ex his, quae Epiphanius in his sectis prodidit, colligi potest, duo fuere Dosithei. Alter, idemque tempore posterior, Samaritanus, cuius meminit Origenes: alter longe antiquior, a quo propagatos esse Saducaeos non Epiphanius solum, sed etiam Hieronymus testatur, Dialogo contra Lucifer. *Taceo*, inquit, *de Iudaismi Haereticis, qui ante adventum Christi legem traditam dissiparunt: quod Dositheus, Samaritanorum princeps, prophetas repudiavit: quod Sadducaei ex illius radice nascentes etiam resurrectionem carnis negaverunt.* Ex Dosithei ergo radice nati sunt Sadducaei; quod est idem atque *ἀπόσπασμα* fuisse *τῶν Δοσιθέων*. Ut mirari Scaliger desinat ab Epiphanio id esse scriptum. Itaque Dositheus a Iudaeis ad Samaritanos deficiens, peculiarem illic sectam condidit. Quam postea Sadokus interpolavit, cum et ipse ad Samaritanos a Iudaeis transiisset.

ἐπονομάζουσι δὲ οὗτοι ἑαυτούς] Saducaei passim, apud Graecos maxime, geminato δ scribuntur: quasi esset צדוק Apud LXX antiquissimus ille Sacerdos, *Σαδούκ*. De quo copiose Serrarius ac Drusius. Sadoci porro extitere duo: quorum unus duntaxat ab Epiphanio memoratus, qui Davidis et Salomonis aetate vixit; alter Antigni discipulus, cuius socius et condiscipulus fuit Baithos; ut author est Elias in Thisbi. Ab hoc posteriore Saducaei cum origine nomen acceperunt. Etenim ambo

illi a praeceptore desciscentes legem ore tenus traditam abne- 28
garunt; neque alteri, quam quod Legis scripto esset expressum, adhibendam fidem putarunt, ex quo קראים Karram, quasi *Textuales* dicti. Haec Elias. Addit Abraham Zachuth Sadoc et Baiethos ad Samaritanos, et Garizitanum templum receptum habuisse. Sed fieri potest ut Saducaei ipsi a priore illo ac vetustissimo Pontifice oriundos sese profiteri mallent, quam a posteriore transfuga, vel etiam ut ad *iustitiae* vocabulum, et nominis interpretationem alluderent, idque crebris usurparent sermonibus, quod unum ideo, praetermissa altera ac veriore Saducaeorum origine, commemoravit Epiphanius.

31 d. *πνεῦμα δὲ ἅγιον οὐκ ἴσασι*] Actuum 23, 8, ***Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum, οὔτε ἄγγελον, οὔτε πνεῦμα.*** Spiritum sanctum hoc loco non unus Epiphanius intellexit, sed et Philastrius. Quare temere et imprudenter in Elencho Scaliger: ***Asinitas,*** inquit, ***mera est, et impietas haec fateri. Proinde execranda illa sententia Serrarii, qui non minus impie, quam ridicule eam tuetur.*** Nam quod ait *πνεῦμα* illic sine articulo positum universe sumi; cum ut Spiritum sanctum significaret, *τὸ πνεῦμα* scribendum fuerit, quod diu ante Scaligerum Salmero noster observaverat; nihil ad rem pertinet. Etenim saepe *πνεῦμα* sine articulo pro Spiritu sancto in Scripturis usurpatur; ut Ioan. 3, 5. ***Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu,*** *ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος:* et aliis in locis, quorum nonnulla profert in Minervali Serrarius. Quare non improbanda haec Epiphanii interpretatio videtur: tametsi de solo Spiritu sancto praecise locutum putaret Evangelistam. Quod necesse non est. Hanc enim Saducaeorum mentem fuisse suspicor, ut Spiritum omnem, hoc est *πνευματικὴν οὐσίαν*, funditus tollerent, ideoque corporeum esse Deum assererent, ut Lyranus existimat. Ex quo consequitur, etiam Spiritum sanctum illos abnegasse. Unde merito ab Epiphanio, aliisque dictum est, Sadducaeos Spiritum sanctum ignorasse: ut eam ex toto genere *τῶν πνευμάτων* speciem deligerent, qua negata maius illi sibi impietatis crimen arcesserent.

τὰ πάντα δὲ ἴσα Σαμαρείταις; φυλάττουσι] Etiamne sacros omnes libros, praeter Pentateuchum repudiarunt? Affirmant veteres omnes, praesertim Origenes, Tertullianus, Hierony-

mus, Beda: Elias quoque Thisbites, aliique, quos Serrarius testes citat. Negat autem Scaliger, et contrarium asseverare Iosephum existimat. Sed tantum abest ut contra Iosephus sentiat, ut is communem illam Orig. 13,18 sententiam videatur adstruere. Docet enim Pharisaeos multa populo tradidisse: *ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις· καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγων ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δὲ ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν.* Sadducaei igitur authore Iosepho sola haec asciscenda, observandaque dicebant, quae essent scripta *ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις.* Quod et 18, 2 his verbis expressit: *φυλακῆς δὲ οὐδαμῶν τινῶν μεταποίησις αὐτοῖς, ἢ τῶν νόμιων.* Sane aut haec Iosephi verba Sadducaeos indicant nullos alios quam Mosis Libros admisisse; aut saltem non illud, quod a Scaligero tam pertinaciter pugnatur, efficiunt, ut sacros omnes Scripturae libros amplexi sint, *τὰς ἀγράφους δευτερώσεις* reiecerint. Agit enim illo loco praecipue Iosephus *περὶ πρακτικῶν νομίμων*, de ritibus ac consuetudinibus, sive legibus, quibus agendum aliquid praescribitur; quae in solo fere Mosis 29
Pentateucho continentur. Unde cum Sadducaei exciperent, ea duntaxat, quae scripta erant, observari debere, solos Moysis libros, quibus *τὰ νόμιμα* comprehenduntur, intelligebant, non historicos, aut Propheticos libros; quibus novae nullae, aut perpaucae cerimoniae praecipiuntur. Caetera apud Serrarium vide.

AD HAERESIN XV SCRIBARUM.

Scribarum ordo neque Iudaismi Haeresis fuit, neque *πρὸς Φαρισαίους ἀνδιαστελλόμενος.* Nam et Scribae plerique Pharisaei, non tamen omnes; quemadmodum inter Theologos nonnulli Monachi et arctioris vitae professores. Theophylactus in Lucam cap. 11. *Sane alii erant Legisperiti, et alii Pharisaei. Nam Pharisaei videbantur ut Monachi, et qui ab aliis se segregabant. Legisperiti vero Scribae erant, et Doctores, qui solvebant quaestiones Legis.* Tostatus in c. 23. Mat. Quaest. 12. *Sciendum quod licet ponantur hic Scribae, et Pharisaei tanquam distincti, non distinguuntur inter se sicut Pharisaeus et Sadducaeus, sive sicut opposita: quia nullus Pharisaeus est*

Sadducaeus: neque e contrario, quia erant sectae disparatae, et quasi oppositae: sed distinguuntur sicut Grammaticus et Dialecticus: quia licet aliud sit Grammaticum esse, aliud Dialecticum, tamen idem potest esse Grammaticus et Dialecticus. Sic enim aliud est esse Scribam quam Pharisaeum, quia Scribam esse, est esse sapientem in lege: Pharisaeum esse, erat habere modum certum vivendi, et sectam. Et tamen accidit eundem esse Pharisaeum et Scribam, id est doctum in Lege. Maldonatus vir doctissimus ad c. 2 Mat. *Scribas proprie Notarios publicos fuisse docet, quorum duplex erat officium, alterum publica instrumenta conficiendi: alterum sacras Scripturas interpretandi, et a corruptela vindicandi.* Unde iidem *νομικοὶ*, et *νομοδιδάσκαλοι*, et *γραμματεῖς* appellantur. Epiphanius vero in sequenti Haeresi *Νομικοὺς* a Scribis discernere videtur; ait enim Pharisaeos eadem cum Scribis sensisse. *γραμματεῦσι δὲ, φημὶ, τοῖς ἑρμηνευομένοις νομοδιδασκάλοις· συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ Νομικοί.* Hanc non modo Epiphanii opinionem esse, verum etiam Lucae testimonio comprobari Drusius arbitratur de tribus Sectis 2, 13. Nam cum Christus com. 45 dixisset *οὐαὶ ὑμῖν Γραμματεῖς, καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταί· ὅτι ἐστὲ ὡς τὰ μνημεῖα τὰ ἄδηλα*, etc., statim quidam *τῶν νομικῶν respondens ait illi, Haec dicens etiam contumeliam nobis facis.* Tum Iesus *καὶ ὑμῖν τοῖς Νομικοῖς οὐαί:* quasi diceret Legisperitus, non solùm Scribas et Pharisaeos, sed etiam nos *νομικοὺς* id est Legisperitos notas. Ergo diversi aliquantum *νομικοὶ* a Scribis. Scaliger vero in Elencho c. 11 in eodem Epiphanii loco Serrario arroganter insultans *νομικοὺς* ait *proprie formulas iuris et actiones civiles docuisse, ac forensia magis tractasse.* Et postea eundem Serrarium insequitur, quod Scribas legis cum Scribis populi, et actuariis publicis confuderit. Duo enim Scribarum genera constituit; *γραμματεῖς τοῦ νόμου, καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ:* et hos posteriores actores vel actuarios publicos fuisse putat. Nos attente consideratis omnibus non dubitamus quin *νομικοὶ* iidem sint cum Scribis et *νομοδιδασκάλοις* apud Evangelistas. Nam de Epiphanii loco postea viderimus: adeoque foedissime Scaliger hallucinetur, cum *νομικοὺς* actuarios publicos esse docet: quo nihil ineptius excidere potuit. Nam ut Lucae illo 30

ipso loco, de quo paulo post, utar: cum c. 11, 46, ad *νομικοὺς* oratione conversa, ita eos Christus exagitat: *καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαί: quia oneratis homines oneribus, quae portare non possunt. et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas;* num tandem actuarios publicos et civilium actionum formularios intellexit, ac non potius Legis Interpretes ac Doctores? Cum praesertim Matth. 23, idem Scribis et Pharisaeis, quod apud Lucam *τοῖς νομικοῖς*, obiectum sit, nempe *quod alligarent onera gravia, et importabilia, etc. digito autem suo nollent ea movere.* Quare *νομικοὶ* ad Scribas, vel Pharisaeos, vel utrosque pertinent. Sane qui Matth. 22, 35 *νομικὸς* a nostro Interprete *Legis doctor* dicitur, idem Marci 12, 28, *εἷς τῶν Γραμματέων* nominatur. Atque adeo Tertull. con. Marc. 4, 27 *νομικοὺς*, quorum in illo c. 11 Lucas meminit, Legis Doctores interpretatur. Alibi vero passim vulgatus Interpres *νομικὸν* vertit *legisperitum.* Unde persaepe *νομικοὶ* cum Pharisaeis copulantur, ut Luc. 14, 3. *Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos, et Pharisaeos:* Graece *τοὺς νομικούς:* et 7, 30. *Οἱ δὲ Φαρισαῖοι, καὶ οἱ νομικοί.* Qui 5, 17, *Φαρισαῖοι καὶ νομοδιδάσκαλοι* vocantur. Quare *νομικοὶ* a *νομοδιδασκάλοις* non discrepant; iidemque Legis Interpretes sunt, ut et Bezae placuit; et falsissimum est *τοὺς νομικοὺς* proprie circa actiones civiles ac formulas occupari. Par est Scaligeri delirium, cum Scribas populi sic a Scribis legis secernit, ut illi actuarii vel actores publici fuerint. Quippe Matth. 2, 4, Herodes, cum Magorum adventum et Christi nativitatem inaudisset, ut quo in loco Christus nasceretur inquireret, *Principes Sacerdotum, et Scribas populi* convocat, et eorum responsum expetit. Quinam igitur alii esse possunt quam Legis interpretes et Doctores? Certe non illi pragmatici, aut formularii, sive actuarii fuerunt: quos nemo de re tanta ac tam recondita consuleret, ad quam scilicet intelligendam disceptandamque non mediocris sacrarum literarum usus ac scientia requiratur. Quod ad Lucae testimonium illud attinet, c. 11, singulare est in eo quiddam; de quo nullus, quantum scire possum, Interpres admonuit. Etenim Graece ita legitur: *Οὐαὶ ὑμῖν Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ*, comm. 44, quod et Latina Bibliorum Regiorum interpretatio retinet. At in Latinis aliis codicibus, et apud Am-

brosium, et Hieronymum ita legitur; *Vae vobis, quia estis ut monumenta, quae non apparent,* etc. Neque vocabula ista reperiuntur, *Scribae et Pharisaei hypocritae.* Et apparet in quibusdam olim Graecorum codicibus illa defuisse: quae si expungantur, peribit argumentum illud, quo fretus Drusius *νομικοὺς* a Scribis distinxerat. Et quamvis ita ut in Graecis extat, *Scribae et Pharisaei* legamus, non inde tamen discrimen illud evincitur. Ita enim interpretari licet: cum hactenus in solos Pharisaeos invectus esset, postremo comm. 44, ad Pharisaeos etiam Scribas adiecisse. Quod cum indigne tulisset quidam, qui Scriba tantummodo, non Pharisaeus esset, de ea re conquestum, quod non modo Pharisaeos, verum et ordinem suum incesseret. Haec esse potest simplicissima huius loci, aptissimaque sententia. Nam omnino *νομικοὺς* pro Scribis, et vicissim, Evangelistae omnes usurpant. Scribarum porro munus et officium praeclare descripsit Epiph. cum ait *δευτερωτάς τινας τοῦ νόμου* fuisse, *ὡς γραμ-* 31
ματικὴν τινα ἐπιστήμην ὑφηγουμένους. Quos quidem ex Levitica Tribu extitisse perperam adnotat Beza. Nam e qualibet esse poterant, ut et Pharisaei.

32 c. *πυγμῇ μὲν τὰς χεῖρας νιπτόμενοι*] *Πυγμῇ* non aliter accepit Epiphanius ac vulgatis interpres, pro eo quod est *crebro, frequenter:* pro quo Beza novitatis intempestivo studio *pugno* reddidit, sane imperite. Sed de Iudaico quodam abluendi genere, quo ad summos usque digitos manus lavabant, vide Serrarium nostrum 2, 3.

32 d. *καὶ φυλακτήρια παρ' αὐτοῖς*] Deuteron. 6, 8 cum mandatorum suorum iugem et assiduam meditationem praeciperet Deus: *Et ligabis,* inquit, *ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos,* Hebraice וחיו לטוטפות בין עיניך. Chaldaens לתפלין. De Totaphoth tam ab Hebraeis quam a nostris varie disputatur. LXX pro ea voce *ἀσάλευτα* reddunt: *καὶ ἔστωσαν ἀσάλευτα πρὸ ὀφθαλμῶν σου: et sint immobilia.* At Scaliger inepte credidit *ἀσάλευτα* idem esse atque *amuleta: quam vocem,* inquit, *Grammatici nondum in sua Lexica retulerunt. Itaque idem est ἀσάλευτον καὶ φυλακτήριον.* Sed unde hoc tandem habet? Nam *ἀσάλευτα* non substantive, neque ad rem certam significandam, sed adiective, et *ἀορίστως* usurparunt. *Erunt,* inquit, *immota ante oculos*

tuos. Quare friget haec novae vocis observatio. Locus est Matth. 23, 5, in quo ad Totapholh et frontalia Christus respectum habuisse videtur. Nam Pharisaeos perstringens: ***Dilatant***, inquit, ***phylacteria sua, et magnificant fimbrias***. Quem ad locum Hieronym. Pharisaeorum superstitionem notat, qui quod simpliciter a Deo mandatum erat, ut in Lege meditanda observandaque assidue versarentur, utique illa ante oculos perpetuo quasi monimentum quoddam extaret, ita interpretati sunt, quasi descriptam in membranis legem et frontibus alligatam gestari praeciperet. Quocirca haec opinio Hieronymi fuit, nullum Iudaeos mandatum habuisse de Phylacteriis ac frontalibus membranis, sed crasse illos et imperite Divinum monitum accepisse. Quam ob caussam acerrime a Scaligero reprehensus est, qui ex ipsis legis verbis pugnat in Elencho c. 8, ea ipsa phylacteria praescripta fuisse. Non inficior idem et plerisque PP. videri, et imprimis Iustino, in Dialogo cum Tryphone, de gestandis alligandisque frontalibus, mandatum Iudaeis editum. Sed ex legis hoc verbis aperte colligi posse, quod putat Scaliger, hoc vero pernego. Et multo mihi probabilior Hieronymi sententia videtur: cum antiquissima Iudaeorum consuetudo non maius hac in parte praeiudicium afferat, quam sexcenti alii ritus, ac δευτερώσεις nugacissimae, quos iam tum Christi Domini tempore ex Legis verbis non minus stolide quam pertinaciter eliciebant. De fimbriis aliter sentiendum. Etenim Num. 15, 38 conceptis verbis iubentur *fimbrias per palliorum angulos habere*, iisdemque *vittas hyacinthinas* adiungere. Fimbrias Hebraice Moses ציצית: LXX κράσπεδα. Vittas autem ille פתיל; isti κλῶσμια vocant. De quibus non solum Hebraei, sed et nostrates Critici copiose disserunt.

τουτέστι πλατέα σήματα πορφύρας] Mira vocabuli huius
32 τῶν φυλακτηρίων interpretatio, clavos esse purpureos latos, qui colobiis et epomidibus insuerentur, ad eundem modum, quo Romani Senatores sui ordinis insigne gestabant. Hoc vero, inquam, admirandum potius quam aut sine alio idoneo authore nimis amplectendum, aut acrius reprehendendum, quod in Elencho Scaliger instituit. Atqui utrum Dalmaticas istas, et Colobionas clavatos Pharisaei olim gesserint, eaque Phylacteria plerique nominaverint, necne, aliunde constare non potest et ex

reconditis Iudaeorum libris ac ritibus multa Epiphanius potuit addiscere, quae hoc saeculo et hodiernis Iudaeis ignota sunt. Esto igitur; clavos etiam istiusmodi *φυλακτήρια* nuncupaverint, vulgo tamen *φυλακτήρια* illa, quorum Matthaeus meminit, cum Hieronymo pittaciola, et membranacea frontalia eruditi homines interpretantur.

33 a. *ῥοΐσκους γάρ τινας ἐπὶ τὰ τέσσαρα*] Ridicule Scaliger, ut Epiphanium erroris arguat: *Si mala punica*, inquit, *non igitur κράσπεδα*. Quasi non etiam *ῥοΐσκοι τοῖς κρασπέδοις* alligari potuerint; ut et spinas adhibuisse, quo cruorem elicerent, testatur Hieronymus. Nec obstat, quod *ῥοΐσκους* summus Sacerdos *ἐν ἀρχιερατικῇ στολῇ* gestaverit. Nam diversos ab illis cum numero, tum materia, aliisque id genus Pharisaei, cum in casto essent, usurpare poterant. Sic paludamentum cum Romanorum Impp. proprium fuerit, etiam militibus attribuitur. Atque, ut a Iudaeis non recedam, quis nescit inter summi Sacerdotis vestes ephod, sive *τὴν ἐπωμίδα*, ac superhumerale fuisse? Et tamen non modo Sacerdotes ac Levitae caeteri, sed etiam laici Ephod induebant, uti David Reg. 2, 6, 14. Sed hoc videlicet lineum erat: alterum illud Pontificum proprium quatuor ex coloribus constabat, hyacintho, bysso, cocco, purpura; sed et auro contextum erat. Vide Hieron. Epist. ad Fabiolam. Nimis igitur insulse adversus Epiphanium nostrum argumentatur Scaliger.

33 b. *δευτέρα δὲ εἰς τὸν διδάσκαλον αὐτῶν*] Eadem *δευτερώσεων* genera percenset Haeresi 33, 9. Quo ex loco *Ῥαββὶ Ἀκιβᾶν* pro *Βαραχιβᾶν* legendum hic admonemur. Hic est ille nisi fallor R. Akiba, de quo in Iudaeorum Kalendario 5 die Trisi haec adscripta sunt: *R. Akiba filius Ioseph coniicitur in vincula, ubi moritur.*

AD HAERESIN XVII PHARISAEORUM.

33 d. *συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ Νομικοί*] De Scaligeri hallucinatione supra vidimus, qui *νομικοὺς actuarios* esse ac *formularios* credidit, Proximus huic error est, quod praesentem Epiphanii locum sic interpretatus est, ut *τὸ αὐτοῖς* ad Pharisaeos referret, quibuscum versabantur *οἱ νομικοί*. *Epi-*

phanius, inquit, *aperte τοὺς νομικοὺς distinguit ἀπὸ τῶν νομοδιδασκάλων, τῶν καὶ γραμματέων. Eosdem enim facit γραμματέας* et *νομοδιδασκάλους; a quibus distinguit τοὺς νομικούς, quos accenset Pharisaeis. Ideo recte ait: συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ νομικοί. Eodem*, inquit, *loco censebantur Pharisaei, et νομικοὶ, qui quamvis unum corpus καὶ τάγμα efficiebant, tamen erat discrimen quoddam inter Pharisaeos καὶ τοὺς νομικούς; quod severius institutum esset Pharisaeorum quam τῶν νομικῶν.* Hinc Serrarium imperitiae arguit,
33 quod ita vertit, *Cum ipsis enim iidem erant, et Nomici, seu Legisperiti.* Sed Epiphanii sensum pessime interpretatus est Scaliger. Etenim *τὸ αὐτοῖς* non alios quam scribas, sive *νομοδιδασκάλους*, significat, *οἷς συνῆσαν καὶ οἱ Νομικοί.* Quia saepius Evangelistae Scribas et *νομικοὺς* quasi distinctos nominant, tametsi ex eodem essent ordine, idque vel *κατ' ἐπεξήγησιν*, vel quia Scribarum complures erant gradus et officia, cum et civilibus forte contractibus ac stipulationibus praeessent iidem, et Legem interpretarentur: idcirco *συνῆσαν*, inquit, *τοῖς Γραμματεῦσιν οἱ νομικοὶ*, hoc est *coniuncti erant*, unum *τάγμα* et corpus efficiebant. A quo non admodum abhorret Serrarius. Nam *μεταληπτικῶς* Epiphanius indicat, eosdem cum Scribis esse *τοὺς Νομικοὺς*, licet *συνεῖναί τινι* proprie non sit idem esse cum aliquo. Postremo perperam *αὐτοῖς* ad Pharisaeos referri docent quae proxime subiiciuntur, *Ἀλλὰ καὶ παρὰ τούτους*, tam *νομικοὺς* scilicet quam *Γραμματέας.*

34 a. *ἀηδῆ τε ῥύσιν σώματος ἀπεργαζομένην*] Scribendum pronunciat Scaliger *ἀήθη ἔκκρισιν σπέρματος ἀπεργαζομένων.* Audax nimis emendatio minimeque necessaria. Nam *ἀπεργαζομένην* passive, ut alibi saepe, hoc loco sumpsit. Est enim Graecae proprietatis parum alioqui diligens Epiphanius, ut et Photius observat. Quod si commutationis nonnihil opus videatur, ego ita concipiam, *ἀηδῆ ῥύσιν σώματος ἀπεργαζομένων.* Intelligit autem קרי sive *ἐξονειρωγμόν.* Super hac *ἐκκρίσει* extat Athanasii Epistola ad Ammum Monachum, qui quantumvis praeter voluntatem accideret, utrum culpa careret addubitaverat.

34 b. *ἐνήστευον δὲ δὶς*] Secundam et quintam feriam Theophylactus aeque atque Epiphanius adnotat et Hebraeorum

Libri fidem faciunt, ut ea de re vir doctus frustra dubitaverit.

ἀπεδεκάτουν δὲ τὴν δεκάτωσιν] Proprium hoc fuit Levitarum, qui decimarum, quas populus praestabat, decimas Sacerdotibus eximebant; Numerorum 18. Atqui non omnes Pharisaei erant Levitae, quod tamen Epiphanium sensisse ex hoc loco suspicari aliquis posset. Quae enim alioqui decumarum sunt decumae, cum praeter Leviticum ordinem decumas nullus acceperit? Primum omnium ab Israëlitis primitiae de spicis, uvis et oleis afferebantur: tum de frugibus elaboratis Theruma et decimae. Theruma in lege definita non erat. Sed a Magistris praescriptus modus est, ut ne minus sexagesima penderetur. Quare qui liberales erant, quadragesimam, parci sexagesimam, medii inter utrosque ad hos aut illos accedebant. De qua re extat Iosephi Scaligeri Opusculum inter Posthuma. De iis itaque Therumis fortean accipiendus Epiphanius, cum *τριακοντάδας* et *πεντηκοντάδας* persolutas a Pharisaeis esse scribit. Quod si verum est, egregia illorum liberalitas extitit, utpote qui praefinitum a Magistris terminum *τῶν τεσσαρακοστῶν* superaverint. Tria porro decumarum apud Hebraeos genera praeter Therumas et primitias fuere. Prima illa fuit, quam Leviticae tribui quotannis pensitabant. Num. 18, 20 et deinceps. Altera, quam singulis annis penes se quisque retinebat, ut ibi, ubi Sanctuarium erat, illa vesceretur, adhibitis ad convivium Levitis, Deut. 14. Tertia demum, quam tertio quoque anno in Levitas et pupillos viduasque distribuebant: eod. Deut. cap.

καὶ γυναικικῶν ἱματίων] Magnopere mirandum, si modo 34
verum est, muliebribus palliolis usos esse Pharisaeos. Quod sequitur, *ἐν πλατείαις ταῖς κρηπῖσι*, latas eosdem crepidas habuisse significat, nec aliter Cornarius. Quidam tamen ita corrigendum putant, *ἐν πλατείαις, ἐν ταῖς κρηπῖσι, καὶ γλώτταις*, etc. ac plateas intelligunt, in quibus ostentabant se Pharisaei. Ego nihil innovandum censeo.

34 c. *Φάρες γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραΐδα*] Reg. codex *φέρες*, quasi sit *φέρις*, et legendum sit *ἀφωρισμένος*. Quanquam *ἀφορισμὸς* res est ipsa, quam vocabulum significat: non ut *τὸ φάρες* vel *φέρες* praecise sit verbale substantivum *ἐνέργειαν* sonans. Est enim potius *separatus* quam *separatio*.

34 d. *οἷον ἥλιος Ἧμα καὶ σέμες*] De his Hebraeorum appellationibus agit eruditissimus Serrarius noster l. 1 de tribus Sectis c. 2 et in Minervali 4, 3. Ea sic Hebraice concipienda sunt. חמה, vel שמש: ידה vel הלבנה. Duorum sequentium nomina, quod eorum origo sit incerta, non satis *ἐξεβραΐζεσθαι* queunt; *Χωχὲβ Ὀκμὼλ*, et *Χωχὲβ Ὀχμόδ*. Quorum prius *Ὀκμὼλ* forte a קמל, quod est succidere, alterum a חמד quod est concupiscere, quia Mercurius lucrionibus et negotiatoribus quaestus avidissimis praesidet. Nam quod Scaliger Ocmol ad Camulum, qui in veteri Inscriptione extat, pertinere defendit, non probat. Sequitur כוכב בעל. Veneris stella *σερούα*, vel *λουήδ*. Prior vox a זדע, ut Serrario visum est, deducta; quasi זרוע: posteriorem a ילד malim quam a לחט. Nam et Assyrii *Ἀφροδίτην Μύλιττα*, Arabes *Ἀλίττα* nuncuparunt. Author Herodotus Clio: מולדתא *ἡ γενέτειρα*. Denique כוכב שבט Sabbati stella recte Saturnus dicitur.

ἀλλὰ καὶ τὰ ματαίως νομιζόμενα] Vellem clarius haec ipsa *στοιχεῖα* declarasset. Nam valde est obscurum quomodo 12 haec Signorum vocabula *εἰς ἀριθμὸν στοιχείων νομιζόμενα* dicantur. An hoc voluit, haec a Gentilibus velut elementa, et *στοιχειώδη*, vel *συνέχοντα τοῦ ἀνθρωπίνου βίου* esse constituta? An id potius, quod interpretatione nostra expressimus? Nam Signa Zodiaci dividuntur vel *κατὰ διάμετρον*, vel *κατὰ τρίγωνον*, vel *κατὰ τετράγωνον*; de quibus Geminus p. 21. Ex iis partitionibus secunda, quae est *κατὰ τρίγωνον*, quadrifariam Signiferum orbem dividit: primum segmentum Boreale dicitur: secundum Australe: tertium Zephyricum: quartum Subsolanum. Quae quidem ad nativitates, *συμπαθείας τῶν γενέσεων*, a Genethliacis accommodantur et ait Geminus, quod in certis sideribus mutua quaedam consensio et conspiratio inesse credatur. Eadem illa segmenta suis quaeque elementis assignarunt. Quae omnia in hoc Diagrammate intueri licet.

Βόρειον τμῆμα.	*Νότιον.*	*Ζεφυρικόν.*	*Ἀφηλιωτικόν.*
Ignis	Terra	Aer	Aqua
Aries	Taurus	Gemini	Cancer
Leo	Virgo	Libra	Scorpius
Sagittarius	Capricornus	Aquarius	Pisces

Ad hunc itaque sensum duodecim signa pro elementorum numero partita scribit Epiphanius. Iam haec verba *ἃ ζώδια καλοῦσι* Cornarius ita vertit: *quae animalia vocant:* ex quo manasse puto ut viri quidam eruditi scripserint Epiphanium referre Pharisaeos astra coeli animata constituisse, hac ipsa Haeresi 16, quod in Ecclesiast. Annal. ad A. C. 60 legitur. Sed id secus se habet. Nam ne litera hoc quidem ulla significavit Epiphanius, sed hoc unum docuit, Pharisaeos coelestibus signis ac sideribus certa indidisse nomina, quae fere a Gentilibus usurpabantur, maxime duodenis illis signis, quae vulgo *ζώδια* vocantur. Quare nos ambiguitatis cavendae gratia *Zodia* quam *animalia* vertere maluimus. Nam ex hoc fonte non satis cautae interpretationis falsa de Epiph. testimonio sententia profluxit. Quanquam non illud ignoramus, a nonnullis Hebraeorum Doctoribus coelestes orbes anima intelligentiaque praeditos existimari. Quam R. Mosis opinionem David Kimhi in Psalm. 19 his verbis explicat: והרב מורה עדק חחבם רבי מישה פירוש מספרים על השמים כי דעתו ודע הפילוסופים בי הגלגלים חיים משבילים עובדים לאל ומשבחים אותו שבח גדול *Rabbi Moses,* inquit, *vocem illam,* enarrant, *sic exponit ut ad coelestes orbes referat, quoniam haec illius ac Philosophorum opinio est, coelestes orbes vivere, et intelligere, ac Deum colere, summisque laudibus afficere.* Hinc *coelicolas* Iudaeos ab Imperatoribus Cod. de Iudaeis et Coelicolis appellari censet Baronius loco citato, quod Astra coelumque colerent. At Scaliger nominis rationem affert aliam. De qua ad ultimam Haeresin opportunius disseremus. Caeterum huc referri potest quod apud Orig. l. 1 Celsus Iudaeis obiiciebat: *λέγων αὐτοὺς σέβειν ἀγγέλους καὶ γοητείᾳ προσκεῖσθαι.*

35 b. *ταῦτα δέ μοι οὐκ εἰς στρόβησιν*] Pharisaei etsi Fatum agnoscerent, non humana tamen omnia ex eo pendere statuebant: neque liberam hominis voluntatem atque arbitrii potestatem e medio tollebant, uti pluribus explicat Iosephus Orig. 17, 2, et *ἁλώσ.* 2, 12. Quare nihil erat cur Epiphanius sequentem adversus assertores fati disputationem contra Pharisaeos potissimum dirigeret, quatenus ea res ad humanas actiones earumque libera consilia pertinet, quae Pharisaeos nequaquam sustulisse Pharisaeus asserit Iosephus.

AD HAERESIN XVII HEMEROBAPTISTARUM.

36 d. Commune Iudaeis omnibus, et imprimis Pharisaeis fuisse Marcus Evangelista testatur c. 7, 3 et 4, ut et manus frequenter abluerent, et a foro redeuntes baptizarentur. Quare non videtur peculiaris haec secta Iudaeorum extitisse; nisi ita dicamus, nonnullos, qui se sanctitate praestare caeteris vellent, non modo quoties a foro redirent, verum etiam tametsi pedem domo non extulissent, de die saepius lavare consuevisse. Cuiusmodi Banus ille fuit, cui se Iosephus in disciplinam tradidit, ut in vita sua scriptum reliquit. Hunc enim refert *ψυχρῷ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα πολλάκις λουόμενον πρὸς ἁγνείαν.* Sic Esseni apud eundem Iosephum 2, 7 corpus ante cibum abluebant frigida. Quid igitur Hemerobaptistae illi, quos Epiphanius refert, meruerint, ut distinctam ab aliis Sectam efficerent, non satis discernimus.

36 *οὐ μὴν ἐξισουμένη τοῖς Σαδδουκαίοις*] Qui prima specie verborum istorum sensus occurrit, is est, quem non modo nos ipsi, sed etiam Cornarius expressit, Hemerobaptistas non solum in neganda mortuorum resurrectione, verum in reliqua omni dogmatum falsitate concordare cum Sadducaeis. *οὐ μὴν ἐξισουμένη μόνον*, inquit, *τοῖς Σαδδουκαίοις ἐν τῇ τῶν νεκρῶν ἀναστάσει, ἀλλὰ τῇ ἀπιστίᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις.* Sed haec sententia ab iis, quae paulo ante leguntur, tum in Breviario Sectarum huius libri, et in universarum Anacephalaeosi repetuntur ab Epiphanio, vehementer dissidet. Nam ubique constanter asseritur, Hemerobaptistas a Iudaeis reliquis nulla in parte dis-

crepare, sive, ut hoc loco scripsit, a Scribis et Pharisaeis. Quod si communem cum Sadducaeis negationem resurrectionis habuerint, aliaque dogmata, quibus isti a Pharisaeis et Scribis tantopere abhorrebant, ut ad Samaritanos accederent, quemadmodum in illorum declaranda Haeresi testatus est, profecto multum cum a reliquis Iudaeorum factionibus, tum a Pharisaeis ac Scribis Hemerobaptistae separati sunt. Quae me ratio commovet ut aliter Epiphanii verba interpretanda iudicem, adeoque contrario sensu ac prior ille est, quem in Latina versione posui. *Οὐ μὴν ἐξισουμένη*, inquit, *τοῖς Σαδδουκαίοις. Non tamen cum Sadducaeis congruens,* hoc uno capite, quod mortuorum resurrectionem non, ut illis visum est, abneget, quanquam reliqua in perfidia, et adversus Christum praecipue contumacia, Sadducaeorum ac caeterarum Iudaismi Haereseon gemina sit.

AD HAERESIN XVIII NAZARAEORUM.

Nazareni quinam veteri in lege fuerint nemini est ignotum. Sed ii fere ad tempus, non perpetuo sibi delectum ciborum indicere consueverant. Tametsi perpetui quidam erant Nazaraei: cuiusmodi Sampson extitit. Deinde non usque eo impietatis processerant, ut Pentateuchum Mosis ac legem repudiarent, quod Nazarenos istos factitasse scribit Epiphanius. Qui non modo inter Iudaeorum sectas Nazarenos recenset, sed etiam Christianis adscribit. Vide Haeresin 29. Quamvis hoc interest, quod Iudaicos istos *Ναασραίους*, Christianos *Ναζωραίους* appellet. Sane Christianos Iudaei נוצרים nominant, ut Elias in Thisbi docet, a Nazaretho Galilaeae oppido; Christus ipse Nazarenus appellatus est, et Nazaraeus, tam נזירי, quam נוצרי, ut Hieronymus indicat in c. 3 Mat. Nazaraei veteres נזירים proprie vocati, quasi *sancti* et *separati*. Sed cum Epiphanius duo illa genera discernat, suspicor priores, et Iudaicos נזירים *Nazaraeos,* posteriores, qui in Christum credíderant, נוצרים *Nazaraeos* nominari. Vide Hieron. in c. 11 Esaiae. Philastrius Nazaraeorum haeresin inter Iudaicas sectas numerat: sed legem et Prophetas amplecti scribit, neque quicquam iis aliud attribuit quam quod Nazaraei veteres observare solebant. Quo nomine

inter Haereses cooptari non debuerunt. At *Ναζαραῖοι*, quos hic describit Epiphanius, legem Mosis abnegabant, quod est idem ac ludaismum *ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως* evertere. Unde ne ad posteriores quidem Nazarenos, qui Christo nomen dederunt, quique privatam in Christianismo sectam instituerunt, possunt
37 referri, siquidem Nazaraei illi, quibuscum usum et consuetudinem habuit Hieronymus, quibusque 29 Haeresin assignat Epiphanius, vetus omne Testamentum admisere, ut ambo illi Patres affirmant, quod Iudaica ista secta funditus reiecisse videtur, quandoquidem Pentateuchum Mosis Iudaismi medullam funditus proscripsit. Sed eiusmodi Iudaici nominis Haeresin haud scio an alius praeter Epiphanium commemoraverit.

39 a. *καὶ ὅπου ἡ δρῦς Μαμβρῆ*] Celeberrimus apud posteros locus ille fuit, ad usque Constantini magni tempora, quibus tam a Iudaeis et Christianis quam a Gentilibus frequentes religionis ergo conventus ac mercatus illic habiti, quos Constantinus Edicto sustulit. Sozomenus 2, 3.

AD HAERESIN XIX OSSENORUM.

39 d. Quos Ossenos hic appellat Epiphanius, *Ὀσσαίους* Haeresi 30 et 53 nominat, ut Scaliger observat: quemadmodum *Ἐσσαῖοι* et *Ὀσσηνοὶ* pro iisdem accipiuntur. Ex quo nimirum colligit *τὸ ν̄* nonnisi *κατὰ παραγωγὴν* in Graeco esse, neque radicale videri, uti nec in Essenorum vocabulo. Addit *Ὀσσηνοὺς* eosdem esse cum *Ἐσσηνοῖς:* utrosque enim esse חסאי: quia saepenumero holem pro scheva, et vicissim scheva pro holem usurpatur. Hanc coniecturam duobus potissimum argumentis adstruit: alterum, quod multa in eorum instituto veterum Essenorum vestigia comparent: ut puta *ἡ τῶν ἀγγέλων θρησκεία*, cibus ex sale et pane, potus ex aqua: tum quod Osseni Solem adorarunt, unde et Sampsaei dicti. Nam Sampsaei, quorum est Haeresis 53, iidem cum Ossenis videntur. At Essenorum proprium hoc fuit, Oriente Sole preces fundere. Alterum est, quod Elxai impostor ille, qui ad Ossenos transiit, Essenus fuerit. Nihil enim aliud est *Ἐλξαΐ* quam *ὁ Ἐσσαῖος* אל חסאי ut id sectae, non hominis proprium extiterit. Sed ea Scaligeri coniectura eatenus a nobis probatur, ut

nihil supra coniecturam ac probabilem opinionem habeat. Et quidem cum tria apud Iudaeos ante Christum sectarum capita fuerint, Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum, caeterae omnes, quae ab Epiphanio, vel aliis memorantur, Haereses ad illarum quampiam merito revocantur, a qua initio profluxerunt. Quanquam paulatim novis ad institutum ritibus ac dogmatibus adiiciendis, aut contra veteribus reiiciendis, multum a priore forma deflexerint. Quamobrem ab Essenis Ossenos istos manasse credibile est; tametsi plurima illis contraria dogmata Osseni postmodum adstruxerint, quod ex Epiph. constare potest.

40 a. *ὥρμηνται δὲ οὗτοι*] Unde et Sampsaei profecti. Qui meri sunt Osseni, nisi quod ad communem superstitionem utcumque Christiani nominis professionem adiunxerant. Horum igitur domicilium in Peraea fuit, ut Haeresi 53 scriptum est, *πέραν τῆς ἁλυκῆς, ἤτοι νεκρᾶς καλουμένης θαλάσσης, ἐν τῇ Μωαβίτιδι χώρᾳ περὶ τὸν χειμάῤῥουν Ἀρνῶν καὶ ἐπέκεινα, ἐν τῇ Ἰτουρέᾳ καὶ Ναβαττίδι.* Ex quibus fortassis emendanda vox *τῆς Ἀρηϊλίτιδος*, quae hoc loco legitur, quae nusquam reperitur, proque ea substituendum *Ἀρωηρίτιδος* ab Aroer, quae et Ar vocatur, Moabitarum urbe frequentissima, quae Graecis est *Ἀρεόπολις*, ad torrentem Arnon, ut ad c. 12 Iosue Masius observat. Possumus et *Ἀρνωνίτιδος* a torrentis nomine suspicari scriptum.

τοῦτο δὲ τὸ γένος τῶν Ὀσσηνῶν] Quasi a verbo עשן profectum sit, quod in Aramaea lingua *fortem esse*, vel *roborare* significat, alii ab Hebraeo עוז deducunt. Scaliger non dubitat quin *Ὀσσηνὸς* ut *Ἐσσηνὸς κατὰ παραγωγὴν* conceptum sit *ἀπὸ τοῦ* חסאי, ut idem sit *Ὀσσαῖος* et *Ὀσσηνός*. Nam 38
eiusmodi Patronymicae inflexiones in *ηνὸς* Arabum et Asianorum propriae sunt, ut idem ex Stephano in *Ἀβασηνὸς* docet, cum Europaei aliter forment.

συνήφθη δὲ τούτοις μετέπειτα] De Elxai meminit, ut dictum est, in Sampsaeorum Haeresi. Quod sectae nomen esse, non hominis, proprium ariolatur Scaliger. Etenim Arabicus articulus אל cum appellatione sectae, hoc est חסאי *Ἐσσαῖος* nomen illud peperit אל־חסאי *Ἐλξαῖος*, ὁ *Ἐσσαῖος*. Qua etiam ratione eiusdem frater *Ἰεξαῖος* pro *Ἐξαῖος* ab Epiphanio nun-

cupatur, sicut Ἰεσσαῖος pro Ἐσσαῖος. Sed haec mera Scaligeri divinatio est.

40 b. ἅλας καὶ ὕδωρ, καὶ γῆν, καὶ ἄρτον] Friget Scaligeri coniectura, qui in Elencho Trihaeresii c. 27, superstitiosum Ossenorum iusiurandum per solem, panem et aquam, ad Essenorum victum refert, qui pane, sale et aqua constabat. Porro et haec, et quae deinceps sequuntur, documento esse possunt Ossenorum Sectam ab Essenis valde diversam fuisse.

41 a. διὰ τὸ Ἰὴλ καλεῖσθαι] Hebraice ita concipienda sunt חיל בסי, vel בסא *virtus abscondita.*

42 c. εἴκοσι τεσσάρων μὲν σχοινίων] Hac ratione Schoenus miliaribus constat 4½ stadiis, ut in miliaria singula 16 imputentur, 64. Herodotus Euterpe, Ὅσοι μὲν γὰρ γεωπεῖναί εἰσιν ἀνθρώπων ὀργυίῃσι μεμετρήκασι τὴν χώρην· ὅσοι δὲ ἧσσον γεωπεῖναι, σταδίοισι· οἳ δὲ πολλὴν ἔχουσι, παρασάγγῃσι· οἳ δὲ ἄφθονον λίαν, σχοίνοισι. δύναται δὲ ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα στάδια· ὁ δὲ σχοῖνος ἕκαστος μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον ἑξήκοντα στάδια.

42 d. Ἄβαρ Ἀνὶδ, μωΐβ] Non est facile ex Hebraicis hisce verbis eam sententiam elicere, quam subiecit Epiphanius. Nos ita tentavimus: יעבר עני דמאבותי נבילא דאסנון עני דאסנון נבילא מאבותי עני דעבר בשליחות שלם. Hoc est: παρελθέτω ταπείνωσις ἐκ πατέρων μου, τῆς δολιότητος, τῆς καταπατησάσης αὐτοὺς, καὶ πόνου καταπατήσαντος αὐτοὺς, τῆς δολιότητος ἐκ πατέρων μου, τῆς ταπεινώσεως τῆς παρελθούσης, ἐν ἀποστολῇ τελειώσεως. Ubi nonnulla necessario commutavimus, quod aliter extricari sententia non poterat, sed imprimis τὸ νωχιλὲ, quod κατάκρισιν nullo modo significat. Nisi quid aptius ac melius Hebraicae linguae peritiores repererint, quod non desperamus. At Scaliger loco citato nullam in ista verborum conceptione precandi formulam inesse putat, sed tres γνώμιας ac magistrorum sententias. Prima est בעבד עני מובא נבילא hoc est ταπεινοφροσύνης παρελθούσης ὑπεισάγεται δολιότης. *Qui humilitatem abdicavit saepe fit fraudulentus.* Secunda נבילא דאשים עני דאשים: καταπατοῦντες πενίαν καταπατοῦσι δολιότητα. *Qui conculcant paupertatem conculcant fraudem.* Tertia denique; מובא עני עבר שלם ὑπεισελθούσης ταπεινότητος ᾤχετο ἀσπασμός.

Qui ex divite pauper factus est, non salutatur ut ante. Quocirca ab Hebraeo illo, quem Epiphanius consuluerat, fucum esse factum existimat. De qua re amplius videndum. Apparet autem in priore sententia, quam Epiphanius exponit, ante שלם deesse vocabulum, quod *τὴν ἀποστολὴν* significet, pro quo שליחות substituimus.

AD HAERESIN XX HERODIANORUM.

45 a. Herodianos, quorum in Evangelio mentio est, alii ab Herode magno, alii ab eius filio Herode Antipa nominatos existimant. Priorem sententiam tuetur Epiphanius, qui et Herodianorum sectam ac dogma copiose persequitur. Cum autem 39
de Herode deque Herodianis accuratissime eruditissimeque Serrarius noster peculiari in opere disputaverit, neque quicquam, quod eo pertineret, intactum indictumque reliquerit, supervacuum existimamus verbum amplius ullum super ea re facere; cum ad manum sit liber ille, in quo de Herodis genere, conditione, deque Herodianis ac caeteris, quae hoc loco attigit Epiphanius, diligenter explicavit ac Scaligeri *ἀναπόδεικτα* de Herode somnia validissime refutavit.

45 b. *ἐπειδή περ ὁ Ἡρώδης υἱός*] De Herodis parente avoque a Iosepho dissentiunt Africanus, Eusebius, Epiphanius, aliique Patres omnes. Etenim ille Antipatrum Idumaeum Herodis patrem praedivitem ac potentem fuisse scribit, avum autem Antipam Idumaeae ab Alexandro Rege praepositum. At Patres avum Herodis et parentem obscurissimos ac pauperrimos extitisse memorant, ut cum Antipater, a quo Herodes genitus est, captus ab Idumaeis esset, redimi a patre suo propter inopiam minime potuerit. De hac quaestione consule quae Serrarius citato loco tradidit.

45 c. *ὕστερον δὲ ἐφιλιώθη Δημητρίῳ*] Demetrius iste cognomento *Εὐκαιρος* a Iudaeis Alexandro regi suo infensis ad auxilium vocatus cum eo pugnavit et praelio superavit. Sed cum Alexander in montes sese recepisset, ad eumque plurimi confluxissent, territus Demetrius relicta Iudaea contra Philippum fratrem bellum aggressus est. In quo a Parthis captus morbo apud eosdem extinctus est. Quamobrem nihil cum eo Herodis parens Antipater commune habuit, nedum ut ab illo

Iudaeae praefecturam obtinuerit. At Herodis avus Antipas, quo parente natus est Antipater, Alexandro regi percharus, ab eoque Idumaeae praepositus est, authore Iosepho 14, 2. Suspicamur itaque multipliciter hallucinatum Epiphanium: primum quod Demetrium pro Alexandro posuerit; tum quod Herodis parentem pro avo, Iudaeam pro Idumaea imprudens usurpaverit. Quamvis quod ad Praefecturam attinet, alibi saepe Antipatrum Herodis parentem Iudaeae Procuratorem ab Augusto factum asseverat. De quo ad Haeresim 51 dicturi sumus.

45 d. *περιτέμνεταί τε καὶ αὐτός*] Negat hoc Scaliger in Eusebianis Animadversionibus, quod Idumaeus esset Antipater. At Idumaei omnes ante plures annos inter Iudaeos adscripti. Sed haec erudite a Serrario nostro refelluntur.

47 a. *ἐνδημία Χριστοῦ*] Quae hic ab Epiphanio de Salvatoris ortu, cunabulis ac postremo Passione dicuntur, nec non et de Augusti atque Herodis annis, opportunius ad Haeresim 51 explicantur. Ubi de anno Dominici Natalis as Passionis ac reliquis, quae eodem spectant, agendum erit pluribus.

AD HAERESIN XXI SIMONIANORUM.

55 a. *Σίμωνος δὲ γίνεται*] Vide Iustinum Apolog. 2, Irenaeum 1, 20. Philastr. Augustinum, Theodoretum, Clem. Alex. 2. Strom. Eusebium Hist. 2, 11 Niceph. Ruff. et alios. Sed mirum est, quod in calce 7 Strom. Clemens asserit Simonem Marcione posteriorem fuisse. Ubi Catholicam Ecclesiam Haeresibus universis aetate superiorem esse docens, *Κάτω δὲ περὶ τοὺς Ἁδριανοῦ τοῦ βασιλέως χρόνους οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι, καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου διέτειναν ἡλικίας.* Tum Basiliden et Valentinum enumerat. Moxque subiicit, *Μαρκίων γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο. μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν.* Ergo Simon Marcione posterior est? Manifestus itaque error est. Ut et illud quod scribit Haereticos omnes sub Adriani extitisse tempora. Constat enim Simonem vivente adhuc Petro sub Nerone mortuum esse. Sed quid est quod idem Clem. Strom. 2 de Simonianis loquens iis verbis significat? *Οἱ δὲ*

ἀμφὶ τὸν Σίμωνα τῷ ἑστῶτι, ὃν σέβουσιν, ἐξομοιοῦσθαι τρόπον βούλονται. An stantes orabant? aut quippiam aliud ad eum modum agebant?

ἀπὸ Γιτθῶν] Steph. *Γίττα πόλις Παλαιστίνης. Πολύβιος ἐκκαιδεκάτῳ. τὸ ἐθνικὸν Γιτταῖος.* Ita et Iustinus Apol. 2. Theodor. *Γιτθῶν.*

56 a. *λογισάμενος δώσειν*] Expungenda vox *δώσειν*, atque ita deinceps scribendum, *λογισάμενος πολλὴν δὴ ἀντὶ ὀλίγου.* Nisi retenta voce *δώσειν* sensus ille quem expressimus magis arrideat.

ἀπὸ τῆς ἐν τῇ μαγείᾳ] Hinc Simoniani omnes Magi. Irenaeus: *Et quaecunque sunt alia parerga, apud eos studiose exercentur.* Corrigendum *perierga,* ut Act. 19, 19. *Qui erant curiosa sectati.*

56 b. *Ἑλένην τοὔνομα*] Selenem vocant alii, ut Iren. 1, 20: Cyrillus, Aug. et alii. Vide Tertull. l. de An. c. 34.

56 c. *ἡ καὶ Προὔνικος*] Dicam de ea voce ad Nicolaitarum Haeresim.

56 d. *Βαρβηρὼ ἤτοι Βαρβηλώ*] Syriaca vox esse videtur Barbelo בר בעלא filius Bahalis, id est Iovis. Ut enim Verbum aeterni Patris filius, sic impurus iste *ἔννοιαν* suam, hoc est Helenam, videri voluit velut foetum quendam esse suum; ut Iustinus narrat, *τὴν ὑπ' αὐτοῦ ἔννοιαν πρώτην γενομένην.*

εἰς συλαγωγίαν] Ita ex Reg. Cod. emendavimus pro eo quod erat *ψυχαγωγίαν.*

58 a. *τοῦτο γάρ ἐστι τὸ γεγραμμένον*] Tert. *Hanc igitur esse ovem perditam, ad quam descenderit pater summus, Simon scilicet,* etc.

58 c. *ὀνόματα δέ τινα ὁ αὐτός*] Tert. de Praescr. c. 33 *Simonianae autem magiae disciplina Angelis serviens, utique et ipsa inter Idololatrias deputabatur, et a Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.* Haec est Angelorum *λατρεία*, quam Magis usitatam esse docet Clem. Alex. 3 Strom. *Ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐστὶ καὶ τοῖς Μάγοις οἴνου τε ὁμοῦ καὶ ἐμψύχων, καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, λατρεύουσιν ἀγγέλοις καὶ δαίμοσιν.* Hinc Conc. Laod. Can. 35. *Ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν,* etc. Quae An-

gelorum *ὀνομασία* ad Magorum praestigias superstitiososque cultus referri debet. Ut et illud Pauli ad Coloss. c. 2 *μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων*. Ex quo illud apparet, quam inepte ab Haereticis ad stolidissimi erroris patrocinium uterque ille locus afferatur. Mirum est vero quod in Ecclesiasticis Annalibus legitur, de illa Angelorum *θρησκείᾳ* nullam ab Epiphanio mentionem esse factam. Quid enim clarius quam quod Epiphanius hoc loco narrat, Simonem Angelorum nescio quas appellationes esse commentum, nec aliter obtineri posse salutem asseverasse quam si quis summo Parenti per easdem illas Potestates ac Dominationes sacrificium offerret? An non haec est *θρησκεία τῶν ἀγγέλων*?

41 At enim Angelos, quos mundi conditores fecit, detestatus est Simon, suisque vetuit *προσέχειν τούτοις*, ut ait Theodor. et Irenaeus. Qui igitur convenit ut *θρησκείαν* illis adhibuerit? Sed nimirum utrunque verum est. Angelos mundi conditores contemnendos esse docuit eatenus, ut supra illos attollendos se esse crederent et ad summum illum Patrem emersuros. Ac nihilominus tamen, quandiu in hac vita degerent, execrandis illis mysteriis ac ritibus placandos, ne evolantes e corporibus animas pro suo iure retinerent. Quod Gnostici postmodum arripuerunt. Quorum illud erat, *τὰ σαρκικὰ τοῖς σαρκικοῖς ἀποδοτέον*.

59 a. *ἢ τίνι τῷ λόγῳ τὸ ἐπίθετον*] Quid tandem sibi vult Epiphanius? Negat enim Simonem ullam sibi appellationem indidisse. Atqui is trium sibi personarum nomina vendicabat et *δύναμιν* inter cetera *θεοῦ* sese nominabat: hoc est, ut ego interpretor, Dei filium. Vide Iren.

ἐν μέσῃ τῇ τῶν Ῥωμαίων πόλει] Hanc Historiam veteres omnes Patres post Iustinum referunt; Eusebius, Cyrillus et alii. Sed de statua Simoni cum hac inscriptione posita "Simoni Deo Sancto" vir quidam eruditus addubitat, qui Iustinum Graecum hominem errore deceptum putat, cum vulgarem illam ac passim extantem *ἐπιγραφὴν* legisset "Semoni Deo Sancto", Simonem pro Semone accepisse. Quae mihi coniectura sane probabilis est visa.

AD HAERESIN XXII MENANDRI.

De Menandro Tertull. de Praescr. c. 46. ***Post hunc Menander discipulus illius, similiter magus, eadem dicens, quae Simon ipse: quicquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere quenquam posse salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset.*** Vide Euseb. Hist. 3, 20. Iustinum Apol. 2. August. Philast. etc.

60 d. *ὃς ἀπὸ Σαμαρειτῶν ὁρμώμενος*] Iustinus: *ἀπὸ κώμης Καππαρεταίας*. Theodoretus: *ἀπὸ Χαβραὶ κώμης οὕτω καλουμένης*.

61 a. *ἑαυτὸν δὲ ἔλεγε δύναμιν*] Atqui Iren. 1, 21 scribit Menandrum dixisse primam virtutem incognitam omnibus esse, se vero ad hominum salutem ab Angelis esse missum. Quare non *μεγάλην* illam se esse *δύναμιν* asseruisse videtur, ut ipsius magister et erroris architectus, sed minorem quandam. Quod et diserte Theodor. asserit. *Ἑαυτὸν δὲ*, inquit, *οὐ τὴν πρώτην ὠνόμασε δύναμιν· ἄγνωστον γὰρ ἔφησε ταύτην· ἀλλ' ὑπ' ἐκείνης ἀπεστάλθαι βρενθυόμενος*. Quod si ita est, qui verum esse potest, quod subiicit Epiphanius, maiorem se Menandrum antecessore suo ac praeceptore iactasse? Nisi forte mendacii hac in parte Simonem arguens, eumque in ordinem redigens, sibi ipsi inferioris illius *δυνάμεως* nomen ac dignitatem arrogavit. Quem ad sensum revocanda sunt Tertulliani verba; ut quia *δύναμιν* se esse dicebat, etsi non eandem, quam Simon, prae se ferret, idem de se professus fuisse dicatur.

εἰς τὸ ἑαυτῶν μυστήριον] Privatum quoddam Baptismi genus Menander habuit, quo qui initiati essent immortales fore hac in vita persuaserat. Iustinus Apol. 2, Irenaeus, Eusebius.

61 c. *στραφεῖσα αὕτη, καὶ ἀπὸ τῆς κέρκου*] Sic apud 42
Spartianum in Antonino Pio: ***Visus est in Arabia iubatus anguis maior solitis, qui se a cauda medium comedit.***

AD HAERESIN XXIII SATURNILIANORUM.

Authorem Haeresis istius ***Saturninum*** Irenaeus appellat, ut et Philastrius atque Augustinus. Iustinus vero Dialogo cum Tryphone et Theodoretus ***Saturnilum***.

62 c. *παρακυψάσης φωνῆς*] Iren. *lucida imagine apparente:* quasi esset *φωτεινῆς εἰκόνος.*

62 d. *ὑπὸ θῆξιν ἀναπτῆναι*] Utitur hac loquendi ratione aliquoties Epiphanius. Sed corrupte nonnunquam *θίξιν* pro *θῆξιν* habent exemplaria. Est autem *θῆξις* Hesych. *ῥοπὴ, στιγμὴ, τάχος.*

63 a. *ποιήσωμεν ἄνθρωπον*] Minus igitur accurate Theodoretus usurpatam ab illis in hac sententia vocem *ἡμετέραν* scribit.

63 b. *τὸ δὲ κάτωθεν καὶ αὐτό*] Forte *καὶ αὐτὸν δὲ τὸν σωτῆρα φάσκει,* etc.

63 c. *φάσκει γὰρ οὗτος*] Neque hic mihi locus integer videtur. Suppleri fortasse potest ex Theodoreto, *Οὗτος τῷ Μενάνδρῳ παραπλησίως ἕνα ἔφησεν εἶναι πατέρα παντάπασιν ἄγνωστον. τοῦτον δὲ τοὺς ἀγγέλους δημιουργῆσαι καὶ τὰς ἄλλας δυνάμεις.* Quod autem apud Epiphan. subiicitur *ἀπὸ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως,* indicat deesse nomen aliquod, puta *τοῦ ἄνω πατρὸς,* ad quod pronomen *αὐτοῦ* pertineat.

65 a. *τούτους ὃ μὴ θέμις ἐστίν*] Deest *μέλλοντας.*

67 b. *περὶ δὲ τῶν κατὰ τὰς θεοῦ*] For. *τῆς θεοῦ.*

67 d. *τοῖς περὶ τὸν Ναθαναὴλ*] De altero illo Cleophae socio alii aliter existimant. Plerique Lucam esse suspicati sunt. Ambrosius Ammaonem hunc vocat. *Videlur enim* (ait ad Lucae c. 24) *se istis* 12 *demonstrasse, sicut se Ammaoni et Cleophae seorsum iam vespere demonstraverat.* Sed deesse apud Ambrosium aliquid suspicor. Nam videtur *Ammaoni* loci vocabulum esse, levi depravatione, pro Emmaunti. Porro alterius discipuli nomen substituendum.

68 a. *ὡς ἀσπὶς παρ' ἐχίδνης*] In Collectaneis Prover. *στρωμιατ.* P. Schotti,

Ὡς ἀσπὶς παρ' ἐχίδνης τὸν ἰὸν δανείζεται.

Tertull. con. Marcio. 3, 8. *Desinat nunc Haereticus a Iudaeo, Aspis, quod aiunt, a vipera, mutuari venenum.*

AD HAERESIN XXIV BASILIDIANORUM.

Basilides ad Antonini Pii tempora vixit, ut ait Clem. Alex. 7 Strom. qui quidem Glauciam Petri interpretem magistrum suum

iactabat. De hoc sparsim idem Alexandrinus, Irenaeus vero fusius 1, 23, Eusebius Hist. 4, 6. Theodor. ac ceteri.

69 a. *μυθοποιΐας ὑπερβαλλόμενος*] Forte *τινὰς* et *ὑποβαλλόμενος*.

70 a. *κατὰ διαίρεσιν κλήρῳ*] Non dubito quin ad locum illum respexerint horum somniorum artifices, qui est Deut. 32, 8 ex LXX Interpretum editione, *ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ*.

70 c. *τὸ ὑπ' αὐτῶν ἐπέσεισαν*] Forte *ὑπ' αὐτῷ*.

71 d. *δεῖ τοίνυν ἀρκεῖσθαι*] Scribe *ἀρνεῖσθαι*. 43

73 a. *τοῦ Ἀβασάξ*] Vide Baron. ad A. 120.

73 b. *ἴσα τοῖς μαθήμασι διαιρῶν*] Hanc lectionem e Vaticano substituimus vulgatae illi quae perspicue corrupta videtur et est huiusmodi, *ἴσας τοῖς ποθητικοῖς διαιρέσεσι*. Cornarius *ποιητικοῖς* legit. Sensus porro is esse potest, Basilidem 365 illos coelos ex Mathematicis rationibus, quae totidem dies annuo orbi praefiniunt, constituisse. Quare ex iisdem illis Mathematicorum decretis paulo post hominem refutat. Quippe cum praeter 360 dies, 6 insuper horae tribuantur.

73 c. *εὑρίσκεται γὰρ ὁ ἐνιαυτός*] Horae apud Epiphanium Aequinoctiales duas continent. Vide Haeres. 51.

εἰ γὰρ τῷ ἀνθρώπῳ ἐστί] At R. Elias Thisbi in ר"מה אברים יש באדם אבר. 248 membra in homine sunt. At Epiphanius ait esse 364. Nisi forte pro *εἰ* legendum sit *οὐ*, ut sensus sit, non esse 365 membra. Tum enim et *τξε'* pro *τξδ'* substituendum erit.

75 a. *ὄψεθε τὴν ζωήν*] Hic locus e Deut. 28, 66, de Christo a nonnullis PP. accipi solet, ut ab Aug. con. Faus. 16, 23. Tertulliano l. con. Iud. c. 11.

AD HAERESIN XXV NICOLAITARUM.

De sectae vel authore vel *ἐπωνύμῳ* Veteres a se invicem dissentiunt. Magistrum erroris fuisse praeter Epiphanium censent Irenaeus 1, 27, Ignatius, Philastrius et alii. At Clem. l. 3 Strom. Nicolaum cum ab aliis animi ornamentis, tum a temperantia commendat: eiusque virgines filias fuisse narrat, sed ex quadam sententia, quam is coram Apostolis dixerat, *δεῖν*

παραχρήσασθαι τῇ σαρκὶ, flagitiosi dogmatis occasionem esse natam. Sic enim ille lib. 2 Strom. *Τοιοῦτοι δὲ καὶ οἱ φάσκοντες ἑαυτοὺς Νικολάῳ ἕπεσθαι ἀπομνημόνευμά τι τἀνδρὸς φέροντες ἐκ παρατροπῆς τὸ δεῖν παραχρῆσθαι τῇ σαρκί. ἀλλ' ὁ μὲν γενναῖος κολούειν δεῖν ἐδήλου τάς τε ἡδονὰς, τάς τε ἐπιθυμίας, καὶ τῇ ἀσκήσει ταύτῃ καταμαραίνειν τὰς τῆς σαρκὸς ὁρμάς τε καὶ ἐπιθέσεις. οἱ δὲ εἰς ἡδονὴν τράγων δίκην ἐκχυθέντες, οἷον ἐφυβρίζοντες τῷ σώματι καθηδυπαθοῦσιν.*

77 b. *οἱ μὲν τοῦ Ἰαλδαβαώθ*] A ילד et אבא deductum videtur, quasi *matricem patrum ac propagatricem vim* dixeris.

78 c. *προῦνικον γὰρ ἐὰν εἴπωσι*] *Προύνικὸς* Hesychio baiulum ac mercenarium significat, *οἱ μισθοῦ κομίζοντες τὰ ὤνια ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς, οὓς τινες παιδαρίωνας καλοῦσι, δρομεῖς, ταχεῖς, ὀξεῖς, εὐκίνητοι, γοργοὶ, μισθωτοί.* Idem fere apud Suidam. Vulgo a *πρὸ* et *ἐνείκω* deducunt, aut a *πρὸ* et *νεῖκος*. Nam et *ὑβριστὴν* interpretantur, itaque Phavorinus. Qui et addit *πόριλος τὸ αἰδοῖον*. Quod depravatum videtur. Sed nemo notionis eius, quam Epiphanius ei voci tribuit, mentionem facit, ut idem sit quod *πορνεύεσθαι*, vel *φθείρειν*. Ac suspicari licet in ea significatione dici, quasi *πορνικεύειν* et *πορνικόν*. Vir quidam doctus apud Diogenem in Xenocrate vocem illam ausus est rescribere, pro eo quod vulgo legitur *πορνικούς*. Verba Diogenis haec sunt: *καὶ εἴποτε μέλλοι εἰς ἄστυ ἀπιέναι, φασὶ τοὺς θορυβώδεις πάντας καὶ πορνικοὺς ὑποστέλλειν αὐτοῦ τῇ παρόδῳ.* Verum sine veterum authoritate codicum nefas est aliquid immutare. Apud Hesychium vero, ut recte observat idem, in vocabulo *Σκίταλοι*, *ἀπὸ τῶν ἀφροδισίων, καὶ τῆς προυνικίας νυκτερινῆς*. Ubi *προυνικία* pro re venerea usurpata videtur.

41

79 a. *καυλαυκαὺχ γὰρ ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ*] Locus ille Isaiae 28, 10 et 13 legitur: sed Hebraïca a LXX senioribus discrepant. צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם: Praeceptum ad praeceptum, spes ad spem, etc. Vel: *Manda, remanda, expecta, reexpecta;* quod de sacrilega mimesi ac dicacitate Iudaeorum interpretatur Hieronymus. At LXX *θλίψις ἐπὶ θλίψιν, ἐλπὶς ἐπ' ἐλπίδι. ἔτι μικρὸν, ἔτι μικρόν.* Videntur צר pro צו legisse. Nec ideo accusandus est Epiphanius,

ut a nescio quo factum est, quasi Hebraïce nescierit. Hebraïca ut erant exscripsit ille; tum ad singula vocabula Graecam interpretationem adiunxit, cuiusmodi in Ecclesia passim exaudiri solebat, et *ἑρμηνεύεται* dixit, hoc est ita a LXX redditur. Quod autem idem ille censet, Nicolaitas impurissimi Dei sui nomen *Καυλαυκαὺχ* e Psal. 29 sumpsisse, ubi ita scriptum est קול הבח Vox robusta, ac perperam Epiphanium ex Isaia transtulisse, mihi non probat. Nam illis ipsis Isaiae verbis abusos Haereticos testis est Hieron. cuius haec verba sunt: ***Hisque verbis abuti solet immundissima Haeresis apud simplices quosque atque deceptos, ut terrorem faciat novitate sermonum, quod scilicet qui haec verba cognoverit, et in coitu eorum meminerit, absque ulla dubitatione transeat ad regna coelorum.*** Nicetas lib. 1 Thesauri Nicolaitas scribit Prunicum mulierem et Caulaucam veneratos esse.

AD HAERESIN XXVI GNOSTICORUM.

Gnosticorum appellatio, quam impurissimi Haereticorum usurparunt, eximium quendam atque exquisitum animi statum ac sanctitatis significat, ut ex Alexandrino Clemente aliisque colligere licet. Nam apud illum Paedag. 1, 6 opponuntur *οἱ Γνωστικοὶ τοῖς ψυχικοῖς*, et *πνευματικοὶ* vocantur, *Οὐκ ἄρα οἱ μὲν Γνωστικοὶ, οἱ δὲ ψυχικοὶ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, ἀλλ' οἱ πάντες ἀποθέμενοι τὰς σαρκικὰς ἐπιθυμίας, ἴσοι, καὶ πνευματικοὶ παρὰ τῷ κυρίῳ.* Sed in aliis *στρωματέων* libris et imprimis 7, de Gnosticis et *γνωστικῇ δυνάμει* pluribus disputat, cuius *τρία* esse dicit *ἀποτελέσματα:* nimirum *τὸ γινώσκειν τὰ πράγματα. δεύτερον, τὸ ἐπιτελεῖν ὅ τι ἂν ὁ λόγος ὑπαγορεύῃ. καὶ τρίτον τὸ παραδιδόναι δύνασθαι θεοπρεπῶς τὰ παρὰ τῇ ἀληθείᾳ ἐπικεκρυμμένα.* Quare Gnostici sunt homines perfecta ac singulari quadam virtute ac divinarum rerum scientia praediti: nec ea quidem vulgari, sed abstrusa ac recondita. Unde qui a Nicolao, Basilide, caeterisque propagati arcanas quasdam nugas, et execranda nescio quae figmenta, velut Mysteria, traderent, *Γνωστικοὺς* se ab exquisita illa rerum altissimarum notitia dici voluerunt. Augustinus: ***Gnostici propter excellentiam scientiae sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur.*** Apud Socratem 4, 18, alias

κβ', corrigendus interpres, qui quod Euagrius de insigni quodam Monacho scripserat ad Mariam lacum habitante, προσοικεῖ δὲ αὐτῇ Μοναχὸς τῆς παρεμβολῆς τῶν Γνωστικῶν ὁ δοκιμώτατος: ita vertit: *In ea Monachus ex secta Gnosticorum vir spectatissimus habitavit.* Fallitur. Neque enim ex tam impura secta laudabilis ac probus existere Monachus potuit, neque de virtutibus tam exquisite disputare. Quare Γνωστικὸς eodem sensu, quo Clemens usus est et Euagrius ipse, qui librum eo nomine inscripserat, accipiendus est; nempe ὁ κατ-αξιωθεὶς τῆς γνώσεως, eximia divinarum rerum scientia praeditus. Redeo ad Haeresin Gnosticorum, quae non una simplexque fuit, sed universi fere, quos fabulones Augustinus vocat: *quique*, ut idem ait, *fabulas vanas, eqsque longas et perplexas contexuerunt*, Gnosticorum appellatione censentur. Epiphanius infra Haer. 31 sub initium, decem Gnosticorum genera facit, a totidem illorum propagata ducibus, quos partim eodem illo loco, partim Haeresi 27, 1 percenset. Sunt autem hi, Simon; Menander, Saturnilus, Basilides, Nicolaus, Carpocrates, Valentinus, Colorbasus, Ptolemaeus et Secundus. Clemens Alex. lib. 3 Strom. addit et Prodicum. Verum certa quaedam ac peculiaris secta fuit, quae sibi Gnosticorum nomen prae caeteris vendicarit; de quibus hoc in capite agit Epiphanius, et alii, qui de Haeresibus scripserunt: imprimisque Tertullianus, qui Scorpiacum contra Gnosticos edidit; quam quidem Haeresin Hieronymus contra Vigilantium scribens Caianam vocat.

82 c. ἐπειδὴ γὰρ νουρά] נורא Aramaea lingua ignem significat. Quod autem Iudaeis post captivitatem familiaris ac popularis lingua Syriaca foret, ideo nora non βαθεία lingua, quae et למודים dicitur, sed communi ac vulgari idem esse quod ignem asserit. βαθεῖαν autem linguam alludens ad Ezechielis locum dixit, qui est 3, 15. *Non enim ad populum profundi sermonis et ignotae linguae tu mitteris.* Hebraica lingua אש ignem significat, Aramaea אשתא. Qua voce ignem a Noëmo vocatum Berosus prodidit. Atque inde fortassis Graeci Ἑστίας originem deduxerunt.

82 d. οὗτοι τὰ τοῦ Φιλιστίωνος] Hieron. Apol. 2 con. Ruf. *Et quasi mimum Philistionis, vel Lentuli ac Marulli stropham eleganti sermone conflctam, etc.*

83 c. *καββᾶ γὰρ ἑρμηνεύεται*] Tam Hebraice quam Syriace tabernaculum et fornicem significat: nec non et prostibulum ac lupanar. Numer. quoque 25, 8 LXX *μήτραν* reddiderunt. Unde et *πορνείας* stuprique notio. *φονοκτονίαν* vero, sive parricidium nusquam legere memini. Suspicor Epiphanium קבא tanquam a נקב derivatum accepisse, quod est perforare.

83 d. *ἀγώγιμόν τι ποίημα*] Cornarius *illiciens Poëma*. Ἀγώγιμον est quod advehitur, aut importatur. Nos *adscititium* ex communi potestate interpretari maluimus. Quanquam n. 17 p. 100 *ἀγώγιμον μῦθον* in priori illa Corna. notione usurpatur.

85 a. *παρὰ δέ τισι φύσει Βορβοριανοί*] Theodoretus Barbeliotas, sive Borborianos certos Haereticos separatim memorat, quos et Naasinos et Stratioticos et Phebionitas appellat, quae sunt Gnosticorum vocabula. Quod ad vocem attinet *κοδδά*, notant מקידא esse scutellam, vel craterem testaceum.

89 a. *τουτέστι τῷ χρόνῳ*] Locum ex Vaticano Codice suae integritati restituimus. Quod ad Evangelici illius loci sensum attinet, eodem modo Chrysost. et Theophylactus exponunt 46
quo Epiphanius.

90 b. *καὶ ἅπερ ἡμεῖς ἐσθίομεν*] Idem Manichaei iactitare solebant, ut ex Aug. libris adversus Faustum apparet.

93 a. *οὐκ ἤνεγκε λόγον βλασφημίας*] Aliter haec in Canonica Iudae leguntur 5, 9. *Ὁ δὲ Μιχαὴλ ὁ Ἀρχάγγελος ὅτε τῷ Διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωϋσέως σώματος, οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας. Non ausus est iudicium inferre et accusare blasphemiae.* At Epiphanius aliam fortasse lectionem secutus, *non tulit*, inquit, *blasphemiam*.

ὡς καὶ ὁ μακάριος Παῦλος] Clemens Alex. lib. 3 Strom. eundem Apostoli locum citans ad eiusmodi genus Haereticorum pertinere putat, *Καὶ μή τι πρὸς τούτους ὁ Ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ ἀποτεινόμενος γράφει· καὶ μὴ καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά.*

96 a. *καὶ οἱ μὲν ἐννυπνιαζόμενοι*] Vox haec, *ἐννυπνιαζόμενοι*, in Vulgata interpretatione deest, quam ad turpe libidinis profluvium refert Oecum. aliique nonnulli. Alii ad errorum nugarumque somnia. Clemens Alex. 3 Strom. adversus Carpo-

cratem disputans, *Ἐπὶ τούτων οἶμαι καὶ τῶν ὁμοίων Αἱρέσεων προφητικῶς Ἰούδαν ἐν τῇ Ἐπιστολῇ εἰρηκέναι, Ὁμοίως μέν τοι καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι· οὐ γὰρ ὕπαρ τῇ ἀληθείᾳ ἐπιβάλλουσιν.* Sequitur Isaiae locus 56, 10, ubi quod in Hebraeo est חזים שובבים, Visa contuentes, iacentes, LXX vertunt *ἐνυπνιαζόμενοι κοίτην, somniantes cubile.* Quae tamen in Canonica Iudae non reperiuntur, contra quam asserere videtur Epiphanius.

97 d. *μή μου ἅπτου*] Chrysost. in Ioan. eum sensum affert, quod Maria cum Christo eadem qua antea familiaritate sese gereret, nec de eo maius quiddam et augustius post resurrectionem sentiret, ab illo iisce verbis admonitam fuisse.

98 d. *παρεισφέρουσι γὰρ οἱ ποιηταὶ*] Putidissimae fabulae author Hesiodus in Theog. ubi primam Iovis uxorem Metin ab eo devoratam cecinit, indidemque propagatam Palladem. Apollodorus vero I. 1 Biblioth. Metin ait Oceani filiam Iovi auxiliatam esse, eandemque Saturno potionem quandam propinasse, qua is exhausta, filios, quos devorarat, omnes evomuit. Athenagoras in Legat. pro Christianis Orphei versus citat, quibus de Phanete mentio est, quem indicat deinde a Iove similiter absorptum. *ἢ καταποθῆναι ὑπὸ τοῦ Διὸς, ὅπως ὁ Ζεὺς ἀχώρητος γένοιτο.* Quod Gesnerus interpres ad Metin transtulit. Verum de Phanete loqui videtur Athenagoras, non de Meti.

101 d. *οὕτω γὰρ, φασὶ, τὴν ἀπειρώδινον*] Fabulam narrat et Plin. 10, 62. Cui fidem derogant Philostratus, Maximus Tyrius, aliique complures.

AD HAERESIN XXVII CARPOCRATIS.

103 a. *ὅτε ἦν ἐν τῇ περιφορᾷ*] *Comitatum* reddidimus, ut pro *συμπεριφορᾷ* usurpetur, cum quis facilem se alteri et obsequentem praebet. Sane Theod. *διαγωγῆς* vocabulo usus est. Nisi quis ad *περιφορὰν* illam Deorum et circumactionem Platonicam respexisse Carpocratem existimet, de qua in Phaedro.

47 104 a. *ἐπιχειροῦσι δὲ*] Euseb. 4, 7 scribit Carpocratem palam ac sine tergiversatione maleficas artes prae se tulisse, *Οἱ καὶ τοῦ Σίμωνος οὐχ ὡς ἐκεῖνος κρύβδην, ἀλλ' ἤδη καὶ*

εἰς φανερὸν τὰς μαγείας παραδιδόναι ἠξίουν, ὡς ἐπὶ μεγάλοις δὴ μονονουχὶ σεμνυνόμενοι τοῖς κατὰ περιεργίαν πρὸς αὐτῶν ἐπιτελουμένοις φίλτροις, ὀνειροπομποῖς τε καὶ παρέδροις τισὶ δαίμοσι, καὶ ἄλλαις ὁμοιοτρόποις ἀγωγαῖς. Eadem habet Irenaeus.

104 b. *εἰσὶ δὲ ἐκ τοῦ Σατανᾶ*] Perditissimi Haereticorum Gnostici, Gnosticorum Carpocratiani fuerunt: ut qui turpissima quaeque flagitia committentes adeo non erubescerent, ut etiam glorianda ac prae se habenda putarent. Ideo de Carpocratianis nominatim et Irenaeus, et Clem. 3 Strom. et Eusebius et Epiphanius aliique scribunt summam ad Christiani nominis infamiam ac dedecus eos a Diabolo esse productos, ut Gentiles cum Christianos homines tam impuros ac nefarios viderent, a Christiana professione penitus abhorrerent. Idem et Tert. in Apol. et Iustinus scripserunt.

106 a. *καὶ τοῦτό ἐστί φασι*] Vide Tert. l. de Anima c. 35 sed et Irenaeum, loco citato: ex quo nonnulla Theodoretus transtulit: in quibus leve quoddam inest mendum, quod obiter a nobis corrigendum est. Scribit igitur Irenaeus, *καὶ εἰ μὲν πρόσσεται παρ' αὐτοῖς τὰ ἄθεα, καὶ ἔκθεσμα, καὶ ἀπειρημένα, ἐγὼ οὐκ ἂν πιστεύσαιμι.* Irenaei vetus interpres haec posteriora ita uti apud Theodor. extant, legisse videtur. Nam vertit *ego nequaquam credo.* Scribendum vero *οὐκ ἂν πιστώσαιμι, affirmare non ausim.*

107 a. *ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι*] Romanorum Pontificum, qui a Petro proximi fuerunt, perobscura series est. varieque Scriptorum opinione iactata. De qua cum tam insignis Epiphanii locus iste sit, pauca ad eum ipsum illustrandum explicanda videntur. Ac praecipua quidem de Lini ac Cleti Pontificatu controversia nascitur. Quos plerique non Petri successores, nec ordinarios Pontifices, sed Chorepiscopos extitisse putant, ab eoque vice sua, quo praesertim tempore abesset, Urbi praefectos. Alii legitimos et ordinarios faciunt. Utriusque sententiae mentionem facit Epiphanius et utra verior sit, incertum relinquit. Priorem ex Pseudodamaso amplectitur Onufrius in Chronico: qui a Petro adhuc superstite Chorepiscopos duos constitutos ait, Linum atque Cletum, anno Pontificatus sui 14. Paulo vero ante quam moreretur, eundem Petrum successorem ordi-

nasse Clementem anno Christi 68. Linus porro eodem anno, quo Petrus, paucis mensibus interjectis, nempe IX Kal. Oct. passus est. Clemens primus post Petrum Romanus Pontifex annos sedit 9, menses 4, dies 26. Qui cum Vespasiano 7 et Tito 5 Coss. anno Christi 77 mortuus esset, successorem habuit Cletum, qui Clementis hactenus non collega, sed administer fuerat. Atque is Pontificatum sex annis tenuit mensibus 5, diebus tribus, cum Episcopus ac Pontificum minister annis antea 20, mensibus 5, diebus 12 extitisset: ut in totum annis 26, mensibus 10, diebus 15 Episcopatum gesserit. Moritur autem anno Christi 84 Domitiano 9 et Virginio Coss. Hunc Anacletus excepit. Haec Onufrius. A quibus veteres plerique praestantissimi scriptores ac recentiores dissentiunt, quatenus
48 Linum et Cletum, sive Anacletum, post Petrum legitimos et ordinarios Pontifices numerant, ut Irenaeus 3, 3. Eusebius in Chron. et in Historia. Tertull. Epiphanius et alii innumeri. Quibus libenter accedimus. Sed illorum plerique Cletum eundem cum Anacleto faciunt. Quae omnia recte in Annalibus ac diligenter exposita sunt. Sed vitiosa est ibidem annorum ratio et biennii ἀναχρονισμὸς ubique commissus, de quo ad Haer. 51 disputamus. Quocirca castigatam Pontificum Rom. seriem, et ad veros annos redactam hoc loco subiiciam; eorum duntaxat, quos Epiphanius recenset.

Primus igitur Romae Pontificatum tenuit Petrus; qui anno Neronis 13 passus est, Capitone et Rufo Coss. qui est Iulianus 112, aerae Dionysianae 67, non 69, ut est in Annalibus, aut, ut Onufrio placet, 68. Hic enim uno duntaxat anno, illi biennio verum tempus antevertunt. Cuius caussam ad Haeresin 51 aperiemus.

Eodem anno Linus successit. Cui annos imputant 11, menses 2, dies 23. Idemque mortuus est anno Dionysiano 78, Sept. 23, non, ut illi censent, 80.

Tertius Linum Cletus excepit, seditque annos 12, menses 7, dies 2. Obiit anno Dionysiano 91 Aprilis 26. Traiano et Glabrione Coss.

Quartus est Clemens, cui anni tribuuntur 9, menses 6, dies 6. Moritur anno Dionys. centesimo, IX Kal. Dec.

Quintus Romae praefuit Anacletus, annis 9, mensibus 3, diebus 10. Obiit anno 110.

Sextus Euaristus, qui et ipse annos sedit 9 menses 3. Mortuus est anno 119, Octobr. 26.

VII est Alexander, qui 10 annos Ecclesiae praefuit, aut etiam aliquot eo amplius menses. Vixit ad annum usque 130. Quo eodem anno

VIII Romanorum Pontificum creatus est Xistus. Is annis decem expletis mortuus est anno Christi circiter 140.

IX Telesphorus annos sedit 11, menses 9, dies 3. Martyrium fecit anno 152.

X Hyginus, annis 4. Qui obiit anno 156.

XI Pius. Cui annos imputant Annales 9, menses 6. Obiit anno 165.

XII Anicetus, annis 8, minus mensibus 2, ac diebus 7. Moritur anno 173.

Hactenus Romanorum Pontificum series ex Annalibus deprompta, sed ad veros annos redacta. Quorum quidem singillatim tempora perscrutari plus molestiae quam utilitatis habet.

In Epiphanii Catalogo post Telesphorum perperam Euarestus repetitur.

107 c. *ὁ μὲν γὰρ Παῦλος καὶ ἐπὶ τὴν Ἱσπανίαν*] Quod facturum se Romanis denunciaverat Rom. 15, 28.

ἐπισκοπεύσαντας πρὸς δεκαδύο ἔτη] Singuli nimirum. Nam ex Eusebii Chronico haec mutuatus est Epiphanius. Ubi Lino 11, Cleto 12 anni tribuuntur.

107 d. *τὴν ἐπὶ τῷ δωδεκάτῳ ἔτει*] Passi sunt Apostoli 49
L. Fonteio Capitone et Iulio Rufo Coss. quibus anno Neronis 13 finito, coepit 14 ex ante diem III Eid. Octobr. Hic est annus Iulianus 112, aerae Dionysianae 67. Quamobrem non anno 12 Neronis, ut scripsit Epiphanius, sed 13 labente mortui sunt Apostoli. Quem dum Eusebius et Hieronymus 14 appellant, frustra in Annalibus reprehenduntur. Etenim plerique Christianorum Scriptorum solent annorum initia a verno Paschalique mense, quod Ecclesiastici anni caput est, arcessere, id quod a viris eruditis observatum est. Cum igitur annus Neronis 14 coeperit Octobris 11 anni Iuliani 112, Eusebius ac reliqui eius initium a mense verno *κατὰ πρόληψιν* usurparunt. Quare ni-

hil ab illis commissum, uti nec ab Iosepho, qui, quod Iudaeorum Historici consueverant, Imperatorum ac Principum annos a Nisan saepius inchoasse creditur, tametsi aliquot ab illo mensibus iniissent. Quo illa Talmudistarum regula pertinet, qui in Tractatu ראש חשנה, c. 1 fol. 3 docent Israelitarum quidem Regum annos ab antecedente Nisan ordiri, exterorum vero Principum a Tisri. Quod et R. Issachar ben Mordechai in Computo tradidit. Quamobrem si quis exempli caussa ultimo die mensis Adar regnum capessat, sequenti Nisan secundus imperii illius annus numerabitur. בי אמרינן יום אחר בשנה חשוב שנה בסוף שנה *Dies unus in fine anni pro anno reputatur.* Quod si quis primo die Nisan coeperit, non ante vertentem annum primus eius annus censebitur.

ἐν χρόνοις τοίνυν, ὡς ἔφημεν] Ex Irenaeo tam haec quam sequentia mutuatus est. Vide 1, 24.

109 b. *οὐ γὰρ δύναται, ἃ ἐκεῖνος*] Deesse nonnihil huius loci integritati suspicor. Aut haec, aut his similia scripsit Epiphanius, *Οὐ γὰρ δύναται ποιεῖν, ἃ ἐκεῖνος ἐπιποθεῖ εἶναι αὐτῷ. οὐ δύναται δὲ τὸ πᾶν εἶναι κακὸν, οὐδὲ ὑπὸ κακῶν γεγονέναι.* Duo erant Carpocratianorum dogmata: alterum, mundum, creatasque res omnes non a bono illo supremoque Deo, sed ab inferioribus Angelis fuisse conditas: alterum, in malorum genere censeri mundum, quaeque mundo continentur universa. Utrunque dogma Epiphanius impugnat. Primum quidem, quod ex eo consequens est imbecilliorem Angelis esse Deum, alterum vero, quod cum pars aliqua totius Universitatis salutem obtineat, non possit a bonorum genere penitus excludi.

AD HAERESIN XXVIII CERINTHIANORUM.

111 b. *οὗτος δέ ἐστιν, ἀγαπητοί*] Idipsum Philastrius scribit.

114 b. *καὶ τούτου ἕνεκα ἡ παράδοσις*] Tertull. lib. de Resurr. et 5 con. Mar. ad eum modum Apostoli locum illum explicat, de quo interpretes consule.

115 b. *ἐπεὶ οὐκ ἂν μετὰ σταυρόν*] Idem argumentum urget adversus Helvidium Hieronymus. *O furor caecus et in*

proprium exitium mens vesana! Dicis ad crucem Domini matrem eius fuisse praesentem. Dicis Ioanni discipulo ob viduitatem, et solitudinem commendatam, quasi iuxta te non haberet quatuor filios, et innumeras filias, quarum consortio frueretur. Vid. August. de Nupt. l. 1 et Concup. c. 11.

115 c. *υἱοῖς οὖσι τοῦ Ἰωσήφ*] Vide Haer. 78.

AD HAERESIN XXIX NAZARAEORUM. 50

De Nazaraeis, vel Nazarenis vide quae ad Iudaicas Haereses Tomo priore diximus. Nam istos a prioribus diversos fuisse, non admodum persuadet Epiphanius. Erant enim Nazaraei, *qui cum Dei filium confiterentur esse Christum, omnia tamen veteris Legis observabant*, ait Augustinus. Qui et Matthaei Hebraicum Evangelium habere sese iactitabant, uti postea dicetur. De iis Hieronymus Epist. ad August. *Usque hodie per totas Orientis Synagogas inter Iudaeos Haeresis est, quae dicitur Minaeorum et a Pharisaeis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazaraeos nuncupant, qui credunt in Christum filium Dei, etc. Sed dum volunt et Iudaei esse, et Christiani, nec Iudaei sunt, nec Christiani.* Ergo Nazareni Christiano se nomine venditabant. Fuisse vero qui in mero Iudaismo praecipuam quandam eodem nomine sectam constituerent, ab uno Epiphanio didicimus. De iisdem agit Augustinus lib. 1 con. Cresconium c. 31. *Et nunc sunt quidam haeretici, qui se Nazarenos vocant, a nonnullis autem Symmachiani appellantur, et circuncisionem habent Iudaeorum et Baptismum Christianorum.*

118 b. *ἐκεῖσε γὰρ κατὰ διαδοχήν*] Tritam ac vulgarem de Oraculi Iacobaei interpretatione sententiam sequitur Epiphanius. Quae est eiusmodi: nunquam e Tribu Iuda Principes defuturos, donec Christus adveniret: hoc est sub ipsum Messiae adventum desituros Principes, qui hactenus e Tribu Iuda extiterant: quod in Alexandro contigisse putat, qui postremus e Regia illa Iudae familia fuit. Cui Herodes successit, homo neque Iudae tribulis, nec omnino Iudaeus, sed Idumaeus et alienigena: ante quem qui de Tribu Iuda citimi Principes fuerant, iidem et ad Leviticam pertinebant; veluti Macchabaei ac deinceps alii. Haec quidem Epiphanius veteres secutus. Sed in hac

opinione multa sunt a Viris doctis olim animadversa, partim falsa, partim dubia et incerta. Falsum est ad Christum usque Dominum imperasse natos e Tribu Iudae Principes, cum tot annis antea, imo saeculis, stirps illa regia defecerit. Quod vero in Macchabaeis continuatam huius seriem affirmant, eosdemque materno saltem genere ex illa Iudae Tribu oriundos fuisse, neque verum est, neque ad rem pertinet. Id quod erudite Perrerius noster ad illum Genes. locum demonstrat. Multo igitur verior et Iacobi verbis aptior est ista sententia: ut cum dixit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est:* hoc unum velit: *Non auferetur,* vel, ut Hebraïce legitur, Non recedet *sceptrum*, sive imperium ac potestas, *de Iuda:* hoc est a Tribu Iuda, regioneque illa, quam in promissa terra occuparit, cuique nomen dederit. Ut per Iudam tam populus ipse ab Iuda oriundus, aut nominatus, quam regio illi attributa significetur. Nam tametsi ante Christum translato in captivitatem, oppressoque Iudae populo, Imperii series illa interrupta videatur, non tamen penitus recessit, aut extinctum est, ante Iudaicum excidium: secundum quod tempus Templo, urbe, imperio ac πολιτείᾳ exuti, alienis
51 legibus ac dominationi subiacent. Praeviderat Spiritus sanctus divortium illud regni ac populi, cum sub Roboamo alii Israëlitae, alii Iudae populus ac regnum nominari coeperunt. Noverat ab Assyriis profligandum alterum illud, adeo ut imperium ab eo prorsus auferretur ac recederet, nec unquam in integrum restitueretur. Quare ad huius discrimen, de altera illa regni populique portione, quae ab Iuda magna ex parte nata, et ab eo cognominata est, et in eius ditione agroque collocata, pronunciavit non ante recessuram ab ea potestatem atque imperium ac Reipubl. formam, quam Christus advenisset. Haec ipsa utriusque Regni comparatio non mediocriter ad illustrandum Oraculum illud pertinere videtur. Ex quo consequens est, in Alexandro minime fatalem illam Imperii dignitatem ac potestatem desiisse, sed post Christi Nativitatem et Herodis obitum extingui coepisse, in ipso autem Urbis excidio funditus deletam. Caetera apud Perrerium nostrum legito.

διέπεσε γὰρ ἡ τάξις] Quae hic ab Epiphanio narrantur neque secum cohaerent nec cum Historiae fide consentiunt.

Legitimorum Principum, qui de Tribu Iudae prodierant, seriem intercidisse putat, quo tempore, imo ἐξότε, hoc est posteaquam Christus Bethleemi natus est, idque sub Alexandro contigisse, qui postremus ex illustri ac regia illa familia fuit, Herodis et Augusti temporibus. Quae omnia perturbata sunt et ἀσύγκλωστα. Placet itaque liquidam illorum temporum rationem ex Iosepho aliisque colligere.

Simon Ionathae ac Iudae Macchabaei frater Ptolemaei generi insidiis moritur Anno Graecorum 177, 1. Mach. 16, 14, qui et Sabbaticus erat, quanquam Iosephus anno priore id accidisse significet, dum post Simonis obitum annum Sabbaticum et quidem haud mediocri intervallo, coepisse scribit 13, 15. Ergo anno Per. Iul. 4579, mense 11, hoc est Sebath, exeunte scilicet hieme, necatus est. Eodem anno successit Ioannes Hyrcanus eius filius. Qui quidem cum annos 31 imperasset, moritur relictis 5 liberis. Succedit Aristobulus natu maximus, qui primus Regium sibi diadema sumpsit et anno uno regnavit. Quo mortuo Salome coniux, quam Graeci Alexandram vocant, Aristobuli fratres, quos ille in vinculis habuerat, solvit et Iannaeum Alexandrum, qui et aetate, et moderatione praestabat caeteris, Regem constituit. Regnavit hic annos 27, moriturque aetatis anno 40, relictis cum uxore Alexandra liberis duobus Hyrcano et Aristobulo. At Alexandra annos 9 regnum administravit. Post cuius obitum ambo fratres ita inter se convenerunt ut Hyrcanus Pontificatum teneret, Aristobulus regnum. Hyrcanus summum Sacerdotium iniit Coss. Hortensio et Metello, qui est annus Urbis 685. In quem anni illi ex Iosepho singillatim enumerati incidunt, si unum duntaxat ex iis inchoatum accipias. Est hic annus Per. Iul. 4645, ante vulgarem Christi natalem 68. Augusti annus primus, si a Iulii Caesaris nece inchoetur, accidit Anno U. 710, Per. Iul. 4670. Herodis vero primus, quo scilicet regnum a Romanis consecutus est, incurrit in Consulatum Domitii Calvini et Asinii Pollionis, qui est ab U. C. 714, Per. Iul. 4674 sive, ut alii, Agrippa et Caninio Coss. 52 quo anno pacifice regnare coepit, estque U. C. 717. Per. Iul. 4677, ante vulgarem Christi natalem 37. Quamobrem Alexandri illius obitus tot annis Christi ortum, imo et Augusti, atque Herodis imperium antecessit, contra quam Epiphanius scripsit.

Tam immanis *ἀναχρονισμὸς* resarciri utcunque poterit, si luxata haec et alieno loco posita dixeris, *ἐξότε αὐτὸς*, etc. ut ita omnino legendum sit, *Διέπεσε γὰρ ἡ τάξις ἐξότε αὐτὸς γεννᾶται ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας ἐπὶ τοῖς χρόνοις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως καὶ Αὐγούστου τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος· καὶ ἔστη ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἀπὸ γένους ἱερατικοῦ καὶ βασιλικοῦ. ἀφ' οὗ Ἀλεξάνδρου διέπεσεν οὗτος ὁ κλῆρος, ἀπὸ χρόνων αὐτοῦ τε καὶ Σααλίνας, τῆς καὶ Ἀλεξάνδρας καλουμένης. ὃς καὶ διάδημα*, etc. Hac quidem ratione labem illam priorem evitabimus, neque Alexandri exitum cum Christi ortu copulabimus. Verum huic coniecturae nostrae non admodum confidimus. Quippe in Haeresi 51 eadem pene historiae *σύγχυσις* ab Epiphanio repetita. Quae ut postremo castiganda videatur, illud tamen unum supererit contra veritatem historiae dictum, in Alexandro Sacerdotalem illam regiamque desiisse stirpem. Nam ex Iosepho constat post Alexandrum, Hyrcanum et Aristobulum ex eadem progenie aliquandiu Pontificatum atque imperium obtinuisse. Postremo Iosephus in calce l. 14 scribit Antigono Alexandri fratre Aristobuli filio securi ab Antonio percusso, Assamonaeorum stirpem desiisse, quod contigit Agrippa et Canidio Coss. A. U. 717, longo post Alexandrum illum priorem et Alexandram tempore.

ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας] Ita in quibusdam Matthaei exemplaribus, pro *Ἰούδα*, ut animadvertit Hieronymus, quod etsi vitiosum in Comm. ad Matthaei c. 2 putet esse, tamen non aliter ipsemet in Eusebii Chronico scripsit, neque vero improbanda est ista lectio, ut ad Eusebium Pontacus observat.

αὐτοῦ τε καὶ Σααλίνας] Iosephus l. 13. Alexandri uxorem, Hyrcani et Aristobuli matrem, Alexandram appellat quam et mortuo coniuge 9 annis praefuisse scribit. Quo eodem Alexandrae nomine Aristobuli Hyrcani maioris F. uxorem vocat, *Τελευτήσαντος δὲ Ἀριστοβούλου*, inquit, *Σαλώμη ἡ γυνὴ αὐτοῦ, λεγομένη δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων Ἀλεξάνδρα, λύσασα τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ*, etc. Nusquam Saalinae nomen apud Iosephum legere memini. Quanquam non aliter illam Christiani Scriptores quam Salinam nominant. Eusebius in Chronic. Hieronym. in c. 9 Dan. aliique, de quibus Scaliger Animadvers. ad Euseb. Num. 1941. Unus Marianus Scotus anno mundi 4120

Alexandram Salomam recte nuncupat. Eadem porro, nisi fallor, Alexandra, sive Salome utriusque fratris uxor, Aristobuli et Alexandri, fuit, qui post Aristobuli mortem Iannaeum Alexandrum vinculis ideo solutum ad regnum evexit, quod cum eo nuptias copulasset.

119 a. *ἦν γὰρ ὁ Ἰάκωβος οὗτος*] Frustra sibi persuasit Epiphanius Iacobum minorem Iosephi B. Mariae coniugis filium fuisse, ideoque Domini fratrem nominari: de qua re dictum est alio in loco.

119 b. *ἔτι δὲ καὶ ἱερατεύσαντα αὐτόν*] Illud vero non modo falsum, sed et contra hypothesin est. Si Iosephi filius est Iacobus, Iosephus autem de stirpe David non Levitica ac 53
Sacerdotali fuit, qui tandem Sacerdos esse Iacobus potuit? Dices maternum illi genus ab Sacerdotali Tribu propagatum. Sed ut illud demus, quis nescit, quod iampridem ab eruditis hominibus proditum est, maternum genus nullo numero fuisse, nedum ut propter illud ius ullum ad sacerdotium habere quisquam potuerit? Sed de tota hac Iacobi historia dicetur ad Haer. 78; ubi de Iacobo uberiorem narrationem instituit.

120 a. *δι' ἣν αἰτίαν Ἰεσσαῖοι ἐκαλοῦντο*] Christianos olim Iessaeos appellatos fuisse censet Epiphanius a Iesse Davidis progenitore, aut ab Iesu, quod Hebraice *θεραπευτὴν* sonat, aut *Σωτῆρα*. In quo a nonnullis vehementius agitari solet, sed Haereticis ferme, quorum sive non immerito reprehendant, intolerabilis superbia, sive perperam accusent, vanissima ac ridicula impudentia est. Ex hoc igitur grege quidam: *Profecto,* inquit, *cum illum Epiphanii locum lego, satis mirari nequeo hominis inscientiam, et in linguae interpretatione et in veritate historiae. Adeo multis adversus utrunque modis peccat in illo uno de Nazaraeis capite.* Sed de historia mox videro. De nominis *τοῦ Ἰησοῦ* interpretatione hoc vulgo criminari solent, quod *Ἰησοῦ* nomen Graecae originis esse crediderit, *ἀπὸ τοῦ ἰάσασθαι*, sive *ἰήσασθαι* Ionice concepto, quod est *θεραπεύειν*, cum ab Hebraica voce petenda nominis illius notio sit, quae Salvatorem significat. Verum haec *συνωνύμως* et quidem haud absurde usurpavit Epiphanius. Etenim ישׁ, a quo יהושׁוע, vel ישׁוע, idem est ac *σώζειν*, quod in corporis animique morbis idem est ac *θεραπεύειν* et *ἰάσασθαι*. Quam-

obrem non secundum *ἀκριβολογίαν* et *κυριολεξίαν* Hebraica vox *θεραπεύειν* sonat, sed *μεταληπτικῶς*, ut et Iesum, qui proprie *salvator* est, *medicum* ac *curatorem* non incommode interpretari liceat. *Ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum,* ait Angelus, Luc. 2. Quod quemadmodum praestiterit, declarat Petrus Act. 10. *Qui pertransiit benefaciendo et liberando omnes oppressos a Diabolo.* Adde iam Graecum ex propinquo vocabulum, quod ab Hebraeo et pronunciatione et vero potestate non admodum abhorrebat: unde nominis ista notatio prodiit. Eadem porro leguntur apud Cyrillum Catech. 6: Ἰησοῦς, inquit, *τοίνυν ἔστι κατὰ μὲν Ἑβραίους σωτὴρ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τὸ ἰώμενος· ἐπειδὴ ἰατρός ἐστι ψυχῶν καὶ σωμάτων καὶ θεραπευτὴς πνευμάτων.* Quae omnia comiter accipienda sunt, non ut ab *ἰάσασθαι* deductum *τοῦ Ἰησοῦ* vocabulum dixerint Patres, sed ut notione ac significatione Graecum nomen cum Hebraeo convenire demonstrent.

120 b. *εὕροις δ' ἄν, ὦ φιλολόγε*] Hinc illae lacrymae. Scripsit Philo Iudaeus de Essaeis, vel Essenis libros aliquot. Quorum unus inscribitur, *περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον*, alius *περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ Ἱκετῶν ἀρετῶν.* In iis duo Essenorum genera constituit, unum *τῶν πρακτικῶν*, qui in oppidis socialem vitam instituunt, nuptiarum expertes, alterum *τῶν θεωρητικῶν*, qui contemplationi totos sese tradiderant ac procul ab urbano strepitu in agris, ac praesertim ad Mareotidem, in *σεμνείοις* et *μοναστηρίοις* degerent. Postremos istos Eusebius Christianos fuisse credidit Hist. 2, 11, eademque Hieronymi caeterorumque Patrum opinio fuit, quam
54 Epiphanius secutus est. Sed hoc unum addit ex coniectura, Iessaeos illos ab Iessae Davidis patre nominatos. Quod postremum minus verisimile puto. Neque enim, opinor, usquam legitur, Iessaeorum nomen Christianis attributum, et Essaeos illos, non Iessaeos a Philone appellatos esse constat. Sane si Iessaei unquam Christiani vocati sunt, multum id ad receptam illam ac veterem opinionem asseverandam faciet, quae Essaeorum nomine Christianos a Philone comprehensos statuit. Ac profecto fieri istud potuit, ut cum ante Christianae religionis ortum Esseni his moribus, eoque vitae instituto, quod in priore libro Philo praedicat, in Aegypto florerent, atque inter Iudaeos et

essent, et haberentur sanctissimi; posteaquam auctore Marco Christianorum genus extitit, quorum vitae ratio primis illis temporibus cum Essenorum disciplina magnopere congruebat, ab Alexandrinis Gentilibus Esseni sint vocati. Quos enim et Iudaeos, tunc quidem, omnes viderent et Essenorum communem illam vitae rationem, atque ab omni luxu et ambitione remotam complectentes cernerent cum et alioqui ex Essenorum Iudaica factione plerique se ad Christianos aggregassent, quodnam iis aliud nomen quam Essaeorum affingerent? Nam et diu postea Christiani omnes a Graecis ac Romanis Iudaei nominati et pro Iudaeis habiti sunt: ut non absurdum sit Philonianos illos Essaeos *Θεωρητικοὺς* Christianos fuisse. Quae autem adversus ea magno cum strepitu ac stomacho disputantur, cum aut levia sint, aut facile dissolvi possint, nihil erit, quod nos vetustissimae illius opinionis ac tantorum Patrum authoritatis et consensionis poeniteat. Vide quae de his eruditissime Serrarius noster l. 3 Trihaeresii adversus Scaligerum ac Iunium disserit.

121 b. *τοῦτο γὰρ τοῖς τὸ παλαιόν*] Si de primogenitis omnibus intelligat, falsum erit. Neque enim Primogeniti omnes Nazaraei fuerunt, sed *ἀορίστως*, et de quibusdam accipe, ut de Sampsone et si qui alii ejusdemmodi fuerint.

121 c. *ἄλλοι δὲ Ναζαραίους*] De his egimus ad Haeresin 19 Nazaraeorum.

122 d. *καὶ γραφεῖα τὰ παρὰ Ἰουδαίοις*] Quae *Ἁγιόγραφα* dicuntur. Atque hic triplicem sacrorum librorum partitionem complectitur, quae est תורה, hoc est *Lex;* נביאים *Prophetae,* et בתובים *ἁγιόγραφα,* sive *γραφεῖα.* De quo vide Hieron. Prologo Galeato. Eliam in Thisbi, verbo בתב.

124 c. *ἀλλὰ ἀνιστάμενοι ἔσωθεν*] Non dubito quin scribendum sit *ἔωθεν.* Quod autem Iudaicas illas imprecationes in Nazaraeos Haereticos conferri scribit Epiphanius, Hieronymus ad Christianos transfert. Ita enim ille ad Esa. 52. ***Et sub nomine, ut saepe dixi, Nazarenorum ter in die in Christianos congeruntmaledicta.***

ἔχουσι δὲ τὸ κατὰ Ματθαῖον] Quod et Hieronymus Graece reddidit et citat ipse saepius. Neque vero purum putum Matthaei Evangelium fuit, ut existimasse videtur Epipha-

nius, sed ab illis depravatum, quod et Evangelium *κατὰ Ἑβραίους* appellat Eusebius Histor. 3, 19 Hieron. in c. 12. Matth. c. 13. *In Evangelio, quo utuntur Nazareni et Ebionitae, quod nuper in Graecum de Hebraeo sermone transtulimus, et quod vocatur a plerisque Matthaei authenticum, homo iste, qui aridam habet manum, caementarius scribitur.* Idem in Script. Eccles. de Matthaeo agens, huius Hebraicum ipsum in Caesariensi bibliotheca asservatum aetate sua narrat, cuius sibi a Nazaraeis exscribendi facultas fuerit. Sed Nazaraeorum Evangelium nequaquam Matthaei germanum fuit. Postremo num Hebraica veteri puraque lingua, an Syriaca, sive Hierosolymitana, vulgarique Matthaeus Evangelium scripserit, nonnisi ex coniecturis pronunciari potest. Nihil enim certi exploratique ab Authoribus discas.

AD HAERESIN XXX EBIONITARUM.

126 c. *γέγονε δὲ ἡ ἀρχὴ τούτου*] At Chron. Alex. p. 597, refert anno Traiani 8, Candido et Quadrato Coss. Ebionitarum emersisse sectam.

126 d. *καὶ τὸ μὲν πρῶτον*] Duplex Ebionitarum factio fuit. Nam alii merum ac simpliçem hominem asserebant esse Iesum, atque a Iosepho Mariaque genitum, alii e sancto Spiritu a Virgine susceptum ita fatebantur, uti Deum ac Verbum esse, aut extitisse antea negarent. Eusebius 3, 21. Origenes contra Celsum tom. 2. *Ἐβίων τε γὰρ ὁ πτωχὸς παρὰ Ἰουδαίοις καλεῖται, καὶ Ἐβιωναῖοι χρηματίζουσιν οἱ ἀπὸ Ἰουδαίων τὸν Ἰησοῦν ὡς Χριστὸν παραδεξάμενοι.* Quorum genera illa duo tomo 3 commemorat: *Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ διττοὶ Ἐβιωναῖοι, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντες ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ἰησοῦν, ἢ οὐχ οὕτω γεγεννῆσθαι, ἀλλ' ὡς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους.* Verum Ebionaeorum nomen latius extendisse videri potest Origenes, ut Ebionaeos illos appellet, qui cum alioqui de Christi Divinitate recte sentirent, cum Christiana religione Iudaicas cerimonias amplectendas crederent. Quod quidem tomo 2 sub initium significare videtur. Theodoretus de Ebionaeis, *Τὸν δὲ κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξ Ἰωσὴφ καὶ τῆς Μαρίας ἔφησε γεγεννῆσθαι ἄνθρωπον μὲν ὄντα, ἀρετῇ*

δὲ καὶ καθαρότητι τῶν ἄλλων διαφέροντα, κατὰ δὲ τὸν Μωσαϊκὸν πολιτεύοντα νόμον. Lego πολιτεύονται, neque ad Christum referri puto.

128 a. εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην] Tam Patriarcharum quam Apostolorum dignitates ac vocabula apud Iudaeos nonnisi post Urbis excidium usurpata videntur. De Patriarchis in Theod. Cod. l. 16 tit. 8 frequens est mentio. Et quidem Apostoli Patriarchae velut assessores ex communi et usitata vocis notione dicti sunt, quod ad exigendas a Synagogis pecunias ab illo mitterentur, ut ex Cod. Theod. patet l. 14 de Iudaeis, qui locus quod ad Epiphanium illustrandum imprimis confert, hic adscribendus est: *Superstitionis*, inquit, *indignae est, ut Archisynagogi, sive Presbyteri Iudaeorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur, a singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omne quicquid considerata temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur aerarium. De caetero autem nihil praedicto decernimus esse mittendum.* De iisdem Patriarchis quod Epiphanius indicat, non delectu, sed generis successione dignitatem adeptos ac plerumque luxu ac delitiis corruptos, Hieronymi authoritate confirmari potest, qui in Comm. in Esa. c. 3 ad haec verba: *Et effoeminati dominabuntur eis*, ita scribit, *Consideremus Patriarchas* 56
Iudaeorum et iuvenes, sive pueros, effoeminatosque ac delitiis affluentes et impletam Prophetiam esse cernemus.

128 b. τοῦτον εἶναι γένος ἐκείνου τοῦ πρώτου] Qui Christianus fuit, ut ex Actis Inventionis S. Stephani constat. Nec recte Iudaicae religionis tenacissimus ac Christiani nominis osor acerrimus a quibusdam fuisse proditur, quod ab eo Saulus utrunque, hoc est Iudaicam legem et Christianorum odium, didicerit, quae coniectura levis est. Quid enim necesse est a praeceptore postremum hoc hausisse Saulum ac non potius suapte sponte et aliorum hortatu exemploque suscepisse?

129 a. ἐπίσκοπος Βριγγέλας] Corn. Fregellae perperam reddidit.

130 c. γάζα δὲ ἑρμηνεύεται] Quae vulgo Persica vox dicitur, eadem et ab Hebraeis usurpata. Ez. 27 גִּזְרִין sunt אוֹצָרוֹת.

130 d. *τὸ κατὰ Ματθαῖον Ἑβραϊκὸν φυτόν*] Nisi vitii aliquid ei loco subsit, *φυτὸν* appellari puto Christi Domini genealogiam, quae arboris instar conformari vulgo solet.

131 b. *παραγίνονται γοῦν εἰς Γάδαρα*] Meminit Gadarenarum Thermarum Eunapius in Iamblicho, *Μετὰ δὲ χρόνον τινὰ δόξαν αὐτοῖς ἐπὶ τὰ Γάδαρα, θερμιὰ δέ ἐστι λουτρὰ τῆς Συρίας, τῶν γε μετὰ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐν Βαΐαις δεύτερα· ἐκείνοις δὲ οὐκ ἔστιν ἕτερα παραβάλλεσθαι· πορεύονται δὲ κατὰ τὴν ὥραν εἰς τὰ Γάδαρα τοῦ ἔτους*, etc. Ubi et fontes duos in eo loco fuisse meminit, quorum alteri *Ἔρως*, alteri *Ἀντέρως* nomen fuit, ex quibus puerulos duos, cuiusmodi videlicet Amores finguntur, Iamblichus Magus excivit: ut intelligas quantopere ille locus amatoriis illecebris ac libidinibus opportunus fuerit.

131 c. *ἔνθα γὰρ τὰ παρὰ τοῦ θεοῦ*] Eodem Daemonis artificio factum est quod narrat Hieron. Ep. 13. *Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter* 180, *in loco Resurrectionis simulacrum Iovis, in Crucis rupe statua ex marmore Veneris a Gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis authoribus, quod tollerent nobis fidem Resurrectionis et Crucis, si loca sancta per Idola polluissent.* Nam et Gadarenus ager Christi Domini praesentia ac miraculis celebratus est, Luc. 8, quae sunt illa *τὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ θαύματα*. Quanquam et ad medicam aquarum vim morborumque remedia possit referri.

ἀνδρόγυνα γὰρ ἐκεῖσε] Mira vocis usurpatio, qua promiscuas utriusque sexus balneas fuisse significat. Est enim *ἀνδρόγυνον λούεσθαι* idem ac *promiscue*. Sic in Const. Apost. 1, 9 *Ἀνδρόγυνον γυνὴ πιστὴ μὴ λουέσθω*, quod impurissimi perditissimique genus exempli Romae etiam aliquando fuit. Adrianus autem, authore Spartiano, *lavacra pro sexibus separavit*, quod idem ab Alexandro postea revocatum. Lampridius: *Balnea mista Romae exhiberi prohibuit, quod quidem iam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiserat.* Quanto prudentius moderatiusque Romani illi veteres. A quibus hoc manavit institutum, *ut filii cum parentibus puberes, vel generi non lavarentur, ne paternae reverentiae authoritas minueretur*, ait Ambro. 1 Off. c. 18 et Cic. 1 Off. At vero non Chri-

stiani modo quilibet, sed etiam, quod mirandum ac detestandum magis est, Clerici ipsi cum mulieribus plerumque lavare consueverant. Quae flagitiosa licentia cum in Christianis omnibus, tum in posterioribus istis Canonum severitate coerceri opus habuit. In Laod. Can. 30. *Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ Κληρι-* 57
κοὺς, ἢ Ἀσκητὰς ἐν βαλανείῳ μετὰ γυναικῶν ἀπολούεσθαι, μηδὲ πάντα Χριστιανὸν ἢ λαϊκόν. Idem et in Trullano vetitum est Can. 77. Quod sequitur *κατὰ συγκυρίαν* imposuit Cornario, qui Sycyriam locum esse credidit. Nam *συκυρίαν* antea legebatur, non tamen *Συκυρίαν* maiusculo *Σ*, ut quidam asserit.

διιὼν ἐν τῷ ἀέρι] Corn. *deambulans in aere.* Sed *ὁ ἀὴρ* balnei pars est, ut ex Galeno ad Glauc. pridem observatum ab eruditis hominibus, etsi non satis liquet quae pars illa sit. Nos interim *solium* reddidimus.

ἡ δὲ ἑαυτὴν ἐσφραγίσατο] Hic illustrissimum Annalium conditorem insectatur Casaubonus, quod salutaris illius signi virtute Christianam mulierem e tanto castitatis periculo liberatam ab Epiphanio dici putet. Quod Epiphanium voluisse negat, sed nec ullam in signo crucis ad efficienda miracula propriam inesse virtutem: neque vero aliter quam ut piam ceremoniam adhibitam in Ecclesia veteri, quae orationi adiuncta animos fidelium ad Christi crucem eveheret. Tum ita subiicit, ***Quis negare audebit aliud hoc esse quam quod scribit Baronius dicere Epiphanium signi crucis virtute illam mulierculam fuisse periculo ereptam?*** Haec ille. Sed quam iniqua sit, ut in plerisque aliis, Casauboni illa castigatio, quamque oscitanter hanc Epiphanii historiam legerit, ex eo satis apparet, quod c. 8 scripsit Epiphanius: *ὡς οὖν κατίσχυσαν οἱ γόητες· διὰ γὰρ τῆς σφραγῖδος τοῦ Χριστοῦ καὶ πίστεως ἐβοηθήθη ἡ γυνή· τοῦτο τρίτον τῷ Ἰωσήπῳ κατηχήσεως ἔργον ἐγίνετο, ὅτι οὐκ ἴσχυσεν, ἐνθα ὄνομα Χριστοῦ καὶ σφραγὶς σταυροῦ, φαρμακείας δύναμις.* Quid aliud Epiphanius narrat quam crucis praecipue signum et invocationem nominis Christi mulieri praesidium attulisse? Infinita sunt antiquorum PP. testimonia, quibus illud, quod Casaubonus negat, efficitur, veterem Ecclesiam vim quandam salutari crucis signo tribuisse. Caetera ut omittam, unus omnium instar erit Nazianzeni locus ex Orat. 3

con. Iulianum, ubi perfidum illum transfugam narrat summo suo in metu ac discrimine ad crucis confugisse signum, eoque Daemones fugasse, *ἐπὶ τὸν σταυρὸν καταφεύγει, καὶ τὸ παλαιὸν φάρμακον, καὶ τούτῳ σημειοῦται κατὰ τῶν φόβων, καὶ βοηθὸν ποιεῖται τὸν διωκόμενον, καὶ τὰ ἑξῆς φρικωδέστερα ἴσχυσεν ἡ σφραγίς· ἡττῶνται οἱ δαίμονες· λύονται οἱ φόβοι.* Nec absimile est quod de sancta Iustina proditum est, quae cum a iuvene quodam ab libidinem Cypriani Magi artibus pelliceretur, immissum sibi Daemonem eodem crucis signo repulit, quod ex Eudociae Augustae Orat. de S. Cypriano refert Photius n. 484. *τούς τε βιαιοτάτους καὶ χαλεπωτάτους τῶν δαιμόνων πέμψας ἐπὶ τὴν παρθένον, καὶ ἠσχυμμένους, καὶ νενικημένους τοῦ σταυροῦ τῷ τύπῳ ἐξ αὐτῶν ἐκείνων ἀναμαθών.* Igitur *τοῦ σταυροῦ τῷ τύπῳ* perinde ut altera illa Iustina Daemonem fugavit. Neque crucis duntaxat expressa figura, sed etiam B. Mariae Virginis invocatione, ut Nazianzenus Orat. 18 scriptum reliquit: *Καὶ τὴν παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ: Et Virginem Mariam rogans ut periclitanti virgini opem ferret.* Quae tanti Patris authoritas hodiernae sectae imperitiam impietatemque condemnat.

133 a. *ὑπολῃφθεὶς δὲ τελευτᾷν*] Antea legebatur *ὑπολειφθείς*. Vertit enim Corn. *relictusque velut moriturus*. Nos ex Regio Codice *ὑπολῃφθείς* restituimus. Quod et narrationis series postulat. Neque enim moribundum Iudaeorum cognati deseruerant, quos Mysticum illud insusurrasse dicit. Hic Epi-
58 phanium otiosus quidam nugator nimiae credulitatis accusat, quod falsa Iudaei unius aut alterius narratione inductus existimaverit morituris omnibus mysterium illud in aurem immurmurari. Scribit enim *τὸ παρ' αὐτῶν ἀεὶ μυστηριωδῶς γινόμενον*. Verum ut haec mera fabula sit, nullam omnino sanctissimus Pater culpam hac in re sustinet, qui quod a fide dignis hominibus acceperat, simpliciter, uti narratum sibi erat, nullo suo interposito iudicio retulit. Quid est autem cur de Christo plerosque id sibi Iudaeorum persuasisse putemns? Neque enim mentitum fuisse Iosephum Comitem vel Calvinianus iste nisi impudenter finxerit.

135 a. *οὕτως ἐπιτελεῖν προβαλλόμενος*] Variis modis

explicari verba ista possunt: sive eo sensu, quem reddidimus, sive quem Cornarius expressit: *Sic enim se facere praetendebat.*

καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς] Iudaei חזן vocant Synagogae ministrum, vel aedituum. Vide Eliam in Thisbi.

135 d. *κόμητα γὰρ αὐτὸν κατέστησε*] Comitum dignitas nudus sine magistratu ac functione plerumque titulus fuit, ut ex Theodosiano Codice constat. Hanc Constantinus plerisque, ut refert Eusebius, concessit. Eadem per honorarios codicillos a Principe conferebatur. Qua de re ad Themistii or. 4 pluribus disputavimus, ubi eiusmodi codicilli *δέλτοι σφυρήλατοι* appellantur a Themistio. In quo ridicula est Anonymi coniectoris, qui de Suburbicariis nuper scripsit, oscitantia cum pari impudentia coniuncta. Scripserat Themistius 4 p. 117, se, cum posset omnibus illis ex Imperatoris liberalitate commodis ac voluptatibus delitiisque perfrui, *ὁπόσα ταῖς δέλτοις ἀκολουθεῖ ταῖς σφυρηλάτοις*, hoc est, *quae tabulas illas consequuntur malleo ductiles*, communibus illis fructibus fuisse contentum, quos cives caeteri publicis tesseris atque Imperatoris largitione consequerentur. Hoc in loco *δέλτους σφυρηλάτους* coniector nihil aliud quam tesseras esse contendit. Verum quid esse potest absurdius quam ex tesseris illis frumentariis credere *μακρὸν* illum *κατάλογον τῆς τρυφῆς καὶ τῆς εὐπαθείας* redundare posse? Praesertim cum, uti dixi, tesserarum illa commoda, quae cum caeteris communia caperet, illis opponat, quae *ταῖς δέλτοις ἀκολουθεῖ ταῖς σφυρηλάτοις*. Age vero, cum or. 6 p. 166 negat *ἐπ' ἐκείνῃ τῇ δέλτῳ*, qua *πολιαρχίαν*, hoc est Urbis Praefecturam obtinuerat, gloriari sese, sed de alia potius, *ἣν οὐκ ἐποίησαν ἐλεφαντουργοὶ οὐδὲ χρυσοχόοι*, hoc est Imperatoris filio, quem parens fidei suae commiserat, estne ut frumentariam tesseram coniector hic somniet? Ut ad Iosephum redeam, confer cum hoc loco quae Eusebius 2 et 3 de vita Constantini refert, quanto hic constituendarum ubique Ecclesiarum studio flagraverit, utque easdem publicis sumptibus exaedificari voluerit.

136 d. *Κακούβιον*] Forte *Κουκούμιον*. Habes hic aquae benedictione consecratae usum insignem atque fructum. Cui, cum haec scriberem, affine quiddam ac geminum occurrit apud Photium n. 96 ex Georgio Alexandrino in Actis S. Chry-

sostomi, ubi inter caetera Eucliae cuiusdam filium refert a B. Chrysostomo aquae, cui signum crucis impresserat, aspersione desperatissimo ab morbo liberatum.

138 a. *οὗ ἡ γεῦσις ἦν τοῦ Μάννα*] Qui tam absurda
59 interpretatione fucum huic loco faciebant Haeretici, ad ea respiciebant, quae Exod. 16 et Num. 11 de Manna leguntur: cuius gustus fuisse dicitur, *ὡς ἐγκρὶς ἐν ἐλαίῳ*. Sed nec minus ridicule nostri temporis Haeretici quidam vocem *ἀκρίδας* depravare conati sunt.

139 b. *χρῶνται δὲ καὶ ἄλλαις τισί*] De libro, qui *Περίοδοι Πέτρου* inscriptus erat, meminit Athan. in Syn. et inter Apocrypha cum aliis recenset. Veluti sunt *Περίοδοι Πέτρου*, *Περίοδοι Ἰωάννου*, *Περίοδοι Θωμᾶ*, *Εὐαγγέλιον κατὰ Θωμᾶ*, *Διδαχὴ Ἀποστόλων*, *Κλημέντια*, etc.

142 a. *ἀπό τε τῆς Ναβατέας*] Corrupta vox est *Ναβατέας*. Neque enim iis in locis Nabatea ulla, nisi fallor. Nabathaea quidem, sive Nabataea Arabiae felicis regio est, aut ei certe proxima, hoc est Petraeae pars. Quare non dubito quin Batanea hoc loco legendum sit. Quae est Syriae regio Palmyrenae vicina et Paneadi: Ptolem. Steph. *Βατανέαι συνοικία Συρίας ἡ καὶ Βατανέα ἑνικῶς*. Adde et in Og regno fuisse. Hinc pro eo, quod Hebraei Graecique Og regem Basan appellant, Chaldaeus מתנן habet, quod ad Bataneae vocabulum accedit, ut ad 12 Ios. Masius observat. In eodem Basanitico tractu fuit et Edrai אדרעי Graece *Ἀδραΐ*. Quam Adram Ptolem. putat idem Masius. Quae in Coelesyria a Ptolem. numeratur.

142 c. *τοὺς δὲ Προφήτας λέγουσι συνέσεως*] Intelligentiae Prophetas non veritatis appellatos ideo crediderim, quod tametsi rerum altissimarum intelligentia essent, sapientiaque praediti, non tamen mendacio omni caruerint.

143 a. *ἦλθεν Ἰωάννης ἐν ὁδῷ*] Haec verba *ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης*, vel ab Epiphanio inserta, vel librariorum vitio intrusa sunt.

143 d. *παρθένος δὲ οὐ καλεῖται*] Vide omnino quae erudite ad illum Esaiae locum disserit Hieron. de voce עלמה, in qua calumniari Iudaei solent. Sed et Basilius ad 7 Esa. eodem argumento adversus Iudaeos utitur, quo Epiphanius Ebionitas redarguit. Quod, nisi parituram Virginem Propheta signi-

licasset, frustra tanquam signum illud ipsum Regi denunciasset.

144 a. *ὡς καὶ αὐτὸς Ἡσαΐας*] Hunc Esaiae locum, quem de Christi Domini generatione ac sacrosanctae Virginis partu intelligit Epiphanius, Patres omnes ad spiritalem Ecclesiae partum referunt, quae sine ullo dolore, pene momento infinitos Christo filios peperit, paritque quotidie. Ita D. Hieron. Theodoretus, Cyrillus, Euseb. Hist. 1, 4, aliique complures.

144 b. *ὡς καὶ Ἱερεμίας περὶ αὐτοῦ*] Neque hic locus ad Christum proprie pertinet, tametsi plerique PP. ad eum sensum traxerint, quos reprehendit Hieronymus. Cuius quidem interpretationis caussam attulit LXXII lectio, qui ab Hebraeo et Vulgata discrepant. Nam Hebraica vox אניש inscrutabile, sive desperabile significat. At illi אנוש hoc est *homo* legerunt.

146 a. *καὶ τῷ βουλομένῳ τὰς χεῖρας*] Leg. *τῷ μὴ βουλομένῳ*.

148 b. *πάλιν δὲ ὁ αὐτός*] Hanc Ioannis historiam, quam a Polycarpo acceperat, refert Iren. 3, 3 et Euseb. Hist. 3, 20. Sed Cerinthum, non Ebionem Haereticum illum fuisse consentiunt omnes. Quare *μνημονικὸν* est *σφάλμα* Epiphanii nostri.

148 c. *ὁ δὲ Ὀλεάριος*] Ergo Olearius appellatus est vestimentorum custos, *ἱματιοφύλαξ*. An idem et oleum praebebat et vestimenta servabat? An *σπολιάριον* legendum? Nam et 60 *ἀποδυτήριον* Latine *spoliarium*. In Veteri Lex. *spoliaria exteriores balneorum cellulae*.

149 d. *Βαρνάβαν δὲ μετακληθέντα*] Barnabas Prophetae vel Prophetiae filium sonare videtur. Sed a Syriaca voce ביא deducitur quae est *consolari*. Itaque Syrus Paraphrast. ברא רבוראא reddidit.

150 b. *παντὶ δέ τῳ δῆλόν ἐστι*] Cittim, vel Cetim nomine Cyprios propemodum omnes intelligunt. Sed et Macedones eadem voce comprehendi putant. Sane quidem Citium oppidum Macedoniae fuit, apud Liv. l. 42. Quin et Cilicia. Quod verius nonnulli suspicantur. Postremo Romam atque Italiam eodem illo vocabulo complectuntur. Mihi probabile videtur Cetim, aut Citiaeos proprie Cilicas esse et ab iis propagatos Cyprios. Nam Cetis et Citia Ciliciae regiones duae sunt apud Ptol. Quod autem per Cyprum, aut Ciliciam Graeci Romanique in

Syriam ac Palaestinam tenderent, ideo *de terra Cetim egressum* dici in 1. Mac. Alexandrum, quod e Cilicia, ubi et Darium vicit, in Syriam exercitum duxisset. Ad haec cum Citiaei illi proprie dicti ac vicini Occidentalium essent omnium Syris notissimi, fieri potest ut hoc ipsum Cittiaeorum nomen plerisque aliis Graeciae populis accommodaverint. Quemadmodum Indorum appellatio a maioribus nostris ad remotos omnes ab Orbe nostro populos est translata.

150 c. *τι ἐταχύνατε σήμερον*] Exod. 2, 18. *τί ὅτι ἐταχύνατε τοῦ παραγενέσθαι τήμερον;* Apud Epiphanium voculae istae *ἐπ' αὐτὸν* commodum nullum sensum reddunt nisi *ἐς αὐτὸν ἔφασαν* substituas.

151 a. *καθάπερ χαλινὸς*, etc.] Leviter depravatus hic locus est. Fortasse leg. est *ὡρίσθη*.

152 c. *ὅπερ ἔφη ἡ Σεπφώρα*] Mirifica est loci istius interpretatio, quam Epiphanius affert, quae ex LXXII lectione petitur. Nam Hebraei et Latini codices: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, ob circuncisionem, habent. LXX vero longe alia reddiderunt.

152 d. *ὅτι θελήσουσιν εἰ ἐγένοντο*] Neque hic cum Hebraeo LXX consentiunt. Vulgata nostra, *Et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis.* Pro quo Graeci, *καὶ θελήσουσιν εἶναι πυρίκαυστοι.*

153 b. *ἔπειτα ἵνα δείξῃ ὡς οὐκ ἦν ὁμοούσιον*] Apollinaris carnem Christi ab aeterno fuisse, nec ex Virgine natam asserui, Gregor. Nazianz. or. 46. *Διαβεβαιοῦται γὰρ μὴ ἐπίκτητον εἶναι τὴν σάρκα κατ' οἰκονομίαν ὑπὸ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ προσληφθεῖσαν ἐπὶ μεταστοιχειώσει τῆς φύσεως ἡμῶν, ἀλλ' ἐξ ἀρχῆς ἐν τῷ υἱῷ τὴν σαρκώδη ἐκείνην φύσιν εἶναι*, etc.

156 b. *λάβε σοι τόμιον χάρτου*] Vox *χάρτου* abest a vulgata LXX Interpretum editione, sed in aliis olim, ut apparet, lecta. Basilius autem *τόμιον καινοῦ μεγάλου.*

156 d. *τὸ ἀκατέργαστον γὰρ γολμή*] Mirum unde hanc Hebraicae vocis notionem acceperit. גולם magistris est גוף שאין בו בל צורותיו ולא נגמר ut ait Kimchius. Item vas nondum perfectum. Unde et per translationem חכמה באין הדק האדם הרק *Homo sapientiae inanis ac fatuus.* Radix ipsa glomerare et

in massam redigere significat. Quo sensu גולם pro *massa incondita:* unde Latina vox *glomus*. Sed pro *χόνδρῳ* atque alica simileve grano nunquam legi.

157 c. *τῷ δὲ Ἡσαΐᾳ πρὸ ἑπταχοσίων*] Quam Chronologiam adhibuerit Epiphanius equidem nescio. Eusebius vero 61 ab anno Achaz 9, in quem vaticinium illud coniicit Noster, ad Natalem Christi annos colligit 748. Nam nonus Achaz adscribitur anno 1268. Natalis Christi 2015. Intervallum anni 748.

158 a. *ἵνα δείξῃ τὴν Μαρίαν*] Hebraei quidam, utputa Aben Ezra et David Kim. in hunc locum, Prophetissam illam Esaiae uxorem interpretantur, quae quod Prophetam virum habuerit, Prophetissa nuncupetur. Hieron. partim per Prophetissam Spiritum sanctum, partim B. Virginem intelligit, quod et Basilius aliique sequuntur.

τῷ γὰρ ἐνάτῳ ἔτει] Multa hoc loco adversus et rationem temporum et Scripturam commissa sunt, sive librariorum vitio, sive authore ipso aliud agente. Isaiae vaticinium illud anno 9 Achaz editum fuisse putat. Eundem porro annos regnasse 14, ac tum Ezechiam, cum Isaias vaticinatus est, annos 11 habuisse. Quod si verum est, bimulum fuisse oportet Ezechiam, cum pater ipsius regnum cepit. Atqui ut is 14 duntaxat annos regnaverit, non plus 16 annis habuit Ezechias, quem tamen 20 annos natum, cum regnare coepit, fuisse paulo post scribit. Revera autem 25 habuit: Reg. 4, 18 et Par. 2, 29. Quare postremum illud manifeste cum Scriptura pugnat, ut et illud quod asserit Achaz annos regnasse 14, cui 16 Scriptura tribuit Reg. 4, 16, 2. Neque vero minus caetera falsa sunt. Hoc enim oraculum, quod Isaiae 7 legitur: *Ecce Virgo concipiet, etc.* sub illud tempus pronunciatum est, quo Rasin rex Syriae et Phacee filius Romeliae rex Israel adversus Achaz exercitum duxerunt. Iam vero Achaz anno Phacee 17 regnare coepit. Reg. 4, 16, 1. Igitur mortuus est Phacee anno Achaz 4, qui Ioatham 20 c. 15 dicitur, hoc est ab exordio regni Ioathan, qui annis 16 regnavit, eod. cap. comm. 33. Paulo vero post vaticinium illud, Teglathphalasar Assyriorum rex, cuius opem Achaz imploraverat, vastata Syria Rasin interfecit, c. 16. Diu itaque ante 9 Achaz illud ab Isaia praedictum est: atque, uti credibile est, sub illius exordium, aut saltem uno alterove post anno.

158 d. *ἦν δὲ Σάββατον δευτερόπρωτον*] Vetus illa quaestio est quid sit *Σάββατον δευτερόπρωτον*; de qua sanctorum PP. variae sunt ac discrepantes sententiae: sed imprimis Isidori Pelusiotae Epist. 3, 110, Chrysostomi Homil. 39 in Mat. et Epiphanii cum hoc loco, tum Haeresi 51, 31. Quorum quidem opiniones utcumque cum rei veritate consentaneae sunt, ab recentioribus quibusdam parum fideliter expressae sunt. Nam ut ab Isidoro exordiar, in Annalibus Ecclesiast. anno Christi 32 Num. 2, Isidori haec refertur approbaturque sententia, *Σάββατον δευτερόπρωτον illam fuisse diem, quae post primam Azymorum mox sequitur; sicque dictum Sabbatum secundo-primum, seu Sabbatum ex Sabbato; adhuc insuper, quod eadem dies incidisset in Sabbatum hebdomadarium, duorum festorum coniunctione dictum esse Sabbatum Sabbatorum.* Subiicit deinde eandem esse et Epiphanii sententiam: imo et Suidae,
62 *dum ait fuisse eam diem secundam Paschatis, quam tamen nominat primam Azymorum.* Sed in iis verbis duo sunt ex Isidoro contra Isidori mentem et orationem allata. Alterum, Sabbatum secundo-primum diem illam appellari, quae post primam Azymorum mox sequitur. Isidorus enim perspicue primam ipsam Azymorum diem Sabbatum ait esse *δευτερόπρωτον*, quod Sabbatum ideo vocatur, quia Iudaei festa omnia Sabbati nomine complecti solent. *Δευτερόπρωτον* vero propterea dicitur, quod secunda sit a Paschate et Azymorum prima. Isidori verba sunt, *Δευτερόπρωτον εἴρηται, ἐπειδὴ δεύτερον μὲν ἦν τοῦ Πάσχα, πρῶτον δὲ τῶν Ἀζύμων. ἑσπέρας γὰρ θύοντες τὸ Πάσχα, τῇ ἑξῆς τὴν τῶν Ἀζύμων ἐπανηγύριζον ἑορτήν, ἣν καὶ δευτερόπρωτον ἐκάλουν διὰ τὸ, ὡς ἔφην, δευτέραν μὲν εἶναι τοῦ Πάσχα, πρώτην δὲ τῶν Ἀζύμων.* Manifeste primam ipsam Azymorum diem *δευτερόπρωτον* nominat, eam videlicet, sub cuius priorem vesperam immolatum est Pascha, non ab illa secundam ac proximam. Isidori verba suo more Suidas exscripsit. Alterum, quod ab Isidori sententia abhorrere dixi, illud est, quod in eandem diem Sabbatum legitimum et hebdomadarium incidisset, ob id Sabbatum Sabbatorum appellatum fuisse. Sed eiusmodi nihil ab Isidoro dicitur. Hoc unum, ut rationem redderet, cur Sabbatum prima illa dies Azymorum nuncupetur, subiunxit: Sabbatum a Iudaeis festum omnem diem vocari, indeque loquendi genus illud manasse, *Σάββατα*

Σαββάτων, quoniam accidebat interdum ut alicuius festi principium, aut finis in hebdomadarium Sabbatum incideret, quemadmodum apud Christianos Natalis Christi, hoc est Epiphania, in Dominicum incurrit. *Οὕτω καὶ παρ' αὐτοῖς ἡ καὶ ἡ πανήγυρις τῷ Σαββάτῳ συνέπιπτε, σάββατα σαββάτων ἐκαλεῖτο.* Corrigendum *εἰ καὶ ἡ παν.* Quare non eo anno, quem Lucas commemorat, concursum illum incidisse scribit Isidorus, sed alias potuisse, cum Sabbata Sabbatorum vocarentur. Isidori locus necessario adscribendus est. *Εἰ δὲ Σαββάτῳ εἴρηται, μὴ θαυμάσῃς. Σάββατον γὰρ πᾶσαν ἑορτὴν καλοῦσι. καὶ διὰ τοῦτ' εἴρηται Σάββατα Σαββάτων, ἐπειδὴ ἔσθ' ὅτε ἢ ἡ ἀρχὴ τῆς πανηγύρεως, ἢ τὸ τέλος συνέπιπτε τῷ τῆς ἑβδομάδος Σαββάτῳ.* Nec minus hallucinatus est Scal. qui l. 3 Isag. Can. Isidorum refert Sabbatum *δευτερόπρωτον* opinari tertiam esse Azymorum diem. Nam diserte primam Azymorum definit Isidorus: secundam vero offerendo novarum frugum manipulo constituit, quam tertiam a Paschate vocat, uti primam Azymorum, quam et *δευτερόπρωτον* nominat, secundam, si quidem Paschatis primam diem totam ipsam Parasceuem appellat, cuius ad vesperam agnus immolabatur. Proxima est Chrysostomi sententia. Hic Homil. 39 in Mat. *τί δέ ἐστι*, inquit, *δευτερόπρωτον; ὅταν διπλῆ ἡ ἀργία ᾖ καὶ τοῦ Σαββάτου τοῦ Κυρίου καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης. Σάββατον γὰρ ἑκάστην ἀργίαν καλοῦσι.* Maldonatus ad Matth. 12 Chrysostomum existimasse scribit Sabbatum secundo-primum esse quod proxime sequeretur festum aliquod, quod in feriam 6 incidisset. Verum e contrario Sabbatum illud esse censet Chrysostomus, quod festum aliud antecedit, id quod Graeca illa demonstrant, *καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης.* Quanquam Theoph. ad Luc. c. 6 Chrysostomi 63
sententiam eodem, quo Maldonatus, modo intellexisse videtur, si, uti solet, Chrysostomum secutus est. Tertius est Epiphanius noster, quem eodem loco Maldonatus asserit Sabbatum *δευτερόπρωτον* statuisse 8 diem Azymorum. Sed hoc quidem loco longe aliud docet Epiphanius. Etenim Sabbatum illud, quod ab Azymorum prima die proximum est, *δευτερόπρωτον* Sabbatum dici putat. At Haeresi 51, 31, aliter statuit, tametsi perobscure loquitur. Ibi enim cum duplex Sabbati genus esse dixisset, alterum hebdomadarium et antiquum, quod *πρῶτον*

vocat: alterum legitimum, sive festivum, quod δεύτερον putat, cuiusmodi Azymorum dies fuit, paulo post addit δεύτερον illud in septem revolutum appellari πρῶτον. Ubi nescias utrum Azymorum 7 diem Sabbatum δευτερόπρωτον esse definiat, an festum ipsum Pentecostes, quod et Maldonatus caeteris omnibus praefert, de quo suo loco dicemus. Iam vero nullus proprie Azymorum dies 8 fuit, cum celebritas ipsa intra septenos dies steterit, ut ex Levit. 23 et Exod. 12 constat. Nisi forte, uti Paschatis octo dies interdum numerari solent, eo quod Parasceue ipsa, cuius sub vesperam agnus immolatur, primus Paschatis dies habetur, quod ex Isidoro supra monuimus, sic etiam Azymorum prima dies eadem illa Parasceue censeatur. Qua ratione Ioseph. Orig. 2, 5 Azymorum festum diebus 8 celebrari dixit. Illud Maldonati satis mirari non possum, quod de eadem quaestione ex sua opinione illo in loco disserit. Refellit enim Epiphanii aliorumque sententiam, *qui Sabbatum secundo-primum diem aliquem Azymorum interpretantur. Nec enim die* 15, *aut* 20 *Martii spicae maturae esse potuerunt. Quod enim quidam adnotaverunt, in Palaestina eo tempore propter vehementem calorem segetes solitas maturescere, fictum esse arbitror. Nam festum primitivorum celebratur quinquagesimo die post Pascha, celebratur autem simul atque prima falx in messem mittebatur. Non ergo poterant in festo Azymorum, id est quinquaginta ante diebus, segetes esse maturae.* Haec ille. Negat itaque ipsis Azymorum diebus maturas fuisse segetes, cum quinquagesimo primum postea die falcem immiserint. Quae quidem non falso tantum dicta, sed et Scripturae manifeste contraria sunt. Quis nescit secunda Azymorum die novarum frugum manipulum oblatum fuisse? quemadmodum Levit. 23, 11 praecipitur, ממחרת השבת, hoc est sequenti post Sabbatum (sive festum, id est Azymorum primam) die, τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης, ut recte LXX reddiderunt. Ab hoc vero die, hoc est a 2 Azymorum, 7 hebdomadas numerabant, quibus evolutis, quinquagesimo demum die non spicas, aut manipulos, sed primitivos panes offerebant: eumque עצרת, hoc est clausulam appellabant, sive postremam celebritatis diem. In quo Iosephus errat, qui Ἀρχ. 3, 10 ita scribit: τῇ Πεντηκοστῇ, ἣν Ἑβραῖοι Ἀσσαρθὰ καλοῦσι, σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστήν. Assar-

Lha, hoc est עצרתא *πεντηκοστὴν* interpretatur, haud recte. De segetum maturitate, quod obiicitur, refellit Isidorus his verbis, *Ἐν ἐκείνῳ γὰρ τῷ καιρῷ μόνῳ καρηβαροῦσιν οἱ ἀστάχυες, καὶ κέκλιντται ὑπὸ τοῦ καρποῦ, καὶ τῆς πρὸς ἄμητον ὥρας, οἱονεὶ τὴν δρεπάνην ἐφ' ἑαυτοὺς καλοῦντες.* Quanquam non desunt qui de hordei messe duntaxat illud accipiant. Utcunque sit, *τῇ δευτέρᾳ τῶν Ἀζύμων* עומר hoc est manipulus oblatus est. In quo corrigendus est Isidorus, qui *τῇ τρίτῃ τῶν Ἀζύμων*, hoc est tertia, manipulum oblatum fuisse narrat. Scripsit enim, aut scribere certe debuit, *τῇ τρίτῃ τοῦ Πάσχα*, hoc est tertio a Paschate die, quod 14 die celebrabatur. Hae sunt praecipuae Veterum PP. de Sabbato *δευτεροπρώτῳ* sententiae. Ex quibus verisimillima est Epiphanii prior illa, quam hoc loco tradit, Sabbatum illud, quod post primam Azymorum incidit, *δευτερόπρωτον* dici. Vera autem procul dubio illa est, quae in 6 de Emend. Temp. et in Isag. Can. explicatur, *δευτερόπρωτον Σάββατον* primum esse Sabbatum, quod *ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν Ἀζύμων*. Nam secunda die Azymorum novarum frugum manipulum offerebant. A quo die deinceps 7 hebdomadas computare iussi sunt. Quarum Sabbata *ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν Ἀζύμων*, id est ab Omer, cognominata sunt. Veluti primum Sabbatum, quod proxime *τὴν δευτέραν τῶν Ἀζύμων* sequitur, vocatur *δευτερόπρωτον*, secundum *δευτεροδεύτερον*, tertium *δευτερότριτον*, atque ita deinceps. Quod uberius explicatum habes in Isag. Canon. p. 281. Hac enim interpretatione melior afferri nulla potest.

159 a. *τὸ δὲ διὰ τὰς ὑποπιπτούσας τῆς κατὰ σελήνην*] Iudaeorum festa Sabbata et ab iis et ab Ethnicis appellata nemini dubium est. De iis luculentus est apud Clem. Alex. locus Strom. 6, ex Petri concione quadam, *Μηδὲ κατὰ τοὺς Ἰουδαίους σέβεσθε. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι μόνοι οἰόμενοι τὸν Θεὸν γινώσκειν οὐκ ἐπίστανται, λατρεύοντες Ἀγγέλοις καὶ Ἀρχαγγέλοις, μηνὶ, καὶ σελήνῃ· καὶ ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ, Σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον· οὔτε νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε Ἄζυμα, οὔτε ἑορτὴν, οὔτε μεγάλην ἡμέραν.* Quaerit Casaubonus Exercit. 14, 4 quid sit Sabbatum primum, idque obscurum videri sibi fatetur. In quo Scaligeri interpretationem tacite refellit, qui Isag. Canon. 3 p. 223 sublatis his

64

vocibus, *τὸ λεγόμενον πρῶτον*, Sabbatum hoc loco pro *νεομηνίᾳ, ἔνῃ καὶ νέᾳ*, adeoque festis omnibus usurpari scripserat. Quod est absurdum. Nam Sabbatum illud *τὸ λεγόμενον πρῶτον*, aliud esse debet ab ordinariis Sabbatis ac Neomeniis. Equidem Sabbatum illud primum esse suspicor, Neomeniam Tisri, quae maiori quam caeterae omnes Neomeniae cultu ac religione celebrabatur. Erant quidem Neomeniae mensium omnes solennes ac festae, sed eatenus, ut in iis praecipua quaedam sacra ac ceremonias obirent, non ut ab opere feriati essent. Sola Tisri Neomenia, quod et festum Tubarum clangorisque vocatum est, תרועה, ab servili opere nominatim excipitur Levit. 23, 24. ***Mense septimo, prima die mensis, erit vobis Sabbatum, memoriale clangentibus tubis, et vocabitur sanctum. Omne opus servile non facietis in eo et offeretis holocaustum Domino.*** Quare eadem fuit illius diei ratio, quae primae ac secundae Azymorum Pentecostes, Scenopegiae, quibus quidem nullum opus servile fieri licebat, tametsi quae ad victum ne-
65 cessaria forent praeparare fas fuit. Quod de Azymorum festo diserte cautum est Exod. 12, 16. ***Dies prima erit sancta atque solennis, et dies septima eadem festivitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis iis, quae ad vescendum pertinent.*** Sabbatis vero ne ea quidem parare fas erat, quae ad victum pertinerent, ut ex Exod. 21, 29 et 35, 3 colligitur. Vide Tract. שבירת יום טוב, in 1. Par. Iad Rambam. Mirum est igitur quod Tertull. lib. con. Iudaeos c. 4 praeceptum de observando Sabbato, quod Exod. 20 et Deuter. 5 sciscitur, ita concipit: ***Memento diem Sabbatorum sanctificare eum. Omne opus servile non facietis in eo, praeterquam quod ad animam pertinet.*** Sed primum illud de primae diei azymorum observatione cum altero de Sabbato imprudens permiscuit.

ἔτι δὲ τὴν μίαν νηστείαν] Ieiunia in Hebraeorum Calendario notantur 26. Sed neque festa, neque ab opere vacua ac Sabbata fuerunt, praeter 10 Tisri, quo die festum כפורים sive expiationis cum ieiunio celebratum est, Levit. 16, 31. Atque haec est *μεγάλη νηστεία*, quam inter Sabbata refert Epiphanius. Tum enim operis nihil faciebant, com. 29. De minore Ieiunio nondum certam rationem expedire potui. In Kalendario Hebraeorum, quod Sigonius ac Torniellus ediderunt, die Adar

14 Ieiunium Esther cum Mardochaei festo, quod erat ***Phurim***, hoc est ***Sortium*** minus, incidit. Quod proinde Ieiunium minus existimari possit. Verum summovendum hoc ieiunium in 13 Adar, ut a Munstero et Genebrardo factum est, quod et Scripturae authoritate constat. Nam Esther 9, 22. 14 et 15 mensis Adar inter Iudaeorum festa sanciuntur, uti sint ***dies illi epularum ac laetitiae***. Non igitur 14 die ieiunabant. Quare de minore illo Ieiunio, quod una et festum, sive Sabbatum sit, amplius quaerendum videtur.

ἤτοι ἐν δευτέρᾳ Σαββάτων] Tres duntaxat hebdomadis ferias commemoravit 2, 3 et 4. sed una etiam caeteras συνεκδοχικῶς complexus est. Neque enim est ulla ratio, cur a caeteris eae solennitates arceantur. Nam certorum dierum superstitio illa, quam Iudaei observant et in Iad Ramban exposuit, nihil ad hunc locum facit. De qua alias disseremus.

160 c. ὁπότε καὶ οἱ εἰδωλολάτραι] Hieron. ad Hier. c. 10. ***Multarum***, inquit, ***ex quadam parte gentium et maxime, quae Iudaeae Palaestinaeque confines sunt, usque hodie populi circunciduntur, et praecipue Aegyptii et Idumaei, Ammonitae, et Moabitae, et omnis regio Sarracenorum***. De Aegyptiis id testatur Herodotus. Meminit et Origen. contra Cels. 1.

162 c. τρυγόνας δέ φημι καὶ δρακαίνας] Plin. 9, 48. ***Aeque pestiferum animal araneus, spinae in dorso aculeo noxius. Sed nullum usquam execrabilius quam radius super caudam eminens trygonis, quam nostri pastinacam appellant, quincunciali magnitudine***. Aelianus de Anim. 2, 50 venenatos pisces commemorat, gobium, draconem, hirundinem, quorum tamen virus minime lethale sit. At pastinacae praesentissimum esse docet. De muraenis Plin. 32, 4 ***muraenae morsus ipsarum capitis cinere sanantur***.

AD HAERESIN XXXI VALENTINIANORUM. 66

De Valentinianorum nugis praeter Irenaeum aliosque Veteres ex recentioribus diligentissime disputavit Pammelius ad Tertull.

164 b. ἔφασαν γὰρ αὐτόν τινες] Phreboniten Nomum aut Praefecturam neque apud Ptolemaeum, neque apud diligen-

tem earum rerum Ortelium reperio; sed, qui vocabulo proximus, Pharbaetiten, haud procul mari.

165 a. *Ἀμψιοῦ, Ἀὐραάν*] Barbara haec sunt Aeonum nomina, haud scio an ex Aegyptiorum lingua profecta, an temere atque ad terrorem conficta. Duplex horum series est. In priore paria ac *συζυγίας* copulasse videtur, in posteriore sine ulla copula singillatim percensuisse. Cumque nonnulla sit utrobique certorum nominum differentia, posteriorem ideo veriorem arbitror, quod 30 duntaxat vocabula, quot videlicet Aeones sunt, contineat; altera 33.

165 b. *Βυθὸς Σιγή*] Legendum omnino *Βυθὸς καὶ Σιγὴ*, ut in caeteris paribus. Ac cum tota illa series apud Irenaeum et Tertullianum legatur, quid apud singulos diversum sit suo loco docebitur.

166 a. *οὕτω γάρ φασι καὶ οἱ περὶ τὸν Ἡσίοδον*] Cum vocabula ipsa, tum ordo illorum ac series plurimum ab Hesiodio illo Catalogo discrepant. Sed in nugis *μικρολογεῖν* putidum est.

168 a. *τὰ δὲ παρὰ φρονίμοις*] Obscura et intricata Valentini haec est oratio. Priora quidem illa inscriptionis formulam praeferunt. Caeterum hoc ipsum fragmentum neque a Valentino scriptum, neque purum ac putum illius dogma complectitur, sed ab eius discipulis interpolatum, ut ex Tertull. colligitur.

168 b. *οὔτε γὰρ ἀρχῆς*] Legendum arbitror: *ὅτε γὰρ ἐξ ἀρχῆς*.

168 c. *ἡ ἄφθαρτος αἰωνία*] Leg. *αἰὼν* pro *αἰωνία*. Nam et foeminas Aeones Valentinus nominabat. Tertull. contra Valent. c. 9. *Novissima natu Aeon: viderit soloecismus, Sophia enim nomen est.*

168 d. *μετὰ τοῦτο δὲ ἡ Σιγή*] Quantum in tenebricosis implicatisque fabulis dispici potest, hoc ipsum significare videtur, Sigen e Bytho Patrem genuisse Veritatis. Tum vero cum eodem illo quem genuerat copulatam, Veritatem edidisse. Quod aliter apud Iren. et Tertull. legitur. Nam ex Bytho et Sige ambos illos Aeonas, Patrem, sive Nun et Veritatem susceptos asserunt.

μητρικὴν προενεγκαμένη προυνικίαν] Forte *προυνικίαν*

pro libidinis illecebris sumpsit, ut μητρικὴ ἀπὸ τῆς μήτρας deductum sit. Origenes in Celsum tom. 6 προυνικὴν δέ τινα σοφίαν οἱ ἀπὸ Οὐαλεντίνου ὀνομάζουσι, κατὰ τὴν πεπλανημένην ἑαυτῶν σοφίαν· ἧς σύμβολον εἶναι βούλονται καὶ δώδεκα ἔτεσιν αἱμορροοῦσαν. Sed unam quandam ac singularem προὔνικον a Valentinianis appellatam non puto, cum προυνίκους Aeones omnes nuncupaverit, hoc quidem in libro.

170 a. ἥτις ἠνώθη τοῖς φωσί] Quid si Αἰῶσι pro φωσὶ legendum sit? Sed quae sequuntur perplexa sunt admodum et obscura.

173 a. ἐκ τῶν τοῦ ἁγίου] Plurimum vel hoc uno nomine de omni posteritate meritus est Epiphanius, quod eius 67
studio factum est ut Irenaei fragmenta quaedam ex tanto illius Operum naufragio superessent. Nos ea cum Latina veteri interpretatione, quod olim Billius fecerat, diligenter contulimus et nostras Billique coniecturas ad marginem adscripsimus, neque quicquam nisi ex veterum manu exaratorum fide in contextu ipso mutavimus.

174 c. οὐκ ἐπιζητήσεις δὲ παρ' ἡμῶν] Quod perperam antea Δέλφοις pro Κέλτοῖς legebatur, ex Reg. Cod. authoritate sustulimus.

175 b. καὶ καθέσθαι ὡς ἐν μήτρα] Expung. καί.

175 d. εἶναι γὰρ αὐτῶν ἕκαστον] Utrum Aeonum quemlibet Hermaphroditum esse voluerit Valentinus, an paria ipsa potius intelligat ex mari foeminaque constantia, dubitari haud immerito sane potest. Par quidem ipsum ἀῤῥενόθηλυ hoc loco nominari docent ea quae subiiciuntur. Cum enim dixisset, εἶναι γὰρ αὐτῶν ἕκαστον ἀῤῥενόθηλυν οὕτως, quomodo id fiat ostendit in sequentibus, quod et Pater cum Ennoea et mare caeteris cum suis comparibus coniuncti sint. Itaque ἀῤῥενόθηλυν iccirco nominat, quia coniuges sunt. Atqui Valentiniani ipsi ἀῤῥενόθηλυν Βυθὸν Aeonum principem et originem in libro suo vocant n. 5. Et cum Tetradem posteriorem, Decadem ac Dodecadem numerant, ἀῤῥενόθηλυν utramque appellant, non quod singuli Aeones Hermaphroditi essent, sed quod paria ἐν τῇ ὁμάδι marium foeminarumque continerentur. Quocirca nihil ad hunc Irenaei locum. ut opinor, pertinet quod e Tertull. affertur, l. con. Valent. c. 34. *Alii contra magis et masculum*

et foeminam dicunt, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet Annalium commentator Fenestella. Haec enim non ex Valentini, sed eius discipulorum sententia a Tertulliano commemorantur.

τὸν μὲν λόγον καὶ τὴν ζωὴν] Confer haec cum Valentinianorum narratione n. 5. Animadvertes aliter haec ab Irenaeo, Tertull. caeterisque quam a Valentinianis exposita. Piget enim nugas istas ineptissimaque deliria scrupulosius persequi.

176 b. *θελητὸς καὶ σοφία*] Theletum, non Teletum scribendum esse Graeca ipsa cum veteri Irenaei Interprete persuadent. Nec audiendus Pammelius, qui Teletus mavult, quasi perfectum dicas, quod nulla Grammaticae ratio patitur. Telestus enim, non Teletus dicendum fuerat.

177 d. *οἵαν φύσιν εἶχε θήλειαν τεκεῖν*] Assensus sum R. P. Frontoni Ducaeo, qui in Notis ad hunc Irenaei locum hanc, quam expressimus, sententiam probat. Sed nec poenitenda vulgata altera lectio.

178 d. *τὸ πρῶτον καταληπτὸν ὑπάρχειν*] Ita in ed. Basil. et in Regio. Sed *ἀκατάληπτον* ex Irenaei Interprete et Tertull. legendum.

179 c. *ἐξάγωνος σύμπηξις*] Vetus Iren. Interpres *καὶ Αἰώνων* legisse videtur. Forte *ἔξω τῶν Αἰώνων σύμπηξις.* Nam de Aeonibus paulo ante dictum est.

181 a. *διήνοιξε τὴν μήτραν τῆς ἐνθυμήσεως*] Enthymesis, nisi fallor, inter Aeonas minime recensetur, sed foetus quispiam est Aeonis, hoc est Sophiae. Quare post *Ἐνθυμήσεως*, sublata distinctione et particula *καὶ*, ante *ἐξορισθείσης*, ita locus ille interpretandus est: *Cogitationis affecti Aeonis, quae a Pleromate proscripta fuerat, matricem operuit.* Non enim Sophia ipsa extra Pleroma penitus amandata, sed eius *ἐνθύμησις* et *πάθος.*

68 181 b. *ἄρας τὸν σταυρόν*] Leg. *ἀκολούθει μοι. Sequere me,* ut est apud Iren. sed nos Graeca ipsa immutare noluimus.

182 d. *ὅθεν τὸ Ἰαὼ ὄνομα*] Quem Liberum patrem et Solem ethnici scriptores appellarunt. Macrob. 1, 16.

187 b. *τὸν Δημιουργὸν δὲ εἰς τὸν ὑπερουράνιον*] Corr. *ἐπουράνιον.*

201 b. *ἐπειδὴ τῇ σκηνῇ ταύτῃ*] *Ἀπολύτρωσιν* hic ***redemptionem*** esse credit Billius, de qua Irenaeus c. 18. Nos autem aliud esse hoc quidem loco suspicabamur, nempe exodium fabulae. Non enim de *ἀπολυτρώσει* illa Haereticorum aliorum verba facit Irenaeus.

204 a. *ἐξηροφόρησεν*] Corrupta vox, in qua divinationem experiri non vacat.

207 c. *ἄλυσίν τινα οἱ σκορπίοι*] Aelianus H. A. 6, 23.

AD HAERESIN XXXII SECUNDIANORUM.

208 b. *προειρημένων*] Corr. *προηρημένων*.

209 d. *φάσκει δὲ μετὰ τὸ ὑστέρημα*] Leg. omnino, *φάσκει δὲ τὸ ὑστέρημα μετὰ τοὺς τριάκ. Αἰῶνας*. Hanc enim Secundi fuisse sententiam docuit n. 1.

210 d. *οὗτος γὰρ ὁ Ἐπιφάνης*] Ex Clem. Al. 3 Strom. haec descripta sunt, tametsi ab authore ipso diversa quaedam tradiderit. Clementis verba necessario hic adtexenda sunt, *Ἐπιφάνης οὗτος, οὗ καὶ τὰ συγγράμματα κομίζεται, υἱὸς ἦν Καρποκράτους, καὶ μητρὸς Ἀλεξανδρίας τοὔνομα, τὰ μὲν πρὸς πατρὸς Ἀλεξανδρεὺς, ἀπὸ δὲ μητρὸς Κεφαλληνεύς· ἔζησε δὲ τὰ πάντα ἔτη ἑπτακαίδεκα, καὶ θεὸς ἐν Σάμῃ τῆς Κεφαλληνίας τετίμηται· ἔνθα αὐτῷ ἱερὸν ῥυτῶν λίθων, βωμοὶ, τεμένη, μουσεῖον ᾠκοδόμηταί τε καὶ καθιέρωται· καὶ συνιόντες εἰς τὸ ἱερὸν οἱ Κεφαλλῆνες κατὰ νουμηνίαν γενέθλιον ἀποθέωσιν θύουσιν Ἐπιφάνει, σπένδουσί τε, εὐωχοῦνται, καὶ ὕμνοι λέγονται. ἐπαιδεύθη μὲν οὖν παρὰ τῷ πατρὶ τήν τε ἐγκύκλιον παιδείαν καὶ τὰ Πλάτωνος*, etc. Haec ille. At Epiphanius a patre Cephallenium fuisse, non Alexandrinum docet.

210 d. *Σάμῳ*] Quae et Same dicitur. ***Dulichiumque, Sameque et Neritos ardua saxis.***

211 b. *Ἰσίδωρον*] De Isidoro meminit idem Clem. Strom. 6.

212 c. *ἀναγκαίως δὲ ταύτας*] Apud Clem. Alex. haec cum praecedentibus copulata ita leguntur, *φυσικὸν δὲ τὸ τῶν ἀφροδισίων, οὐκ ἀναγκαῖον δέ*. Tum subiicit, *ταύτας παρεθέμην τὰς φωνὰς εἰς ἔλεγχον τῶν μὴ βιούντων ὀρθῶς Βασιλειδιανῶν*, etc. Neque tamen mutare quicquam in Epiphanio

nostro volui. Fieri quippe potest ut. aliquid de suo sciens ac volens inseruerit.

212 d. *φασὶ δὲ καὶ οὗτοι*] Tertull. l. con. Valent. c. 37. *Accipe alia ingenia cicuria Enniana, insignioris apud eos magistri, qui ex Pontificali sua auctoritate in hunc modum censuit, etc.*

213 a. *Κλήμης τε, ὃν φασί τινες Ἀλεξανδρέα*] Qui Clementem patria Atheniensem esse diceret praeter Epiphanium ex Veteribus vidi neminem. Quanquam ne is quidem affirmat, sed contrarias duntaxat opiniones affert. Mirum igitur est quo
69 fretus authore Vir eruditus Clementem Athenis oriundum, sed quod Alexandriae perdiu docuerit, Alexandrinum fuisse tam asseveranter scripserit. Qui ob eam caussam addit a maioribus (ut author est Epiphanius) tum Alexandrinum, tum etiam Atheniensem esse nominatum. Atqui nusquam id, quod ille putat, Epiphanius tum Alexandrinum, tum etiam Atheniensem a maioribus nominatum esse Clementem asserit, quod Athenis ortus, Alexandriae docuisset. Sed de patria duntaxat varie quosdam sensisse narrat.

213 b. *ἰοῦ, ἰοῦ, καὶ φεῦ, φεῦ*] Ad haec Irenaei verba respexit Tertull. *In Scholis Carthaginiensibus fuit quidam rigidissimus Rhetor Latinus, Phosphorus nomine. Cum virum fortem peroraret, Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de praelio cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis. Et Scholastici statim familiae Phosphori φεῦ acclamant. Audisti fortunatam et Hedonem, et Acinetum, et Teletum: acclama familiae Ptolemaei φεῦ.* Quanquam *φεῦ* apud Iren. *σχετλιαστικὸν*, apud Tertull. *θαυμαστικὸν* est.

214 a. *ἐκ δὲ τῆς ἀρχῆς*] Leg. *ἐκ δὲ τῆς ἀνεννοήτου δευτέρῳ*, etc. adeo ut voces illae *τῆς ἀρχῆς* parenthesi inclusae adscititiae videantur. Cuius contrarium ab operis est factum tam in contextu ipso quam in paginae limite. Si quidem Irenaeus *ἐκ δὲ τῆς ἀνεννοήτου* legit.

214 d. *τῷ ὑποδείγματι τοῦ εὐαγγελίου*] Coniiciebam *ὑποδήματι* substituendum esse. Quod si cui recepta iam lectio magis arriserit, *ὑπόδειγμα* hoc loco pro mandato et praecepto accipiendum est.

AD HAERESIN XXXIII PTOLEMAEI.

215 a. *οὗτος τοίνυν ὁ Πτολεμαῖος*] Haec ex Irenaeo ad verbum descripta sunt 1, 6.

216 d. *καὶ τοῦ σφετέρου πληρωθῆναι*] Utcunque sensus iis ex verbis erui possit, quod nonnisi violenter fieri potest. Longe mihi aptius videtur *καὶ τοῦ ὑφ' ἑτέρου πληρωθῆναι*. Nec dubito quin hoc Epiphanius scripserit.

217 a. *ὁ Ἀπόστολος προαποστερήσας*] Apostoli nomine Ioannem intelligere videtur, ut ad *λέγει* paulo ante positum referatur, hoc sensu: ***Praeterea mundum ab ipso fabricatum, omniaque per ipsum facta et sine ipso nihil esse factum testatur Apostolus, ac mendacissimorum hominum,*** etc.

217 d. *ὅτι Μωϋσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν*] Quonam pacto Moses id Iudaeis permiserit et quatenus Christianis divortium facere liceat, pluribus Catholici Interpretes ad Matth. 19 disputare solent, quorum Commentarios consulere quisque potest.

218 d. *δῶρον τῷ Θεῷ*] Hic est difficillimus ille ex Matthaei ac Marci Evangelio locus, quem pro diversa interpunctione varie interpretes acceperunt. Nam aut verbum *ὠφεληθῇς* cum antecedentibus copulatur, hoc modo, *Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς*. Apud Marcum vero, *Κορβὰν* (*ὅ ἐστι δῶρον*) *ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς*. Aut inter *ἐμοῦ* et *ὠφεληθῇς* distinctionis nota ponitur. Posteriorem hanc lectionem vulgo Graeci codices habent, eamque Latinus Interpres sequitur. Nam ita vertit, ***Munus quodcunque est ex me, tibi proderit:*** perinde ac si ita scriptum esset, *ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ᾖ, ὠφεληθῇς*. Existimabant enim ac prae se ferebant ex Pharisaeorum disci- 70
plina filii, se cum Deo aliquid pro se ac parentibus suis offerrent, abunde officio suo satisfecisse, neque quicquam dependere amplius debere. Sed priorem lectionem, quae *ὠφεληθῇς* superioribus annectit, Epiphanius, Chrysostomus, aliique Graeci, nec non et Syrus Paraphrastes exprimunt. Epiphanius quidem imprimis, cum verbum *ὠφεληθῇς* inserit: *δῶρον τῷ Θεῷ, ὃ ἐὰν ὠφεληθῇς ἐξ ἐμοῦ*. Quod ita Chrysost. 51 in Matth. Homil. declarat, *ἐπαίδευσαν τοὺς νέους εὐσεβείας σχήματι καταφρονεῖν τῶν πατέρων. πῶς, καὶ τίνι τρόπῳ; εἴ τις τῶν γονέων εἶπε τῷ παιδὶ, δός μοι τὸ πρόβατον τοῦτο ὃ ἔχεις, ἢ τὸν*

μόσχον, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον, ἔλεγον, δῶρόν ἐστι τοῦτο τῷ Θεῷ, ὃ θέλεις ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆναι, καὶ οὐ δύνασαι λαβεῖν. Verum solennis illa votorum formula, quam ex Magistrorum Commentariis ad Iosue c. 6. Masius profert, mihi certissima videtur. Nam cum aliquis apud alterum ex hac formula votum edidisset, קרבן כל מה דתהנא מני *Anathema et res devota esto, quicquid illud sit, quo ego tibi prosum*, nefas arbitrabantur illum beneficii genere ullo prosequi, ne parentem quidem ipsum; ne quod Deo scilicet devotum est, id humanis commodis serviat. Haec Masius. Sane quidem Paraphrastes Syrus iisdem verbis locum illum reddidit, quae apud Rabbinos leguntur. At Scaliger in virulento illo Trihaeresii Elencho ellipticam loquendi rationem ita supplet: Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, πάσης με πρὸς σὲ τιμῆς ἐλευθεροῖ. Sed hoc ex opinione sua confictum, non ex authore ullo depromptum, divinationi ac coniecturae potius est quam certae ac liquidae veritati tribuendum. Postremo in hoc eodem Evangelii loco ellipsis alia manifesta est: nimirum, quicunque hoc dixerit patri suo, nulla adversus illum obligatione constringetur, vel nulla re ei commodabit, quod num. 9 Epiphanius insinuat.

219 a. *τὴν ἀδικίαν*] Fort. *τῇ ἀδικίᾳ.*

219 d. *ἔν τε τοῖς ἄλλοις καταριθμεῖται*] Haec minus expedita ac liquida mihi videntur, tametsi utcunque sententiam expressimus.

220 c. *ὡς ὡρισμένης τοῦτο ἡμέρας*] Leg. *εἰς τοῦτο.* Caeterum videant huius temporis Haeretici quemnam sibi pervicacissimi ac vanissimi erroris magistrum ac patronum asciverint, dum ieiunia statis temporibus indicta ac certorum dierum religionem damnant.

222 c. *ἠτόνησα*] Fort. *ἐφθόνησα.*

223 c. *Στησίχορον*] Stesichorus fabulosas Deorum prosapias descripserat, ut alibi indicat Epiphanius.

224 c. *εἰσὶ δὲ αὗται τέσσαρες*] Quatuor apud Hebraeos Δευτερώσεων, sive Traditionum genera percenset. I est quod Mosi inscribitur: 2 Rabbi Akiba: 3 R. Adda, sive Iuda: 4 Assamonaeorum. Fingunt autem Moysen 40 illis diebus, quibus in monte constitit, praeter Legem, Legis interpretationem accepisse, eamque LXX senioribus, hos Prophetis, hos Synagogae

tradidisse. Hanc Legis corruptelam potius quam interpretationem appellant תורה שבעל פה *legem quae ore tradita sit*, tantique faciunt ut ipsi Dei verbo praeferendam censeant.

227 a. *νομοθετήσας γὰρ ὁ νόμος*] August. contra Adam. c. 8.

228 a. *ὡς ἀπὸ θαλάττης ἀνελθών*] *Καρχαρίας* Hesych. est *θαλάττιος κύων*. Canem vero marinum viperas evocare sibilis, aut cum iis consuescere nunquam legi. Sane muraenas 71
a serpentibus ad coitum evocari sibilo scribit Plin. 32, 2. *Ob id sibilo a piscatoribus, tanquam serpentibus, evocari et capi. Καρχαρίαν* aliud esse quam canem hoc quidem loco necesse est.

AD HAERESIN XXXIV MARCOSIORUM.

232 b. *τὰ γὰρ Ἀναξιλάου παίγνια*] Quaenam ista ludicra sint sparsim indicat Plinius, ut 35, 15. *Lusit et Anaxilaus eo* (de sulphure loquitur) *candens in calice novo, prunaque subiecta circunferens exardescentis repercussu pallorem dirum, velut defunctorum, offundente conviviis.* Scripsit iste, nisi fallor, de arcanis quibusdam naturae ac miris operibus, ut ex eodem Plinio licet colligere 19, 1. 28, 11. 33, 10. Quin et saepius libro primo in Authorum Indiculo citatur.

233 c. *ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα*] Veterem Irenaei Interpretem secutus *εὐχαριστεῖν* gratias agere, non consecrare Latine reddidi. Quanquam ille ipse Interpres parum commode: *Pro calice enim vino mixto fingens se gratias agere.* Nostro autem sensu post *κεκραμένα* apponenda distinctio est. Neque vero Billii ratio minus placet, qui *εὐχαριστεῖν* consecrandi significationem habere hoc loco putat. Nam et ea notione apud Iustinum in Apol. 2 sumitur insigni illo in loco, qui Haeresis hodiernae iugulum petit, *Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν Διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς παροῦσιν ἀποφέρουσι. καὶ ἡ τροφὴ αὐτὴ καλεῖται παρ' ἡμῖν Εὐχαριστία.* Et paulo post: *Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ*

Σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτω καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Sic paulo post *εὐχαριστεῖν τὸ ποτήριον benedicere poculo,* quod idem est consecrare. Nam idem est apud Evangelii Scriptores *εὐλογεῖν* quod *εὐχαριστεῖν.* De quo erudite Maldon. noster ad Mat. 26.

235 d. *ἅπαντα τὸν χρόνον ἐξομολογουμένη*] Vetus Interpres: *Omne tempus in exhomologesi consummavit.* Est autem exhomologesis hoc quidem loco non ipsa tantum peccati confessio, quae est poenitentiae pars, sed poenitentia ipsa, quatenus et Confessionem et luctuosas poenitentium sordes et caetera moeroris ac *ταπεινώσεως* indicia complectitur, de quibus dicetur ad Novatian. Haeresin.

236 c. *ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας*] Rhodani tractum Rhodanusiam vocat. Ut et in Vet. Inscript. *Rhodanici* Rhodani accolae nominantur. Quanquam Stephanus *Ῥοδανουσίαν* Urbem esse dicat *ἐν Μασσαλίᾳ.* Huc vero Hieron. locus pertinet ad Esa. c. 64, quem et Fronto Ducaeus noster ad hunc locum observat, ubi Gnosticos ait, *per Marcum Aegyptium Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles foeminas decepisse, miscentes fabulis voluptatem et imperitiae suae nomen scientiae venditantes.*

ἡσυχῇ δέ πως ἑαυτοὺς ἀπηλπικυῖαι] Plana et integra lectio, neque quicquam addendum, tametsi quidam verbum *χωρίζουσι* desiderari putet.

72 *οὕτως Μάρκος μήτραν*] De Colorbaso Tertull. meminit l. de Praescript. c. 50. Quae sequuntur Marci somnia, quod non minus perplexa et intricata quam stolida inaniaque sint, in iis excutiendis tempus operamque consumere supervaneum duxi.

239 b. *παρ' αὐτῇ καὶ σιωπήν*] Lego cum Billio ex Vet. Interprete *παραυτίκα σιωπῆσαι.*

239 d. *ἐπειδὴ τοῦ ὑστερήσαντος*] Interpres Iren. *Ex minori autem computatione qui erat apud Patrem descendit emissus illuc unde fuerat separatus, etc.* Ex quibus recte coniiciebat Billius leg. *ἐκ δὲ τοῦ ὑστερήσαντος.* Cum, inquit,

ratio non satis constaret, hoc est cum par in tribus non inesset literarum numerus, propterea quod *Λόγος* et *Ἐκκλησία* 8 literis constarent, *Ἄνθρωπος* et *Ἐκκλησία* 7, Pater et Veritas 9; tum demum uti paria facerent, de novem Patris et Veritatis literis una ad Hominis et Ecclesiae septem illas accessit.

240 b. *ἐκεῖνον τὴν μετὰ τὰς ἓξ ἡμέρας*] Christum Dominum, qui post 6 dies in eum montem, ubi transfiguratus est, cum tribus discipulis quartus ascendit, ibique adiunctis Elia ac Moyse sextus est factus. Matt. 17.

τὸν κρατηθέντα καὶ καταβάντα ἐν τῇ ἑβδομάδι] Videtur ad 7 diem alludere, quo Christus in sepulchro iacuit et apud inferos mansit.

240 c. *ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν, ἥτις ἐστὶ παρασκευή*] ***Coenam puram*** vertit Interpres Iren. Id quod eruditi viri pridem observarunt.

241 d. *αἰνέσεως*] Legeram *ἀνέσεως* pro *αἰνέσεως*, sed ***laudationis*** pro ***relaxationis*** malo cum Vet. Interprete.

242 b. *ἡ δὲ Σιγὴ πέντε*] Falsum est, nisi *σειγὴ* legas.

242 c. *ὀκτὼ καὶ δέκα γραμμιάτων*] Scripserat Iren. *ιη'* pro *Ἰησοῦς*. Librarii numerum esse rati locum depravarunt. Scribe igitur *Ἰησοῦς*, quod nomen senas habet literas. Sic et ea quae sequuntur ex Irenaei Interprete pro eo atque ad marginem adscripsimus emendanda sunt.

τὸ δὲ Χριστὸς ὀκτώ] Proinde *Χρειστὸς* leg. Nam et Chrestum quidam Christum appellarunt.

243 a. *η καὶ π καὶ ω, ὅ ἐστι δεκαοκτώ*] Leg. *ὅ ἐστιν Ἰησοῦς*. Nam numerus ipse 888 literis illis tribus expressus est *η*, *π*, *ω*. Qui et in nominis *Ἰησοῦς* literis continetur.

διὸ καὶ τὸν ἀλφάβητον] Ita ex Vet. restituimus. Caeterum quod Alphabeti literas ita distribuit uti 8 sint Monades, Decades 8 et Hecatontades 8, sic accipe.

Monades.	Decades.	Hecatontades.
A	*I*	*P*
B	*K*	*Σ*
Γ	*Λ*	*T*
Δ	*M*	*Y*
E	*N*	*Φ*
Z	*Ξ*	*X*
H	*O*	*Ψ*
Θ	*Π*	*Ω*

Quae R. P. Fronto Ducaeus olim observabat, ut et illud de Iesu
73 nomine e Pseudosibyllinis, *ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις, ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτὼ, ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις οὔνομα δηλώσει.*

243 b. *ἥτις τῷ δέκα συμπλακεῖσα*] Perperam hic legi *τὸν Ἰησοῦν ἀπεκύησε* Billius adnotat, et pro 88, quod Vetus Interpres habebat, legit 18, quia 10 et 8 non 88, sed 18 procreant. Sed castigatiora Irenaei exemplaria et a Feuardentio restituta 888 habent: qui numerus ab 8 gignitur bis per decadas ducto ac tertio repetito, hunc in modum: 8 per 10 multiplicatus 80 producit. Duc 10 in 80, fiunt 800; adde postremo ipsum 8, collectis omnibus, nascitur 888, qui numerus in literis nominis *Ἰησοῦς* comprehenditur. Quare idem est *ἀπεκύησε τὸν Ἰησοῦν* atque *ἀπεκύησε τὸν Η, Π, Ω,* neque mutandum in Graeco quicquam arbitrarer, nisi Vetus Interpres aliter legisset.

καὶ υἱὸς Χριστὸς, τουτέστιν ἡ δωδεκάς] Quod *υἱὸς* quaternis literis constet, expedita ratio est. *Χριστὸς* autem, nisi *Χρειστὸς* scribas, 7 omnino continet. Sane Christum plerique e Gentilibus appellavere Chrestum.

244 c. *νεωστὶ πρὸς τὸ ἀπαρχῆς*] Vet. Interpres legisse videtur, *ὡς τὸ ἀπ.* sed ne sic quidem satis explicata sententia est, quam utcunque perpolivimus.

246 a. *ἃ σὺ χορηγεῖς*] Iambicos istos ex Vet. fide restituimus. Sed hi duo, *ἃ σὺ χορηγεῖς*, etc. et *δι' ἀγγελικῆς*, etc. mendosi sunt. Fortasse ita concipi possunt, *ἅ σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατανικὸς* (Scaliger *Σατὰν ἀεὶ*) *δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν.*

De Azazele meminit e Cabala Reuchlinus l. 3. Atqui illos ipsos Iambicos esse versus diu ante Scaligerum Irenaei Editores agnoverant, quos ille Pyriphlegethontas et Cercopas appellat, editionem vero ipsam Coloniensem, *convitiorum et sycophantiarum cloacam,* ad Eusebii A. 2156. Sed merae sunt hominis sycophantiae, quas in authores Colon. illius editionis coniicit, et mendacia crassissima. Quod enim cerebrum habuit, cum in eadem Editione *ἔμμετρος* pro *ἐμμέτρως* scriptum esse dixit et *ἔμμετρον κήρυκα* praeconem? Sane falso in illos ista iactavit. Nam et *ἐμμέτρως* illic editum est, et Billius recte ita vertit:

Veritatis praeco versibus ita in te exclamavit. Cum autem corrupti plerique versus essent, non male idem ille eruditissimus Billius *pedum rationem non haberi* dixit. Porro virulenta illa Scaligeri reprehensio non in Colonienses editores, sed in Cornarium et Galasium Scaligeri symmystas cadit, quorum uterque *κῆρυξ ἔμμετρος* legit.

246 d. *τὸ γὰρ στοιχεῖον τὸ η*] Insignis, hoc est *ἐπίσημος* numerus, est 6, sive ϛ. Sic apud Hieron. Commen. ad Ps. 77 quem locum Fronto Ducaeus ad Iren. attulit, *Scriptum est,* inquit, *in Matthaeo et Iohanne quod Dominus noster hora sexta crucifixus sit. Rursum scriptum est in Marco, quia hora tertia crucifixus sit. Hoc videtur esse diversum, sed non est diversum. Error scriptorum fuit: et in Marco hora sexta fuit. Sed multi episemum Graecum ϛ putaverunt esse γ, sicut et ibi error fuit scriptorum, ut pro Asaph Esaiam scriberent.* Iam si literas omnes ordine percenseas, eae ad η usque 30 conficiunt, excluso videlicet ϛ, quae est 74
senarii nota. η porro in literarum serie octavum locum obtinet, si ϛ adieceris, dempto eo septimum. Sed ut ad Episemum redeam, proprie *ἐπίσημον* insigne est, sive nota senarii numeri, hoc est figura ipsa ϛ, de quo vide quae Scaliger observat in Euseb. p. 105. At Irenaeus *ἐπίσημον* numerum appellat ipsum, quod *episemon* vetus Interpres reddidit. Nos *insignem* nominare possumus. Nam *insigne* notam ac figuram significat: unde insignis numerus qui insigni, hoc est episemo, sive nota exprimi solet.

248 a. *τουτέστι τὸ ὑστέρημα*] Haec ex Beda lib. de loquela per gestum intelliges. Ubi Veteres docet ad 99 usque sinistrae manus digitis numerasse, centum vero reliquosque deinceps centenarios dextra computasse.

249 a. *καὶ ἐπεὶ ἀντεπεξεύχθη*] Quo sincerior hic locus existat, scribo *πρὸς τὴν τῶν ὅλων.*

249 b. *τὰς δὲ ἡμέρας δέκα δύο ὡρῶν*] Hora apud Epiphanium duas Aequinoctiales continet, ut et alio loco evidentius indicat. Iam quod horae 30 *μοίρας* tribuit, sic intelligi potest. Sol diebus singulis, hoc est 12 horis, vel 24, circulum describit, qui in 12 partes tricenarias divisus, gradibus constat 360. Quamobrem singulis horis Aequinoctialibus 15 gradus, duabus horis, sive 12 diei parte, 30 gradus conficit.

249 c. *δώδεκα κλίματα*] Nam totidem ventorum regiones. Vide Gell. 2, 22.

252 c. *τοῖς τριάκοντα κλητοῖς*] Tricenos ad convivium adhibitos Hebr. ac Vulg. codices habent. Graeci 70.

καὶ διὰ Λαβὶδ, ὅτε ἐπὶ τριάκοντα ἡμέραις] Ubi scriptum illud extet mihi non occurrit. Sed in nugis ac somniis frustra constantiam ac rationem exigas.

253 c. *καὶ οἱ λευκοὶ λευκανθῶσι*] In Graeco est *καὶ ἐκλευκανθῶσι.*

πολλάκις ἐπεθύμησα] Nusquam haec sententia in sacris literis reperitur.

255 d. *βασεμιὰ χαμοσσή*] Paulo aliter haec verborum formula apud Irenaei Interpretem concepta legitur 1, 18. ***Basyma eacabasa canaa, irraurista dyarbada cacotaba fobor camelanthi.*** Apud Nicetam vero ***Camosi, bae, anoora mystada rhuda custaba, phogor calathi.*** Quae sic interpretatur, ***O qui es super omnem virtutem Patris, te invocamus, qui lumen et Spiritus bonus et vita nominaris, quoniam in corpore regnasti.*** Hebraica porro illa esse verba Irenaeus narrat, sive eiusmodi revera sint, sive pro Hebraicis a circunforaneis istis apud imperitos iactata. Sane quidem tametsi depravata ea sint, Hebraismus tamen in plerisque haud obscure pellucet: ut mirum sit Irenaei Scholiasten, pium et eruditum hominem, tam confidenter id asseverare, ea vocabula ***nec a Graeca, nec ab Hebraea, Chaldaica, Syra, aut Arabica lingua petita esse,*** proindeque ***Magica et barbara magis portenta esse quam nomina.*** Atenim Epiphanium et Irenaeum nuperrime Sectarius quidam redarguit, quod haec ipsa verba perperam acceperint, cum ita scribenda sint: Basem haccados, Ab, Ben, Arruach. בשם חקרוש אב כן הרוח. Hoc est: in nomine sancto Patris et Filii et Spiritus sancti. A quo quidem sensu longe illi Patres abhorrent. Verum ut carminis huius initio solennis illa formula, In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, praescripta sit, caetera tamen ad eam sententiam, quam Irenaeus expressit, revocari poterunt, si leviter emendentur. Ac fortassis hunc aut similem ad modum conformari possunt, בשמא על עצנא אבא ענא אירא מבטאא etc. ורוחא טבא חיא כי בגופא מלכת. Quae quidem Hebraice et Aramaea inflexione eundem plane sensum reddunt quem Ire-

naei Graeca praeferunt. Sunt ea vero partim e Graeco, partim e Veteris interpretis Latino concinnata. Quod utcunque tentare multo prudentius ac modestius est quam temere veteres Patres inscitiae atque erroris arguere. Quis nescit Hebraica vocabula Graece olim scripta, quae ex Origenis Hexaplis, Octaplisque apud Chrysostomum aliosque Patres leguntur, tam ab Hebraeis absona esse ut illa, nisi haec haberemus, nulla assequi divinatio potuerit. Caussa huius varietatis est Hebraicarum vocum diversa, nec ad aliarum linguarum usum satis modulata prolatio. Quo minus admirari convenit in paucis illis Marcosianae formulae vocibus pene omne illarum originis vestigium extinctum.

256 a. *Μεσσία οὐφαρέγ*] Nova iterum vocum prodigia. In quibus conflictari neque otium, neque operae pretium est. Apud Iren. Interpretem non eodem atque hic modo leguntur. Ex quo supplenda apud Epiphanium vocula est in Graeca verborum interpretatione. Scribe igitur *Οὐ διαιρῶ τὸ πνεῦμα Χριστοῦ.*

256 c. *μυρίζουσι δὲ καὶ αὐτοὶ τῷ βαλσάμῳ*] Ex Ecclesiae Catholicae ritu, quem simii isti retinebant. Nam post baptismum inungi solebant Neophyti.

AD HAERESIN XXXVI HERACLEONITARUM.

263 c. *λυτρούμενος*] *Λύτρωσις* illa Baptismus erat *εἰς λύτρωσιν ἁμαρτιῶν.*

265 d. *ἐνεπάγην εἰς ὕλην*] Vitioso codice usus est Epiph. Nam *ὕλην* haud dubie corruptum pro *ἰλύν.*

267 b. *σὴψ γὰρ οὗτος ἂν λέγοιτο*] Seps alius serpens, alius lacerta. Posterior Chalcis, vel Chalcidica, quod quibusdam lineis aeris speciem gerentibus distinguatur. De hoc genere loquitur Epiphanius: unde *Χαλκέα* vox aut ab erudito quodam ad oram Codicis adnotata, aut suo loco mota. Seriem quidem ipsam orationis interrumpit. Iam quod Epiphanius asserit, morsum haud adeo exitialem esse, sed sputo conficere, cum iis pugnare videtur, quae Aristot. scribit, morsu suo vel interimere sepas, vel acerrimum dolorem infligere. De sputo nihil apud alium legi.

AD HAERESIN XXXVII OPHITARUM.

271 a. *ἦν ἑρπετὸν ὁ ἄνθρωπος*] Quae de hominum origine commenti sunt et hi et Gnosticorum plerique, ex veterum Philosophorum opinionibus manarunt, de quibus Diodorus, Eusebius 1 de Praep.

272 b. *καὶ πανουργίαν*] Cor. *κατὰ παν.*

76 274 d. *ἕτερον πάλιν ἔχει φρονιμότητος*] Ambr. Serm. in Fer. 2 post Dom. 1. Quadr. ***Serpens cum venerit ad bibendum aquam, priusquam bibat, extra fontem evomit venenum suum et postea bibit. Ita et nos quando ad altare Dei communicaturi accedimus, deponamus venenum pessimum,*** etc.

AD HAERESIN XXXVIII CAIANORUM.

282 d. *καθὼς ἦν περὶ αὐτοῦ γεγραμμένον*] Tametsi haec ex Matt. 27 capite sumpserit, ubi Hieremias nominatim laudatur, caute tamen *ἐν τοῖς Προφήταις* dixit, quod hic locus apud Hieremiam non extat. Suspicatur Euseb. l. 10 *τῆς Ἀποδείξ.* haec, quae Evangelista commemorat, apud Ieremiam olim lecta, sed a Iudaeis detracta fuisse, aut pro Zachariae nomine Ieremiam librariorum irrepsisse culpa. In quod postremum magis inclinat Hieron. ad Matt. 27 etsi in Hieremiae apocrypho quodam haec a Matthaeo citata se legisse referat. Quare videndum an in codice suo *ἐν τοῖς Προφήταις* habuerit Epiphanius, non Hieremiae vocabulum. Sed nonnulla aliter protulit quam apud Matthaeum aut Zachariam reperiuntur. Velut *εἰ δίκαιόν ἐστιν ὑμῶν*, pro quo LXX *εἰ καλόν ἐστιν ἐνώπιον ὑμῶν.*

καὶ πάλιν ἐν ἄλλῳ Προφήτῃ] Frustra alium hic Prophetam esse dicit, cum sit idem ille qui proxime citatus est, Zacharias, quod ad posteriora verba spectat. Nam priora illa *καὶ ἔδωκαν τὸ ἀργύριον τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου* ex Mat. desumpta apud Zachariam non extant. Postremo pro *ὑπὸ τῶν υἱῶν* LXX *ὑπέρ*, Hebr. מבני. Vulg. *a filiis.*

283 d. *τοῦ βουπρήστου καν θάρου*] Aelianus 6, 35. Plin. 30, 4. ***Buprestis animal est rarum in Italia, simillimum scarabaeo longipedi. Fallit inter herbas bovem maxime, unde***

et nomen invenit, devoratumque tacto felle ita inflammat ut rumpat.

AD HAERESIN XXXIX SETHIANORUM.

288 e. *πλατυνθέντων δὲ τῶν ἀνθρώπων*] Haec quidem Epiphanii sententia est, quam et Augustinus con. Faust. 22, 35 et Hieron. con. Helvid. tuentur, Abraami tempore nefas fuisse sorores ex altero parente ducere. Sed reclamant plerique, qui Saram Abraami sororem fuisse non dubitant, quod et Abraamus ipse Gen. 11 diserte profitetur. Imo vero et Davidis tempore fortasse licuit. Alioqui Thamar, Amnon fratri suo non diceret, ut se coniugem a parente postularet, Reg. 2, 13. Quanquam scio haec aliter accipi.

289 b. *ἔστι δὲ ἰδεῖν καὶ θαυμάσαι*] Haec de Daemonibus sententia a Iustino primum manavit, eamque postea Irenaeus amplexus est 5, 26. Vide Euseb. Histor. 4, 17. Quae tamen vulgo non probatur.

290 b. *τὰ δὲ νῦν συντόμως*] Deesse quippiam ad huius loci integritatem suspicor.

AD HAERESIN XL ARCHONTICORUM. 77

291 b. *Χεβρών*] Chebron Eleutheropolis vulgo esse creditur.

292 c. *εἰδέναι δὲ καθ' ἕκαστον*] Fort. *εἶναι*.

293 d. *ὡς τὸ τῶν κανθάρων γένος*] Non displicet Cornarii lectio, qui Pilularium legit. Nam *Βύλαρον* illud non expedio.

296 a. *τοῦ τε Ἰάβε*] Pro Iehova.

AD HAERESIN XLI CERDONIANORUM.

299 d. *συμβέβηκε γὰρ τούτους*] Irenaeus 2, 12 eundem Apologum Valentinianis accommodat.

300 a. *τοῦ ἕνα τὸν κλῆρον*] Certissima est emendatio nostra *ἑνατον* pro *ἕνα τόν*. Nonus enim Pontificum Romanorum ordine fuit Hyginus, si Cletum numeres. At Irenaeus Hyginum octavum Romae Episcopum nominat 3, 4. Sed haec alibi discussa.

300 b. *τήνδε διὰ Μωϋσέως*] Leg. *διαθήκην τὴν διὰ* etc.

301 c. *ὡσεὶ μέμυκος καὶ πεμφρηδόνος*] Quod insecti genus sit *μέμυξ* viderint eruditi. Suspicor leg. *βέμβυκος*, quod vocabulum cum pemphredone coniungit Nicander Alexiph. v. 183. *μέλισσαι πεμφρηδὼν, σφῆκές τε καὶ ἐκ βέμβικες ὄρειαι.* Vide Scholiasten. Qui *βέμβικα σφηκοειδὲς* quiddam esse dicit, *μέλαν κατὰ τὴν χροιὰν, κέντρῳ χρώμενον. ὡς οἱ σφῆκες.* Sed et *τὴν τενθρήνην*, sive *τενθρηδόνα*, a nonnullis *βέμβικα* vocari. Haec Stephanus in Thes.

AD HAERESIN XLII MARCIONISTARUM.

302 b. *οὗτος τὸ γένος*] Ponticus genere fuit Marcion, quem ideo *Ποντικὸν λύκον* vocat Eusebius Hist. 5, 13, hoc est *Ponticum lupum*. Male enim Interpres *Ponticum lycum*. Scripsit autem adversus nefandum hunc Haereticum 5 libros Tertull. Vide quae de eius tempore ad Haer. 46, 1 disputamus.

302 d. *ὡς οὐκ ἀπείληφε τὴν προεδρίαν τε*] *Προεδρίαν* ad communionem Clericorum refero, quae Laïcae opponitur, quae, ut ait Balsamo ad Can. 70 Basilii, dabatur Laicis *ἐκτὸς τοῦ βήματος*, illa vero *ἐντός*. Credibile est enim Marcionem Clericum fuisse.

304 a. *νηστείαν δὲ καὶ τὸ Σάββατον*] Leg. *κατὰ τὸ Σάβ*. Nam Sabbato ieiunari contra Orientalis Ecclesiae morem iubebat Marcio.

305 d. *οὐ κατακλείομεν ψυχάς*] Quod Ethnici certis ritibus faciebant. Hinc 3. Aeneid. *Animamque sepulcro condimus.*

AD SCHOLION EX EVANGELIO.

322 d. *ἐλεγ. α'. κἄν τε ἀποκόψῃς*] Aliud egit Epipha-
78 nius, cum vocem *δῶρον* mala fide a Marcione sublatam credidit. Neque enim apud Lucam, aut Marcum reperitur. Atque, ut opinor, loci alterius similitudine deceptus, qui est Mat. 5, 23. *Si offers munus tuum ad altare*, etc. *δώρου*, sive *muneris* vocem alteri quoque illi tribuit.

324 c. *Σχολ. η'*] Postrema verba *εἶχε γὰρ ὡς πρὸς Ἰωάννην*. Supra in locorum Indiculo cum Scholio 9 copulantur. Scripserat, nisi fallor, Marcio, *ὃς οὐ σκανδαλισθήσεται ἐν αὐτῷ.*

324 d. *Σχολ. ιβ'. ὅθεν λέγει, ὁ δὲ μικρότατος*] Quod minorem se Christus appellat in Regno coelorum, ad aetatem refert cum Epiphanio Chrys. *μικρότερος κατὰ τὴν ἡλικίαν καὶ κατὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν*, etc. Nec non et Beda, aliique complures.

326 a. *Μέλιτος καὶ Κριθηΐδος*] Ut se habent haec duo nomina, locorum, oppidorumve propria esse videntur. Sed desunt imprimis aliqua: tum *Μέλητος* legendum: ut Homeri parens uterque commemoretur, Meles et Critheis. Meles fluvius est, qui Smyrnam alluit, Homeri patriam. Strabo l. 14. Stephanus *Μελήτου κόλπου* meminit, *ὃς Σμυρναῖος ἐκαλεῖτο, ἀπὸ Μελίτου ποταμοῦ*. Quare *Μέλητος* etiam pro *Μέλης*. Herod. in Homeri vita Critheidem ait Homerum ex furtivo concubitu ad Meletem fluvium peperisse, ac propterea Melesigenem appellasse. Philostr. II. Iconum in Melete, Critheidem Meletis amore captam introducit, ab eoque Homerum genitum. Ubi Critheis non fontis ullius, ut Ortelius existimat, sed ipsiusmet Homeri matris nomen est. Vide Suidam.

326 b. *ἄλλοι δὲ Κύπριον προποδιάδος*] Haud scio an proprium sit oppidi nomen, an eum agrum significet, qui est *πρὸ ποδὸς* montis alicuius.

327 d. *Ἔλεγ. ις', τί δὲ τὸ ἐγερθῆναι;*] Cor. *ἐγερθέν*.

332 c. *Σχολ. κς'. πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐνδημίας*] Non parva hic hallucinatio est: Assamonaei filii, hoc est Macchabaei post Antiochum Epiphanem prodierunt. Qui coepit anno Graecorum 137. 1. Mac. 1 hoc est Per. Iul. 4538, annis ante vulgarem Christi natalem 175. Nisi forte Antiochum *τὸν μέγαν* intelligat, qui coepit Per. Iul. 4490. Sed Assamonaeorum traditio a Macchabaeis initium habuit. Quare infra Epiphanis initium coeperit necesse est.

335 c. *Σχολ. λε'. οὐ γὰρ ἡμεριναὶ γίνονται*] Apud Xenoph. tamen *ἡμεροσκόπος* est.

336 c. *Σχολ. λη'. ἀπὸ τῶν ἀρχαίων τὰ ἀντίγραφα*] Corr. *τῶν ἀρχείων*, ex Archivis. Ignatius Epist. 6 ad Philad. *ἤκουσα γάρ τινων λεγόντων ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τοῦ εὐαγγελίου, οὐ πιστεύω*.

341 c. *Σχολ. νς'. περὶ τῆς βάτου*] Apud Lucam leg. *ἐπὶ τῆς βάτου*.

343 d. Ἔλεγ. ξα'. οὐκ ἀθοσίωτος ἢ ἐν τῷ νόμῳ] Antequam Epiphanii locum hunc attingam, pauca de vi ac potestate vocabuli τῆς καθοσιώσεως dicenda sunt. Est igitur καθοσιῶσαι idem ac *consecrare, dicare.* Hinc καθοσίωσις *devotio*, et καθωσιωμένος *devotus, consecraneus.* Quare qui se Principi devovent, ac religione aliqua consecrant, καθωσιωμένοι dicebantur; ut milites. Capitolinus in Maximino: *Commilitones sacrati; imo vero consecranei.* Eiusmodi fuere Gallorum veterum *devoti, quos illi Soldurios appellabant;* ait Caesar lib. 1. Comment. hoc est καθωσιωμένοι; quod aptius mihi videtur quam quod Graecus interpres reddidit, συνωμόται: tametsi idem fere est, quia iusiurandum adigi solebant. Egregium τῆς
79 καθοσιώσεως exemplum refert Dio l. 53 ad annum Urbis 725. Ubi Sextum quendam Pacuvium, sive Apudium Trib. Plebis narrat semetipsum Augusto in Senatu devovisse, idemque ut alii Senatores facerent authorem fuisse: ἐν γὰρ τῷ συνεδρίῳ ἑαυτόν τε οἱ τὸν τῶν Ἰβήρων τρόπον καθωσίωσε, καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευε τοῦτο ποιῆσαι. Sed Augusto reclamante, Trib. Pl. prosiliens ad populum obvios quosque, ac caeteros deinde cives coegit καθιερῶσαι σφᾶς τῷ Λὺγούστῳ. ἀφ' οὗπερ καὶ νῦν προτρεπόμενοι τὸν κρατοῦντα, λέγειν εἰώθαμεν, ὅτι σοι καθωσιώμεθα. Hinc καθωσιωμένων appellatio ἐπιθετικῶς ex formula plerisque Imperialibus officiis ac ministris attributa; maxime, uti dictum est, militaribus. Augustinus l. 2 contra Epist. Parmen. *Neque ullo modo per devotum militem, quod a privatis usurpatum est, signum regale violabitur.* Protectores item Domestici in Cod. Theod. de Domesticis et Protect. devotissimi nominantur. In concilio Ephesino Parte 2 Act. 1. Candidianus vocatur Κόμης τῶν καθωσιωμένων Δομεστίκων: ut et in Chalced. Act. 1 et alibi saepe. Quin etiam in eodem Concilio Chalced. Act. 3. ἡ Σχολὴ τῶν καθωσιωμένων Μαγιστριανῶν. Item Veronicianus ibidem ὁ καθωσιωμένος Σηκρητάριος τοῦ θείου Κονσιστωρίου. At vero e contrario καθωσιωμένος in Concilio Sardic. Can. 17 idem est ac *condemnatus, exauthoratus,* ut Zonaras et Balsamo interpretantur. Quemadmodum *sacer* apud Latinos mediae significationis est. Quem ad Sardicensem Canonem fortasse Suidas respexit, dum καθοσίωσιν ait esse δικαίωσιν, κατάκρισιν, παρὰ τὸ

κατὰ τοῦ ὁσίου γίνεσθαι, ἤτοι τοῦ Βασιλέως. Sed in eo valde est hallucinatus. Nam et exempla duo profert, quae non intelligit. Quorum alterum ex Socrate depromptum est 5, 14. ἐπὶ Θεοδοσίου βασιλέως Ῥωμαίων Σύμμαχος ἀπὸ Ὑπάτων εἰς τὸν Τύραννον Μάξιμον βασιλικὸν λόγον διεξῆλθε, καὶ δεδιὼς τὸ τῆς καθοσιώσεως τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν σηκοῖς προσκαταφεύγει. Allerum nescio cuius scriptoris de Christo: τοῖς γὰρ γινομένοις (cor. νόμοις) αὐτὸν παρεδώκαμεν καὶ εἰς καθοσίωσιν οὐχ ἡμάρτομεν. Verum utrobique Καθοσίωσις maiestatis crimen significat. Gloss. Vetus, Καθοσίωσις, *Devotio, dicatio, maiestas.* Sic in Chalced. Conc. Act. 3 in libello Theodori Alexandrini adversus Dioscorum: τὰ γὰρ εἰς αὐτὴν τὴν καθοσίωσιν παρ' αὐτοῦ κατασκευασθέντα, τὰ πεπραγμένα ἐπὶ διαφόρων ἀρχόντων διδάξει τὴν ὑμετέραν ὁσιότητα. Idem et in libello Ischyrionis Diaconi: ὅτι γὰρ καὶ εἰς αὐτὴν τὴν καθοσίωσιν ἁμαρτῆσαι τὰ μέγιστα οὐ παρῃτήσατο. Interpres, *devotionem.* Melius omnino *maiestatem.* Theodoretus in Comment. in Danielem c. 6, ad haec verba com. 4. *Quaerebant occasionem, etc.* τουτέστι πάντα ἐπραγματεύοντο εἰς τοὺς τῆς βασιλείας νόμους πλημμελοῦντα αὐτὸν εὑρεῖν ἐφιέμενοι, αὐτοὶ τοῦ τὴν νῦν καλουμένην καθοσίωσιν πλέξαι αὐτῷ βουλόμενοι· ἀλλὰ διήμαρτον τοῦ σκοποῦ. Ita in Graecis nondum editis, quae suut penes R. P. Frontonem Ducaeum. Nam Latinus Interpres haec omisit. [Usus est in eadem significatione et καθοσιώσεως vocabulo Isidorus Pelusiota in Epist. 177 nondum edita, quam cum aliis plerisque habet Andreas Schottus noster. Ubi de Christianis loquitur, qui, cum Divinam legem profiteantur, huic tamen in perferendis iniuriis nequaquam obtemperant. κἄν τις αὐτοὺς ἐλέγχειν ἐπιχειροίη, λοιδορεῖσθαι φάσκουσιν, καὶ ὡς ἐπὶ καθοσιώσει ἁλόντα δίκας πράττουσι. Glossae Basilicon; τὸ περὶ καθοσιώσεως, τὸ περὶ προδοσίας, καὶ ἐπιβουλῆς βασιλέως. Ambrosius commode per *devotionis* nomen exprimit, lib. de Elia et Ieiunio c. 17: *Quid autem obtestationes potantium loqaar? Quid memorem sacramenta, quae violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, et qui non biberit, sit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius salute non biberit.* Ex Addendis p. 453.] Ergo καθοσίωσις

est *maiestas*, vel *crimen maiestatis*: ex eo scilicet, quod milites aliique sacramento se Principi obstringant ac devoveant. In quo alius Suidae error occurrit, qui apud Herodianum *καθοσιούμενος* interpretatur *πληροφορῶν*. Herodiani verba sunt, *ὁ δὲ ἀγανακτήσας ἐπὶ τῇ τῆς ἀρχῆς παραλύσει, τῷ τε Μαξιμίνῳ καθοσιούμενος, ἀθροίσας στρατὸν ἦγεν ἐπὶ τὴν Καρχηδόνα*. Quo in loco *καθοσιούμενος* est *devotus, obstrictus*. Praeterea *καθοσίωσις*, ut opinor, in legibus idem est ac sanctio: hoc est poenae constitutio. Iustinianus Instit. 2, 1. *Ideo autem muros sanctos dicimus, quia poena capitis constituta sit in eos, qui aliquid in muros deliquerint.* Ideo et legum eas partes, *quibus poenas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus*. Ex iis Epiphanius noster illustrari potest, apud quem pro *οὐκ ἀθοσιώτου* suspicamur legendum *εὐκαθοσιώτου*. Erit autem *εὐκαθοσίωτος νόμος*, cuius integra sanctio manet, quaeque poena etiamnum sancitur. Nisi forte aptius sit *οὐκ ἀκαθοσιώτου*, quod eundem sensum habet. Tametsi *ἀκαθοσίωτος* aliter usurpatur ab eodem Epiphanio in Catharorum Haer. 59, 3, ubi distringi gladium a Magistratibus ait *κατὰ γοήτων, καὶ βλασφήμων, καὶ ἀκαθοσιώτων*. Nam *ἀκαθοσιώτους* appellat maiestatis reos et Imperatoris obsequio minime devotos. Ut in actis Conciliabuli Ephesini, in Relatione ad Theodosium Imp. de Cyrillo Alexandrino: *πρῶτον, μὲν εἰς τὸ γαληνὸν καὶ εὐσεβὲς ἡμῶν παρηνόμησε θέσπισμα διὰ πάντων τὸ ἀκαθοσίωτον αὐτοῦ δεικνύς*. Tanti fuit raram illam vocabuli huius notionem extricare, ut in eo pluribus immorandum fuerit. Nam *καθοσίωσιν* illo sensu nullus, quod sciam, Lexicon et vocabulariorum concinnator exposuit.

344 b. *καὶ εἶπε τοῦτό ἐστι τάδε, καὶ τάδε*] Eadem cautione Sacramenti Eucharistici formam dissimulat, qua et huius et caeterorum vulgare plerique Patrum veriti sunt. Innocentius Epist. 1 ad Decent. de Confirmatione disputans: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere.*

τουτέστι μετὰ τὸ δειπνῆσαι] Nam *δείπνου γενομένου*, hoc est peracta coena, ut ait Ioan. c. 13, novae legis mysterium institutum est, non in ipsa coena. Ex quo illud apparet,

frustra hoc ex capite coenae appellatione Sacramentum illud Dominici corporis et sanguinis censeri. Nam Matthaeus et Marcus *ἐσθιόντων αὐτῶν* dixerunt praesenti usi pro praeterito: nisi, ut olim Scaliger arbitratus est, *ἐσθιόντων* Aoristus sit secundus.

344 d. *Σχολ. ξβ'. ἵνα δείξῃ Πάσχα*] Subobscurus hic locus est. Sed, ut mihi videtur, Pascha illud legitimum *προτυπούμενον* fuisse dicit, hoc est *εἰς τύπον*, ac figuram alterius adhibitum; cui successit *τὸ βέβαιον αὐτοῦ πάθους*, hoc est perenne ac perpetuum, quod passionis suae figuram et Sacramentum continet, sive malis, quod eandem ipsam Passionem affirmaret, eiusque fructum, usum, ac recordationem ratam faceret, et ad sempiternam memoriam propagaret.

347 a. *Ἔλεγ. ο'. ἐπιταγήν*] Cor. *ἐπιταγῇ*.

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS.

355 b. *Ἔλεγ. ε'. καὶ ιγ'. τυθέντος δὲ ἐν ἀληθ.*] Deesse nonnihil ad integritatem huius loci videtur.

360 c. *Ἔλεγ. η'. καὶ ιη'. εἰς δὲ τὸ μὴ ἅπαξ*] Vitium huius loci nemo non videt. Quod ego ex traiectione vocum irrepsisse suspicor. Vide igitur num ita conformari debeat, *εἰς δὲ τὸ μὴ ἅπαξ χαλεπῶς φέρειν, διὰ τὴν συνήθειαν, τοῦτο ποιεῖν ἕως καιροῦ εἰς ὄνομα αὐτοῦ ἠθέλησε, τοῦ ἀποστρέψαι ἀπὸ τῆς πολυθέου φαντασίας, καὶ τὰ κατ' ἔτος αὐτοῖς γινόμενα εἰς ἑαυτὸν μεταλλάξαι.*

καίτοι γε πολλῶν θυσιῶν τότε προσενεχθεισῶν] Toto illo spatio, quo in deserto Israelitae versati sunt, sacra quidem obtulisse Deo putat Epiphanius, sed quod ea per sese minime ipsi placerent, quodque ut ab Idololatria eos averteret potius, quam quod illis afficeretur, offerri sibi passus esset, ideo negare sibi haec oblata fuisse per Prophetam existimat. At Hie- 81
ron. comm. ad Amoz, scribit Israelitas toto illo, quo in deserto fuerunt, tempore, non Deo, sed Idolis immolasse. ***Et quod postea,*** inquit, ***quaedam Domino eos legimus obtulisse, non voluntate, sed poenarum fecerunt metu, et eorum interfectione, qui propter Idola corruerunt. Dominus autem non ea quae offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium.*** Cyrillus vero

ad c. 5 Amos ita statuit, Deum in illud duntaxat tempus celebranda praescripsisse sacrificia, quo promissam terram occuparent, sed illos nec postulante, nec curante Deo, in deserto nihilominus obtulisse.

360 d. *μεταλλεύσῃ*] For. *μεταλλάξῃ*.

362 b. *Ἔλεγ. ιγ' καὶ κά'. ἵνα τὸν Ἐπιμενίδην δείξῃ*] Mithrae Sacerdotem hunc fuisse scribit Epiphanius, quod apud Cretenses Idolum fuerit. Quod apud alium non memini legere, neque verum arbitror. De Proverbii illius origine *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται*, vide Photium N. 190 p. 249.

374 a. *προσέθετο δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ*] De Epistola ad Laodicenses accurate disputat Baron. A. 60.

AD HAERESIN XLIV APPELLEIANORUM.

380 c. De Apelle meminit inter alios Pacianus Epist. 1. Cuius et corrigendus locus, in quo Marcionitas Apollinariacos, Cataphrygas et Novatianos recenset. Leg. Appelleianos pro Apollinaricos.

380 d. *ἑαυτῷ*] Leg. *ἑαυτήν*.

AD HAERESIN XLV SEVERIANORUM.

390 a. *ἀλλὰ καὶ οἱ ἀπόστολοι*] Locus extat in c. 1 l. 1 Constit.

AD HAERESIN XLVI TATIANORUM.

391 a. *τῷ ἀπὸ Σαμαρειτῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκότι*] Scaliger ad Eusebii Chron. A. 2157. *Errat*, inquit, *Epiphanius, qui a Samaritis ad Christianos Iustinum transiisse scribit. Certe enim Samarites non erat, sed Samariensis: quanquam et Samarites domo, non religione dici potest.* Caussam affert, quod Samaritanorum religionem minime sit secutus, sed Graecorum superstitioni inhaeserit. Ideo non vere de eo dici potuit, *ἀπὸ Σαμαρειτῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκέναι*, sed *ἀφ' Ἑλλήνων*. Sed si *Σαμαρείτης* domo, non religione, dici potuit Iustinus, cur non *ἀπὸ Σαμαρειτῶν* credidisse dici potuerit, non video, hoc est e Samaritanorum populo ac civitate.

ἐπὶ Ῥωστικοῦ ἡγεμόνος καὶ Ἀδριανοῦ] Manifesta est hallucinatio et quidem duplex. Nam neque Adriano imperante mortuus est Iustinus, sed M. Aurelio et L. Vero, ut Eusebius asserit Eccles. Hist. 4, 15, et tricenario maior fuerit oportet, ut ex temporis ratione, quo Apologias pro Christianis edidit, constare potest. Quanquam difficile est statuere, quandonam illae, aut quo demum ordine scriptae sint. Eusebius Hist. l. 4 duas omnino scripsisse Iustinum refert: quarum priorem Anto- 82
nino Pio obtulit, ut c. 8 et 10 testatur. Ubi etiam Iustini verba quaedam ex ea, quae secunda numeratur, Apologia citat: in quibus de Antinoo, Marcione ac Iudaico bello mentionem fecit: et quod caput est, huius etiam initium subiicit c. 11. At vero c. 15 sive 16 alteram Apologiam sub M. Aurelio et L. Vero scriptam affirmat: κατὰ τούσδε καὶ ὁ μικρῷ πρόσθεν ἡμῖν δηλωθεὶς Ἰουστῖνος δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδοὺς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσι, θείῳ κατακοσμεῖται μαρτυρίῳ. Sub Aurelio igitur et Vero, quos c. 13 sive 14, Antonino Pio successisse significaverat, secundam Apologiam obtulit et passus est Iustinus. Eusebio assentitur Hieron. in Script. Eccles. et Photius. Hodie Iustini duae extant Apologiae. Harum prior ad Senatum inscribitur. Posterior eundem praefert titulum, quem primae Apologiae Eusebius attribuit: nempe Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ, Σεβαστῷ Καίσαρι, καὶ Οὐηρισσίμῳ υἱῷ φιλοσόφῳ, καὶ Λουκίῳ φιλοσόφῳ Καίσαρος φύσει υἱῷ, καὶ Εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ. Neutra harum soli Antonino est inscripta. Porro quae posteriore loco censetur, ea prima ex duabus oblatis a Iustino videri non immerito potest. Primum quia priorem ex Eusebii, Hieronymi et Photii authoritate Antonino Pio, posteriorem post eius mortem Aurelio ac Vero Impp. exhibuit. Deinde quoniam Eusebius c. 15 verba quaedam ex posteriore Apologia commemorat, quibus mortem sibi a Crescente Cynico impendere dixit, quae quidem in ea leguntur, quae hodie primo loco ponitur. Praeterea quae secunda vulgo nominatur, ineunte Antonini imperio scripta videtur, ac subinde post Adriani mortem. Quippe Antinoi velut recens consecrati in illa meminit, τοῦ νῦν γεγενημένου. Item Iudaici belli, quod perinde νῦν γεγενημένον appellat, cuius belli ac defectionis author fuit Bar-

chochebas. Ad haec inscriptio ipsa, quam paulo ante protulimus, idipsum suadere potest. Nam Aurelium, quem Verissimum appellat, nondum Caesarem vocat, cum tamen Lucii Veri patrem, qui ab Adriano primum adoptatus fuerat, eo nomine insigniat. Atqui post Adriani mortem Aurelius Caesaris nomen obtinuit. Quocirca statim post Adriani necem paulo antequam Caesar appellaretur Aurelius, priorem Apologiam (quae perperam secundo loco ponitur) habuisse videtur. Apparet insuper *Verissimi* nomen etiam post virilem togam penes Marcum Aurelium resedisse, tametsi Capitolinus antequam virilem togam sumeret, Verissimum; ea usurpata, Annium Verum deinceps nominatum esse scripserit. *Virilem autem togam sumpsit quintodecimo aetatis anno*, ut idem testatur. Quod superstite adhuc Adriano factum. Siquidem mortuus est Adrianus Camerino et Nigro Coss. VI. Eid. Iul. anno urbis 891. Marcus vero natus est Vero et Augure Coss. anno 874. Igitur annum agebat 18 cum Adrianus excessit. Quae de Apologiae utriusque tempore atque ordine diximus, dubia non erant, nisi quaedam ex Eusebio et aliis intervenirent, quae negotii aliquantum facerent. Ac primum Eusebius c. 16 sive 17 Christianae mulieris historiam quandam ex priore Iustini Apologia recenset, quae in prima hodierna continetur. Deinde idem ipse Iustinus Apol. 2 ante annos 150, ab eo anno, quo Defensionem istam scribebat, Christum esse na-
83 tum memorat. Cum ergo 138 Christi anno Antonius Pius inierit, Coss. Camerino, ac Nigro, consequens est anno Antonini 13, hanc quae secunda numeratur, quaeque a nobis prior constituitur, Apologiam esse scriptam. Praeterea Marcionis Haeretici duobus in locis meminit. Hunc autem sub Antonino Pio, post annos ab obitu Christi 116 fere emersisse Tertullianus confirmat con. Mar. 1, 19. Non potuit igitur primo Antonini Imperat. anno Defensio illa ab Iustino esse scripta. Sed ut ex iis tricis utcunque se veritas explicet, mihi admodum probabile videtur, nisi plures duabus pro Christianis Apologias Iustinus ediderit, omnino primam esse quae vulgo secunda numeratur; adeoque sub initium Antonini Imperat. scriptam fuisse, quod ex iis argumentis coniicimus, quae sunt antea proposita. Atqui 150 annos a Christi ortu ad illud tempus elapsi numerantur. Ita quidem Iustinus, sed cum paulo fortasse plus 140 annis fluxis-

sent, rotundo, ut assolet, numero ante annos 150 dixit. De Eusebio expedita res erit, si aut ipsius, aut librarii culpa τῇ δευτέρᾳ pro τῇ προτέρᾳ irrepsisse dicamus. Nam perspicue τὴν δευτέραν illam esse significat, quam nos primam facimus, primam autem, quae nobis est secunda. Postremum, atque omnium difficillimum est, quod de Marcione nobis obiicitur. Quem, ut consentanea loquamur, affirmandum est non Antonino demum imperante, sed sub Adriano coepisse. Atque haud scio an duo illius distinguenda sint tempora, ut in plerisque Haeresibus accidit, ita ut sub Adriano primum eruperit, postea vero sub Antonino longe lateque propagatis erroribus celebre sibi nomen pepererit. Ac Tertullianus profecto etsi sub Antonino Marcionem errorem exhalasse scribat, negat tamen scire se quoto eius anno coeperit. *Quoto quidem anno,* inquit, *Antonini maioris de Ponto suo exhalaverit aura canicularis, non curavi investigare.* Epiphanius in Marcionitarum Haeresi scribit Marcionem cum a patre suo pulsus pacem ac veniam eblandiri nullis precibus posset, Romam se post Hygini obitum contulisse. Cumque nihilo magis quod cupiebat illic obtineret, tum demum publicata Haeresi sua Ecclesiam oppugnasse. Hygini obitus confertur in annum Antonini 18; ante quod tempus Marcionem Haeresim suam disseminasse necesse est, cum Iustinus, qui Antonino et quidem imperii eius initio, Apologiam obtulit, Marcionis meminerit. Quare duplex, uti coniiciebamus, Marcionistarum ortus esse debet. Nam primum in Ponto et Asia duntaxat nefarium dogma praedicavit, idque Adriano imperante. Postea sub Antonino maiores trahens spiritus vehementius in eosdem illos errores coepit incumbere. Hygino vero demum mortuo primitus dogma Cerdonis interpolasse Marcionem nullo modo censeo. Haec de Iustini ac Marcionis temporibus habui quae dicerem. Dicent alii fortasse meliora. Nam nostris illis non adeo confidimus, ut non afferri certiora posse speremus.

391 c. ὡς περὶ τὸ δωδέκατον ἔτος] Consentaneus error est ei, quem paulo antea refutavimus, sub Adriano passum esse Iustinum. Quod cum falsum sit, perinde falsum est sub Antonino Pio, videlicet post Iustini obitum, scholam erroris aperuisse Tatianum, quod sub Marco Aurelio facere potuit.

394 b. ἔνεκεν δὲ σφαλμάτων ἐν ᾗδῃ] Notanda Epiphanii

sententia: veteres Patres ante Christum, qui salva fide peccaverant, propterea apud inferos detentos esse, donec a Christo liberarentur.

84 *διὸ καὶ θαυμάσαι ἐστὶ τὸν εἰδότα*] Tritam de Golgothae sive Calvariae appellatione sententiam sequitur, ut ab Adami sepulto cadavere ac cranio deducta sit. At Cyrillus Catech. 13 Prophetice sic a Christo nominatum existimat hunc locum, quod, ut ait Apostolus, caput viri sit Christus, Christi autem Deus.

AD HAERESIN XLVII ENCRATITARUM.

399 b. *ἐν τῇ Φρυγίᾳ τῇ κεκαυμένῃ*] Ea est apud Strabonem l. 13 Lydorum Mysorumque regio ad Maeandrum. At Stephanus *κατακεκαυμένην χώραν* ait esse *τῆς Ἐφεσίας* ex Strabonis l. 13. Caeteri Phrygiam esse censent. Invenio et Laodiceam cognomento *κατακεκαυμένην* in Lycaonia, sive Galatia, haud procul ab Isauria.

401 b. *δι' ἐψέματος πυροῦ*] Mirum est quid sibi voluerit Epiphanius, aut quid in animo habuerit, cum haec scriberet, *ἐψέματος πυροῦ* idem esse ac *ferventis* aut *recoctae sorbitionis*. Nam quod *πυροῦ* frumentaceam primo loco interpretatur, est illa quidem tolerabilior, sed contra Hebraeorum Graecorumque codieum fidem usurpata lectio. Etenim LXX cum Hebraeo consentientes *πυῤῥοῦ*, hoc est *ruffa*, scripserunt, non *πυροῦ*. Quaenam vero Grammatica ratio *πυροῦ* pro *πυρωθέντος* dici patiatur, quasi genitivus sit a nomine *πυρόεις πυροῦς*? quod minime procedit.

AD HAERESIN XLVIII PHRYGUM, SIVE MONTANI.

402 b. *κατὰ φρυγαστῶν*] Phryges sive Phrygastae proprie dicti, quod e Phrygia primum prodierint. Iidem tamen nonnunquam Cataphryges et Cataphrygae, quasi Evangelium esset, vel dogma *κατὰ Φρύγας*.

402 c. *οὗτοι γὰρ γεγόνασι περὶ τὸ ἐννεακαιδέκατον*] Consentanea sunt quae de huius Haeresis exitu ac tempore disserit, cum iis, quae supra docuit, nimirum Iustinum Adriani tempore mortuum esse, secundum quem paulo post Tatianus

prodierit, a quo Encratitae originem acceperint sub Antonino Pio, quo eodem imperante, atque anno illius 19 Montanus extiterit. Sed cum ex iis, quae paulo ante disputata sunt, constet Iustinum nonnisi sub Marco Aurelio passum esse, Tatianum vero aliquanto etiam postea Haeresim suam condidisse, manifesta hic est temporum perturbatio. Quod ad Cataphrygas spectat, Eusebius in Chron. anno M. Aurelii 11 scribit Cataphrygum Haeresim authore Montano et Priscilla ac Maximilla exordium habuisse. Tum anno sequente Encratitas Tatiano duce prodiisse. Quae si vera sunt, Tatiani et Encratitarum Haeresi priorem oportet esse Cataphrygum Haeresim, contra institutum ab Epi- 85
phanio ordinem, ac sub Aurelio duntaxat Imperatore extitisse.

404 a. *ἔτη γάρ εἰσιν ἔκτοτε*] Vitium in numeris est. Annus Antonini 19 congruit anno Christi 156: annus vero Valentiniani 12 convenit Christi 375. Discrimen est annorum 220. Itaque pro *διακόσια ἐννενήκοντα*, scribendum fuit *διακόσια εἴκοσι*.

405 b. *γινώσκων γὰρ τὴν δι' ἀπειλήν*] De hoc divinitus edito Prophetae mandato consule quae a Sacrorum librorum Interpretibus uberrime disputantur.

409 a. *ὡς ὁ Μωυσῆς φησίν*] Quod tanquam a Mose dictum Paulus ad Hebr. c. 12 commemorat, neque tamen in vetere Instrumento legitur. Pleraque enim, ut observat Hieronymus, in hac Epistola quasi de vetere Testamento proferuntur, quae in illo minime reperiuntur.

410 a. *ἡ δὲ ἁγία ἐκκλησία*] Totum hoc caput insignem habet usum ad Catholicum dogma ab Haereticorum invidia ac calumnia vindicandum, qui ut modum nullum ac moderationem retinent, cum ab Ecclesia commendari quidem nuptias, sed virginitatem continentiamque praeferri vident, exclamant illico, et in conventiculis suis apud imperitos perfidiose ac stolide vociferantur, damnari a Catholicis nuptias, ac ciborum usu penitus interdici.

416 b. *ἵνα δὲ μηδὲν καταλείψωμεν*] Theodoretus Ascodrutas, vel Ascodrupitas, sive Tascodrupitas appellat, qui illorum dogmata pluribus exequitur. Philastrius vero Ascodrogitas a Passalorynchitis secernit.

τασκὸς παρ' αὐτοῖς πάσσαλος] Drungus vox est a recen-

tioribus Graecis perinde ac Latinis usurpata, quam a Graeca ῥύγχος detortam innuit Epiphanius. Veget. 3, 16 et 19 *globos* appellat, quemadmodum et cuneos *caput porcinum*.

AD HAERESIN L TESSARESCAEDECATITARUM.

419 c. Quartadecimanorum sive *Τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν* Haeresis ea proprie dicitur, quae Iudaico more Pascha Luna 14 celebrandum asserit, quamcumque demum in feriam incidat, quae fuit Asiaticorum opinio, qui Ioannis authoritate freti pertinaciter ritum illum consuetudinemque tenuerunt. De quo Eusebius Hist. 5. Addit Augustinus l. de Haeres. eosdem illos 14 Luna Martii mensis Pascha fixisse. Ubi Martium non Iulianum, sed Lunarem intelligi necesse est, cum plerique Paschales menses etiam Iudaici in Aprilem inciderent. Nisi forte in ea quidam opinione fuerint, ut Martio mense perpetuo celebrandum putarent. Scribit enim Philastrius Quartadecimanos Pascha mense Martio celebrandum asserere. Atque haec *τῶν τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν* vera est et germana notio. Sed et alia fuit eodem vocabulo comprehensa depravatorum istorum factio, quae mira quadam abusione Quartadecimanorum nomen meruit. Nonnulli quippe celebrando Paschati certum in anno Iuliano diem statuerunt, velut VIII Kal. aut 15, aut 10, de quibus paulo post agendum erit, quos omnes Epiphanius ad Quartadecimanos aggregavit. Tertia *τῆς τοῦ Πάσχα διαστροφῆς* ratio, atque Hae-
86 resis, ut a prioribus diversa, sic Quartadecimanorum appellationem iustius quam posterior haec obtinebit, quae cum universam olim ecclesiam, tum praecipue Occidentalem exercuit. Hanc qui secuti sunt, Pascha illi quidem Dominico die celebrabant, sed si 14 Luna in eum diem incideret, non ex praescripto Nicaenae Synodi in 21 diem differebant, sed in termino ipso festum obibant. Quod in Gallia quondam, Hispania, ac praesertim Britannia plerosque tenuisse testantur Bedae, Sigeberti, ac caeterorum scripta. Vide imprimis Bedam Eccl. Hist. 2, 3 et 5, 16. Tum quae ad Nicephorum ante paucos annos adnotavimus. Postremus de celebritate Paschatis error Latinorum fuit, qui cum in caeteris Nicaenum Canonem et Catholicam regulam observarent, Iudaico tamen ritu citimum terminum antevertentes primi

mensis neomeniam 5 Martii constituebant, ac duos annos communes habebant, quos reliqui Embolismicos, nimirum Cyclo 8 ac 19. Adversus quos, eorumque signiferum Victorinum disputat Beda non uno in loco. Atque etsi Luna 14 nonnunquam isti Pascha Dominico die celebrarent, nunquam tamen ante Aequinoctium, quod Iudaei factitabant, ut alibi dicetur. [Sed haec 453
quae de Latinis obiter iniecta sunt, nimirum eos nonnunquam Pascha decima quarta Luna peregisse, cautione ac distinctione opus habent. Duplex enim Latinorum, vel eorum secta fuit, qui cum Dominico die Pascha conficerent, a Catholicis nihilominus discrepabant. Nam alii 14 Luna, si in Dominicum incideret, celebritati vacabant. Alii nonnisi decima sexta Luna, quos proprie Latinos Beda et Victorius appellant. Quorum doctrina breviter hoc loco declaranda videtur. Latinorum igitur ritus in quibusdam cum Alexandrinis conveniebat, in aliis vero differebat. Congruebat, quatenus non alio die quam Dominico Pascha celebrabant, tum quod nunquam Luna 14, quantumvis Dominicus in eam dies incurreret. Differebat vero primum, quoniam illorum Paschales Neomeniae ac decimae quartae Nicaenas antevertebant, in Cyclis duobus; nempe 19 et 8, qui Alexandrinis embolimaei fuerunt, Latinis communes. Respondebant enim cyclis Latinorum 16 et 5. Latinorum Nisan Cyclo Nicaeno 19, quinto Martii mensis initium habuit: Cyclo autem octavo Nicaeno, Latinorum quinto, Nisan Martii 6 congruebat, qui dies extra Paschalem Alexandrinorum terminum consistunt. Propterea in annis illis Latini uno mense Pascha Nicaenum anticipabant. Igitur Neomeniae Paschales Latinorum a 5. Martii ad 2. Aprilis novem et viginti diebus extendebantur. Decimae quartae Pa- 454
schales a 18 Martii die coeptae ad 15 Aprilis perductae sunt, diebus totidem, hoc est 29. Dominicae denique Paschales a 21 Martii ad 24 Aprilis, diebus 35 decurrerunt. Atque hoc imprimis Latini cavebant, ne ante Lunam 16, Pascha; ante 14, Passionem Dominicam indicerent. Quare si 14 Luna in Sabbatum caderet, non postridie, Luna 15, sed octavo post die Luna 22 celebrabant. Quae omnia ex Victorii Prologo constant: cuius fragmenta apud Bedam extant, Lib. de Temp. rat. c. 49. Integrum autem cum eiusdem Fastis habet Manuscriptus codex, qui est penes R. P. Sirmondum. Sed est alia praeterea cautio, cu-

ius admonet Victorius (*Victorius* enim, non *Victorinus* in vetustissimo illo codice nominatur, quemadmodum et apud Bedam) Nimirum quoties Cyclo 19 Nicaeno, Luna decima quarta in Martii 18 incidit, feria 6, quod accidit in anno non bisextili, quando Luna 27 Sabbato in Kalend. Ian. incurrit, ut Victorius observat. Tum enim Pascha non, ut postulabat methodus, Martii vicesimo, Luna 16 celebratum, sed in sequentem mensem dilatum, cuius neomenia in Aprilis 3 competit; Pascha vero in 24, Luna 22, quae Alexandrinorum erat 21. Nam aureus numerus Nicaenus 19 quarto Apr. affixus fuit; Latinorum vero 16 ei respondens Aprilis tertio. Haec sola diffundendi Paschatis, et in secundum mensem traiiciendi caussa commemoratur a Victorio, quando decima quarta contingit Martii 18, feria 6. Cum autem Nicaeno Cyclo 8, Latinorum 5, decima quarta in diem Martii 19 caderet, feria 6, Dominica vero Martii 21, ipso civilis Aequinoctii die Pascha suum Latini peregisse vero videntur. Nam legitimi mensis nullam tum ἀντιμεταβολὴν factam indicat Victorius. Alioqui si in Aprilem reiicerent, cum cyclus Latinorum 5 Aprilis quarto sit adscriptus, decima quarta concurret cum decimo septimo die, feria 7. Ideo transferendum foret Pascha in Lunam 22, hoc est Apr. 25. Quod quidem devitasse Latinos Victorii verba demonstrant. Nam remotissimum illorum Pascha constituit Aprilis 24, Cyclo Nicaeno 19, quando litera Dominic. est B. De octavo vero cyclo Nicaeno penitus tacuit. Unde colligas Latinos nonnunquam in Aequinoctio ipso Pascha peregisse. Cum haec ita sese habuerint, ut ex Victorii Prologo manifestum est, Paulus tamen Forosemproniensis lib. 5 Partis 1. Latinos affirmat Paschales Dominicas diebus triginta circunscripsisse, nempe a 22 Martii ad 20 Aprilis, qui limites in Concilio Caesarieusi definiti leguntur apud Bedam in Appendice ad libellum de Aequinoctio, quae in Sirmondiano codice Philippum, uti diximus, authorem praeferebat. Quare nonnunquam Latinos idem Paulus existimat, ne praescriptos illos terminos exciderent, Pascha Luna 14 celebrasse. Quod cum ad eosdem illos Latinos referat, quorum e grege Victorius extitit (Hos enim ipsos refert Paschalem Dominicam a Luna 16 ad 22 extendisse) perspicua est hallucinatio. Falsum est enim, Paschalem Victorii mensem diebus 30 comprehensum fuisse. Imprimis, quod, ut

paulo ante demonstratum est, citimum illorum Pascha in ipsum Aequinoctii diem inciderit, Cyclo 8 Nicaeno; quoties Luna 14 455
Martii 19, feria 6 contigerat. Rursus Cyclo Latinorum 8, Nicaeno 11, neomenia Paschalis Alexandrinorum pariter ac Latinorum convenit Aprilis 2. Fingamus ergo literam Dominic. eodem anno fuisse A; decima quarta Paschalis incidet in Apr. 14, feria 7. Quocirca Nicaenum Pascha celebratum est Apr. 16, Luna decima quinta: Latini vero ex Victorii regula in Lunam 22, hoc est 23 Aprilis distulerunt. Igitur a 21 Martii ad 23 Aprilis legitimum atque ordinarium Latinis Pascha, 34 diebus extenditur. Praeter ordinem vero, praeterque legem in 25 Aprilis summovetur, cum cyclo 19, decima quarta Paschalis in Martii 18 incurrit, feria 6, ut antea declaratum est. Ita tricesimus quintus dies Paschalibus Latinorum terminis arrogatur. Nec minus redarguitur, quod idem Paulus asseverat, Latinorum factionem istam Luna 14 Pascha peregisse; veluti anno Christi 387, quo insignis de Paschate controversia inter Catholicos agitata, quam Ambrosius in luculenta illa Epistola disceptat, quam super ea re scripsit ad Episcopos Aemiliae. In illo igitur anno Latinos Paulus Forosempron. existimat Pascha Apr. 18 celebrasse in ipso termino, quo suum Pascha intra praestitutos a Caesariensi Concilio limites continerent. In quo, ut opinor, aberrat, ac tam ex ipsomet Ambrosio, quam ex Victoriana regula castigandus est. Ambrosius enim scribit Iudaeos anno illo Pascha duodecimo mense, XIII Kalend. April. hoc est Martii 20 celebrasse. Quippe tam Iudaeis, quam Latinis communis annus ille fuit, Cyclo Nicaeno 8; illorum vero 5. Cyclus erat Solis 4, litera C. Neomenia Latinorum iniit Martii 6: decima quarta proinde Martii 19, feria 6. Igitur Pascha ex Victorii praescripto incidit in Martii 21, Luna 16. Uno die Latinorum Neomenia Iudaicam antevertit; si quidem Paschatis Iudaici nomine, decimam quartam Lunam Ambrosius intellexit, non primam Azymorum. Nam Pascha celebratum esse narrat Martii 20, cum Latinorum decima quarta decimo nono convenerit. Idem et de reliquis exemplis, quae Paulus commemorat, debet esse iudicium. Nunquam enim Latini illi, quorum e secta Victorius fuit, Pascha suum in terminum coniecerunt. Proinde segregandi ab aliis erunt: uti duo Latinorum genera, vel eorumdem duo ac

diversa fuerint instituta, variis usurpata temporibus. Nam alii Pascha ex Caesariensium formula a die Martii 22 ad April. 21 celebrabant, diebus 31, qui est primus novorum mensis, sive *Κοιών*. Iidem saepenumero in ipso termino, quoties cum Dominica concurrebat, Pascha suum agitabant. Cuius rei nonnulla cum apud Scriptores alios, tum vero Gregorium Turonensem et Sigebertum exempla leguntur. Aliud Latinorum genus extitit, quod non Christiani solum Paschatis et *ἀναστασίμου*, verum etiam Iudaici et *σταυρωσίμιον* rationem haberet. Nunquam enim ante 14 Lunam Passionem Dominicam celebrare consueverant, *eligentes potius* (ait Victorius) *in Luna* 22 *diem festi Paschalis extendere, quam Dominicam Passionem Luna* 14 *ullatenus inchoari*. Unde illi *τεσσαρεσκαιδεκατῖται* nova quadam ratione appellari possunt, non quod Christianum Pascha Luna 14 peragerent unquam, sed quod in eadem *σταυρώσιμον*, quod et Iudaicum fuit, obeundum putarent. Haec de Latinorum Cyclo, rituque Paschali, quod et Quartadecimanorum
456 appendix quaedam esset, et non satis explorata illorum mysteria fuisse viris etiam eruditis animadverterim. Qua de re uberior alias instituenda disputatio. Eiusdem porro Victorii regulae, ac methodi insigne occurrit exemplum apud Gregor. Turon. lib. 10 Hist. c. 23: ubi anno 15 Childeberti, Paschalem controversiam exortam esse refert ob hoc, quod Victor (Victorium Aquitanum intelligit) cum Luna 15 Pascha fieri (ab Alexandrinis videlicet) scripsisset; ne Christiani eadem qua Iudaei Luna Pascha peragerent, addidit, Latini autem Luna 22. *Ob hoc*, inquit, *multi in Galliis* 15 *Luna Pascha celebrarunt. Nos autem* 22. De hoc Gregorii loco vide omnino quae ad Nicephori Breviarium adnotavimus. Est enim illustris. Ubi nos annum ostendimus non esse Christi 588, ut Scaliger putabat. Hoc enim anno Latini ex Victorii regula Pascha celebrarunt Martii 21, Luna 16, non 22. Cum Luna 14 in feriam 5 inciderit Martii 8. Quare alius annus quaerendus est, qui quidem videtur esse Christi 590, Cyclo Nicaeno 2, Solis 11, litera Domin. A. Neomenia Paschalis Latinorum et Alexandrinorum Martii 12: decima quarta, Martii 25, feria 7. Ob id Alexandrini Martii 26, Luna 15 Pascha Nicaenum obierunt. Latini, ne 13 Luna Passionis Dominicae solenne celebrarent,

in Lunam 22, hoc est Aprilis secundum diem diffuderunt. Consentit et character ille, quem Gregorius adiungit: nempe terrae motum accidisse XVIII Kal. mensis quinti, hoc est Iunii 14, feria 4. Hoc omnino anno Christi 590 convenit. Quocirca Childeberti primus iniit anno Christi 575, natali Christi die. Quod et R. P. Sirmondus certis rationibus compertum sibi esse confirmat. Quanquam Solis Eclipsim eodem illo anno ac mense quinto mediante contigisse narrat Gregorius. Quae Iunio *μεσοῦντι*, anno isto competere non potuit, Cyclo Nicaeno 2, qui Iunii 8 est adscriptus. Sed haec suo loco accuratius viderimus. Ex addendis p. 453—456.] Fuerunt et alii Quarta- 86
decimanorum errores. Nam inter alia cum Novatianis lapsos repudiarunt, ut refert Theodoretus, quod de solis Asiaticis asserit Socrates 5, 21, ubi de ritu celebrandi Paschatis, deque Asiaticorum ac Romanorum dissidio pluribus disserit.

419 d. *ὅτι ἐπικατάρατος ὃς οὐ ποιήσει*] Haud scio an locus iste sic expressus uspiam legatur.

420 a. *ἕτεροι δὲ ἐξ αὐτῶν*] Quantum ex iis verbis colligitur, non solum fixo ac constanti die, hoc est VIII Kal. Mart. Pascha peragebant, verum etiam eo ipso die ieiunabant, contra veterem Ecclesiae ritum, quae in ipso festo ieiunium dissolvebat, ut ex Epistola Dionysii Alexandrini constat. Sed obscura sunt quae deinceps Epiphanius disserit, neque Tessarescaedecatitarum opinionem satis assequi possumus. Cum enim scribit: *καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ βούλονται ἄγειν τὸ Πάσχα, ὁποίᾳ δ' ἂν ἐμπέσῃ ἡ τεσσαρεσκαιδεκάτη τῆς σελήνης*, hoc affirmare videtur, Haereticos illos certo ac fixo die, nimirum VIII Kal. Apr. solenne Paschatis adstrinxisse, securos lunae 14. Cui tamen quae sequuntur nonnihil repugnant. Subiicit enim Cappadoces eandem diem VIII Kal. Apr. celebrare, quod a priorum instituto nihil discrepat, et tamen posterius hoc tanquam diversum ac dispar attulit. Quamobrem videndum ecquid priores illi, qui ex Actis Pilati certum se diem explorasse dicerent, 14 Lunam observaverint, adeo quidem ut haec de VIII Kal. interposita mentio nihil in 14 Lunae ratione mutatum significet, sed supervacaneam *ἀκριβολογίαν* contineat. Fieri etiam potest ut 14 Lunam eam ad Paschatis celebritatem delegerint, quae VIII Kal. Apr. vicinior esset, at Cappadoces illam ipsam in Iuliano

anno defixam diem VIII Kal. Apr. Sed de Tessarescaedecatitarum ex Actis Pilati opinione illa disserens Scaliger 2 de Emendat. Temp. *Perperam*, inquit, *scribit Epiphanius, τεσσαρεσκαιδεκατίτας gloriari solitos se compertum habere ex Actis Pilati, Christum passum fuisse VIII Kal. Apr.* Quibus ista postremo subiicit, *Eiusmodi plura extant apud illum eruditum Patrem et alios veteres, praesertim Eusebium, quae sane cum delectu sunt legenda.* Quid est ista Epiphanii reprehensione vel iniquius, vel ineptius? Itane quotquot Haereticorum falsa dogmata opinionesque commemorantur, eorum omnium veritas ab illo praestanda fuerit, qui nihil nisi retulerit? Sed cuiusmodi illa sit de Passione Domini in VIII Kal. conveniente Tessarescaedecatitarum ratio, postea disputabitur. Quae vero adversus illam affert Scaliger levia sunt, imo nulla. *Neomenia*, inquit, *Nisan incidit in* 12 *Martii, quoties* 25 *Martii est* 14 *Nisan. Atqui aevo illo hoc non potuit contingere, nisi Cyclo* 13. *Idque in anno Hagarenò, in annis* 19, 38, 57 *Periodi. Atqui tunc Iudaeorum neomeniae uno die tardiores erant propter proemptosin. Non igitur potuit accidere.* In quo illud sumit, Iudaeos Calippicam anni formam, hoc est Syromacedonum, sive Alexandream tunc temporis usurpasse, quae cum 300 fere annis Hagarenam Periodum antecedat, *προοήγησιν* Hipparcheam habet unius diei. Unde tardior est Neomenia Iudaica quam Hagarena. Nam huius Periodus sub initium Iulianae formae contexta est, cum Novilunium in Martii 13 incideret, quod in Calippica Iudaicaque Periodo in 14 conveniebat. Qua ratione Cyclo 13 Martii 25 Luna fuit 13, Hagarenis vero 14. Verum Iudaeos Calippica anni descriptione usos esse, quo Scaligeriana omnis illa doctrina nititur, si quis negaverit, progredi ultra non poterit. Ac nos ad sequentem Haeresim Cyclum alium Iudaicum explicabimus, in quo biduo nonnunquam et eo amplius anticipatae sint Neomeniae, ut nihil hac quidem ratione Scaligeri argumenta promoveant. Sed ea res suo loco tractabitur. Neque vero minor Calviniani alterius est vanitas, qui Epiph. credulitatis insimulat ex eo, quod variis in locis Pilati Acta laudet, neque tamen in falsi suspitionem adducat. Quod ne refutationem quidem meretur. 87

καὶ ἐν αὐτοῖς δὲ στάσις] Haec verba *τῶν μὲν λεγόν-*

των etc. aliena ab hoc loco videri possunt. Nam priorum illorum sententiam continent, qui 14 Luna celebrandum Pascha sciverant. Quanquam saepe otiosa eiusmodi repetitio apud hunc scriptorem animadvertitur. Sed quid ea tandem sibi vult? Statuisse illos Pascha 14 Luna, quae in VIII Kal. Apr. incurrat? Est illud quidem nimis absurdum, quasi ad eum diem Lunae 14 dies possit adhaerescere. Quid si *πρὸ τῶν ὀκτὼ* Kal. legas non *τῶν πρὸ ὀκτώ*? Nam *αἱ πρὸ ὀκτὼ* Kal. idem sunt atque *αἱ ὀκτὼ* Kal. Quae loquendi formula a Latinis manavit, quibus Ante Diem VIII Kal. idem est atque VIII Kal. At si *πρὸ τῶν ὀκτὼ* legas, hunc habet sensum, Lunam illos 14 constituisse, quae ante VIII Kal. incideret. Nisi forte 14 Lunam *τῶν πρὸ ὀκτὼ καλ.* vocet eam, quae huic termino propinquior est, quod verum puto, si quidem et haec loquendi formula, quam pro recepta excusaque substitui posse diximus, *πρὸ τῶν ὀκτὼ* pro eodem interdum solet usurpari atque altera *τῶν πρὸ ὀκτώ*.

421 a. *ἐὰν πρὸς ἑσπέραν*] Vide Animad. nostras ad Haer. 70, 11.

421 c. *πανταχόθεν δὲ ἡ ἁγία*] Quae ad hunc locum adnotanda erant, ea ad Haer. 70 quae est Audian. differemus, ubi plura ad hoc institutum Epiph. disputat.

422 a. *τὸ ἐμφύσημα τοῦ βέωνος*] Vox ista *βέων* nusquam a me lecta. Atque haud scio an *βούφωνος* Latino vocabulo scripserit Epiphanius.

AD HAERESIN LI ALOGORUM.

422 b. *ἡ τοῦ λίθου τοῦ Γαγάτου*] Eadem fere serpentum *ἀλεξητήρια* cecinit Nicander. De Gagate porro 88

Ἄλλοτε δ' ἀζαλέην καίων ἐγγάγγιδα πέτρην,
ἣν οὐδὲ κρατεροῖο πυρὸς περικαίνυται ὁρμή.

Ubi Schol. *τὴν γαγγῖτιν λίθον. ἐν Γάγγαις γὰρ τῆς Λυκίας εὑρίσκεται· τὰς δὲ Γάγγας πόλιν οὖσαν τῆς Λυκίας καὶ Γαγγίδα φασίν.* Plin. 36, 19. Gagates lapis nomen habet loci et amnis Gangis Lyciae. Diosc. 5, 99.

423 b. *ἵνα δείξῃ τὸ εἶδος τῆς ἁγίας*] Eandem arcae similitudinem declarat Aug. con. Faus. 12, 14.

423 d. *καὶ εἰ μὲν ἐδέχοντο τὸ εὐαγγέλιον*] Nam de Apocalypsi nonnihil a quibusdam dubitatum, de quo accurate in Ann. Baron. A. C. 97.

425 a. *οἱ δὲ ἄλλοι εὐαγγελισταί*] Vide Aug. de Cons. Evang. 2, 16.

425 c. *ἔδει γὰρ τὸν ἀπὸ πολλῶν*] Malim *τῷ ἐπιστρέψαντι* et *ἀναστάντι*. Vicissim vero *τὸν ἐλθόντα* etc. ut dandi casus Apostolo, accusandi Christo tribuatur, quod nos interpretando sequimur.

425 d. *κηρύξαι*] Aut *κηρύξῃ* leg. aut *τοῦ κηρύξαι*.

427 c. *καὶ Κλεόβιον, εἴτουν Κλεόβουλον*] Ignatius ad Trallianos, *φεύγετε καὶ τὰ τοῦ πονηροῦ ἔγγονα, Θεόδοτον, καὶ Κλεόβουλον τὰ γεννῶντα καρπὸν θανατηφόρον*. Ubi non Nicolaitarum propagines istos fuisse docet, ut est in Annal. sed *τοῦ πονηροῦ ἔγγονα*, hoc est Daemonis foetus. Imposuit Annalium scriptori Latinus Interpres, qui ita reddit: *fugite perversi illius nepotes*.

427 d. *Δημᾶν καὶ Ἑρμογένην*] Theodoretus ad 2. Tim. c. 4 eundem illum Demam esse putat, qui Ep. ad Philem. et Coloss. 4 laudatur, quique saeculum diligens, relicto Paulo discessit. Sed mutato consilio ad Paulum revertisse quidam existimant. Chrysost. vero post honorificam illam de eo mentionem a Paulo seiunctum esse putat, ut illa ad Philem. ante 2 ad Timoth. scripta sit. Fieri potest uti duo eiusdem nominis Demae fuerint. Apud Ignat. Ep. ad Magnesios nominatur Damas Magnesiorum Episcopus.

428 a. *εὐθὺς δὲ μετὰ τὸν Ματθαῖον*] Ex prava Cornarii interpretatione aut falsa aut dubia ex his verbis historia colligitur, iussum a Petro Marcum historiam scripsisse. Sic enim Cornarius: Post Matthaeum secutus est Marcus, iussus a S. Petro Romae Evangelium edere. Neutrum horum dicit Epiph. aut Petri iussu, aut Romae scripsisse Marcum, sed hoc tantum, comitem illum Romae fuisse Petri, et *ἐπιτρέπεσθαι τὸ εὐαγγέλιον ἐκθέσθαι*. A quonam? A Spiritu Sancto. Inscio enim Petro ad scribendum aggressus est, Romanis id ab ipso postulantibus, ut author est Hieron. lib. de Script. Eccles. et

Euseb. 2, 14. Quod cum audisset Petrus, quod factum erat approbavit. Romae porro scripsisse verisimile est, de quo in Ann. plura Baron. A. 45 n. 29.

οὗτος δὲ εἷς ἐτύγχανεν] Dissentit Papias apud Euseb. et Christum a Marco negat auditum. Hieron. in Praef. ad Evang. Marci eundem ait Leviticum genere et sacerdotem fuisse. Sed falso hic liber Hieron. tribuitur. Quod autem asserunt nonnulli, Marcum non vidisse Dominum, viderit necne nihil affirmo, videre quidem potuisse temporum ipsa ratio persuadet. Neque vero damnanda est Epiphanii sententia, dum illum e LXXII discipulorum numero fuisse narrat, etsi contrarium alii Patres sentiant.

429 c. *ὡς εἶναι τὸν πάντα χρόνον*] Tempus ipsum, quo Ioannes conceptus ac natus est et incarnatus, atque in lucem editus Christus Lucas complectitur, quod tempus mensium est fere 15.

429 d. *Φιλοσαββάτιος*] De hoc nihil hactenus legi. 89

431 a. *ἔνθεν τίνι οὐ φανεῖται*] Tametsi nihil ex Evangelio de Magorum adventu tempore liquido possit exprimi, probabilior tamen est communis ac recepta sententia quam illa ex Epiphanii ac Eusebii Chronicis hausta, biennio post Christum in lucem editum Magos advenisse. Quod ex illis Matthaei verbis colligi putabant, quibus Herodem narrat *a bimatu et infra pueros occidisse, secundum tempus quod exquisierat a Magis*. Sed hunc nodum iampridem dissolverunt eruditi sacrarum literarum Interpretes.

431 b. *καὶ ἀνάγκην ἔσχον οἱ διεσκορπισμένοι*] Quantum verba ipsa prae se ferunt, indicare videtur, Iudaeos quolibet terrarum dispersos in Palaestinam coactos esse. Sed commode haec accipienda sunt, ut de iis loquatur, qui in Palaestina ipsa, vel Syria degerent. Neque enim puto qui in Italia, vel Graecia, aut Aegypto etiam habitarent, alibi quam ibi, ubi erant, fuisse censos.

431 c. *ἐρχόμενοι δὲ, ὡς εἰπεῖν*] Nollem erudito Maldonato id in mentem venisset Epiphanio tribuere quod et absurdissimum est, nec ab eo vel levissime cogitatum. Scribit enim mirari se, quod Epiphanius existimet Iosephum et Mariam singulis annis eo die ex Aegypto in Bethleem venire consuevisse,

cumque post duos annos rediissent, Magos eos invenisse. Hoc vero nunquam scripsit Epiphanius. Quare hallucinatus est eruditissimus ille Evangeliorum interpres. Nec ideo tamen tantum commeruit, ut a Casaubono tam inclementer ac putide notaretur et virulentissimus ac maledicentissimus scriptor appellaretur in illo opere, quod ipsum ex virulentis calumniis et haereticis opinionibus contextum adversus Baronianos Annales effudit.

ὡς εἰς τὴν πανήγυριν ταύτην] Quam tandem hic *πανήγυριν* intelligat, nescio. Videtur loci illius, in quo natus erat Dominus, celebratam memoriam *πανήγυριν* appellare.

432 c. *τῷ γὰρ τριακοστῷ τρίτῳ*] De his accuratius paulo post agemus.

432 d. *διὰ τὸ μεμνηστεῦθαι πρεσβύτης*] Quod Iosephus decrepita iam aetate Mariam duxerit vetus est opinio. Quod autem liberos ex priore aliqua coniuge susceperit, etsi id Epiphanius aliique Veteres memoriae prodiderint, reclamant tamen merito caeteri omnes. De qua re Baronius in Appar.

433 b. *ἐντεῦθεν τοίνυν*] Haec igitur verba *τοῦ θεοῦ* ad Iesum pertinere credidit Epiph. non ad Adamum.

433 c. *τῷ Λουκᾷ ὄντι καὶ αὐτῷ*] Quod Lucas e discipulorum numero fuerit, asserit et Dorotheus in Synopsi, quamvis id ipsum ab eo negari Maldonatus scripserit. Sed contra sentiunt plerique, et id ex ipsis Lucae verbis colligunt, cum ait *ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς σοι γράψαι*. Sed tantum abest, ut haec discipulum Christi fuisse, ac non pleraque, cum ab eo gererentur, oculis usurpasse negent, ut contrarium potius hinc elici possit. Verbum enim *παρακολουθεῖν* nonnunquam ad eam notitiam refertur, quae oculis ipsis, ac propria intelligentia comparatur, non aliorum sermonibus. Ut cum Demost. *ἐν τῷ περὶ Παραπρεσβείας* de Aeschine, cuius in legatione comes fuerat, sic loquitur: *καὶ ὁ τούτου πονηρεύματα εἰδὼς, καὶ παρηκολουθηκὼς ἅπασι κατηγορῶ*. Sic igitur Lucas *ἄνωθεν παρηκολουθηκέναι πᾶσιν ἀκριβῶς* dicitur, hoc est comperta, explorataque, ac spectata etiam habuisse. Ac videri potest et nonnulla hic antithesis esse, ut cum superiore versu dixerit, Quandoquidem multi res a Christo gestas scribere aggressi sunt, *καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς*, statim subiiciat, *ἔδοξε*

κἀμοὶ παρηκολουθηκότι, hoc est, qui non, ut illi, *ἐκ παραδόσεως*, sed ex propria id scientia compererim. Caeterum tametsi ad eum sensum accommodari Lucae verba nihil prohibet, non iccirco tamen Christi discipulum fuisse certo pronunciare ausim, cum huic adversari sententiae longe plures ex PP. intelligam. Sed ista commemoravi, ut ne Lucae ipsi de se testanti refragari quisquam Epiphanium arbitretur.

433 c. *καὶ κηρύττει πρῶτον*] Lucam in Gallia praedicasse, nullus, quod sciam, prodidit. Atque haud scio an Galliam Cisalpinam intelligat, per quam in Dalmatiam Graeciamque contenderit.

433 d. *Κρίσκης, φησὶν, ἐν τῇ Γαλλίᾳ*] Imo *εἰς Γαλλίαν*. Nam vulgo *εἰς Γαλατίαν*. Quae est vetustissima et certissima lectio, quicquid affirmet Epiphanius. Quam et Eusebius Hist. 3, 4, Chrysost. Ambrosius, Theodoretus, ac Graeci et Latini omnes agnoscunt. Quanquam non desunt qui per *Γαλατίαν* apud Paulum Galliam intelligant, ut Theodoretus. Crescentem vero Galliarum et Galatiae pariter Apostolum fuisse, Ado in Martyr. V. Kal. Iul. et in Chronico testatur, ut et Rom. Martyr. novum. Vetus enim Galatiae duntaxat meminit. Et certe dubitari potest, utrum non modo Crescens, sed vel alius quisquam per illa tempora Galliis Evangelii lucem importarit.

434 a. *μετὰ τὴν αὐτοῦ ἀπὸ τῆς Πάτμου*] Non igitur in Patmo scripsit Evangelium, sed Ephesi. Neque vero sub Claudio, sed sub Nerva Coccio ab exilio reversus est, quamvis iterum postea sub Claudio revocatum asserit.

435 a. *ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ*] Utraque vox et Bethabara et Bethania apud antiquos reperitur. Vide quae de hoc loco scripsere Masius et Serrarius in Iosue, Maldon. et Toletus in Evang.

435 d. *ἵνα δείξῃ μετὰ τὰς τεσσαράκοντα*] Epiphanii sententia haec est, Christum post 40 dierum ieiunium et tentationem in Galilaeam esse profectum, indidemque ad Ioannem et Iordanem revertisse, quo tempore Ioannes illum intuitus rursum de ipso testatus est, Ioan. 1, 36. Tum enim ambulantem vidisse Iesum scribit Ioannes. At Epiphanius 29 et 30 commata cum 35 et 36 confudisse videtur, cum ex Evangelio profert *τῇ*

ἄλλῃ ἡμέρᾳ ὡς εἶδεν αὐτὸν περιπατοῦντα ἔφη· οὗτός ἐστι, etc. Quae diversis in commatibus leguntur. Porro pro eo quod vulgo scriptum est, τῇ ἐπαύριον, Epiphanius legit τῇ ἄλλῃ ἡμέρᾳ, nisi ea potius interpretatio sit. Ut et noster Interpres: *Altera die.* At prima testificatio paulo post Baptismum facta videtur. Unde inter Baptismum Christi, ac primam illam testificationem et Apostolorum vocationem, profectionem in Galilaeam, intercessisse putat Epiphanius: de qua profectione haud scio an Interpretum Doctorumve quisquam meminerit. Sed neque Ioannis verba vel minimam eius significationem dare mihi videntur. Vide c. 16, ubi accuratius ea temporum intervalla digeruntur. Post Baptismum 40 dierum ieiunium sequitur, tum hebdomades fere duae, quibus Nazareti in patria vixit. Hinc ad
91 Ioannem revertitur, a quo agnitus ac demonstratus est, ac tunc Andreas illum cum socio secutus est: inde Petrus, post Philippus, ac Nathanael, secundum quae nuptiis interfuit. Quae omnia duorum a Baptismo mensium intervallo gesta putat, hoc est usque ad VI Ianuarii, quo die nuptiis interfuit, cum VI Eid. Novemb., ut arbitratur Epiphanius, a Ioanne baptizatus esset. Colliguntur dies 60. Nimirum 40 ieiunii, tum 14, quibus in patria et Galilaea constitit. Postea biduum quo ad Ioannem accessit. Item biduum aliud, cum Andreas, inde Petrus sese ad eum applicarunt. Altera vero die Philippus ac Nathanael vocati: denique tertio die post ultimum illud biduum, nuptiae subsecutae. Ita 60 dies explentur.

437 c. καὶ λοιπὸν σημεῖα ἐκεῖ] Post nuptiarum officium Christus Capharnaum sese contulit, ubi prodigia multa patrata credit Epiphanius, velut cum socrum Petri febrientem curavit et aridam hominis manum restituit. Sed perperam haec duo miracula in idem tempus coniecta. Nam alterum, hoc est aridae manus restitutio, longe post prius illud contigit, nimirum post Pascha, secundum quod per sata cum discipulis transiit. Sed de iis postea ad c. 28. Imposuit Epiphanio multiplex ac diversus ad Capharnaum aditus Christi.

438 d. ἐντεῦθεν γὰρ καὶ ἐπέκεινα] Ex iis quae disserit Epiphanius efficitur paulo post ultimo vocatos, ac sibi adiunctos Apostolos, Petrum, Andream et caeteros, ad praedicationem aggressum, etiam antequam Ioannes in vincula coniiceretur.

De qua re postmodum agetur, ut et de Natali Christi ac vera Baptismi et Passionis anno.

440 a. *περὶ θεοῦ τῷ πνεύματι*] Praeter coniecturam illam quam ad oram adtexuimus, occurrit scribi posse, *περὶ οὗ τῷ πν.*

440 c. *καὶ ἐξελέξατο τὸν Πέτρον*] Egregius hic locus, ex quo liquet Petrum Andreae ac caeteris Apostolis, non aetatis, aut vocationis ordine, sed principatus ac dignitatis, anteponi.

441 a. *φασὶ γὰρ οὕτως οἱ ἄλλοι*] Mirum est quod hoc loco asserit primum Herodem fugisse: postea Nazaretum, inde ad baptismum accessisse: quae neque cum Evangelio, neque cum superioribus cohaerent. Nam Herodem fugit duntaxat post Ioannis necem, quae longe post baptismum accidit. Vide quae ad c. 28 observamus.

442 b. *ὁ δὲ Ἰωάννης καὶ τὴν πρόθεσιν*] Fort. *κατὰ τὴν πρόθεσιν.*

444 a. *κατηγοροῦσι δὲ πάλιν*] Nullum est in his libris argumentum in quo tractando plus operae ac studii navarit Epiphanius quam in ea quaestione, qua Dominici Natalis et Passionis annus inquiritur. Sed nec obscurior usquam locus est, aut in quo minus Interpreti tergiversari ac dissimulare liceat. Tantum abest ut in eo declarando ne sit longior vereri debeat, aut instituta se Notarum et Animadversionum brevitate defendere. Atque ea sane quaestio cum non minus hac tempestate, quam priscis illis temporibus, eruditos exerceat, eo denique adducta res est, ut qui inscitiam suam ingenue fassus fuerit, prudentiorem exitum quaerat quam si certi aliquid et explorati tenere se posse confidat. Ut enim a vetustioribus initium repetam, quis antequam Dionysii vulgaris illa ratio percrebuisset, in certam ac constitutam sententiam includi se passus est? Longum est et otiosum veterum Patrum opiniones omnes persequi; idque ab aliis diligenter est factum, praesertim a Dekerio nostro *τῷ μακαρίτῃ*, et Ioanne Keplero Mathematico, in erudita illa dissertatione de anno Natali et in Eclogis Chronologicis, ut de Illustrissimi Baronii Annalibus ac caeteris Chronographis taceam. Quorum omnium post tam exquisitam et exactam operam supervacaneum videri poterat a nobis ea disputari vehementius, quae anxie ab illis sunt accurateque discussa, nisi nos 92

ad id etiam invitos Epiphanius ipse ac suscepti muneris fides impelleret. Erit autem huic conatui laborique nostro facilis lector, si hoc a me spectatum agnoverit, ut infinitam prope controversiam omniumque iudicio difficillimam, neque brevius quam res tanta disputari possit, neque longius quam necesse sit, summa vero cum facilitate complecterer, et ea, quae ab ingeniosis doctisque viris de ea re solerter excogitata sunt, accessione aliqua nostra cumulata proferrem. Quare duplex erit hoc loco disputanda quaestio: altera de anno ipso, quo natus est Christus: altera de eo quo passus est.

[Hic annotationum seriem interrupit Petavius inserto Excursu I. *De anno natali Christi* p. 92—131.]

132 446 d. *γεννηθέντος δὲ αὐτοῦ περὶ τὸν Ἰαννουάριον*] Luculentissimus hic locus est, in quo Natalem Christi diem accuratissime circunscribit. Et quidem A. D. VIII Id. Ian. hoc est Ianuarii 6, in quem Epiphaniorum festum incidit, natum asseverat, ex communi Aegyptiorum sententia, de qua subinde nonnihil disseremus. Sed primum singulae temporum notationes obiter percurrendae atque illustrandae sunt. Hunc igitur diem imprimis 11 Tybi esse scribit in anno videlicet Actiaco, sive Aegyptio Iuliano, cuius Thoth fixus est 29 Augusti, Neomenia Tybi 27 Dec.

κατὰ Σύρους, εἴτουν Ἕλληνας] Syromacedonas intelligit, sive Antiochenos, qui Iulianam anni formam receperunt, quanquam illorum aera triennio Iulianum annum antecedit, appellaturque *χρηματισμὸς τῆς Ἀντιοχείας*, quod eo anno *ἡ αὐτονομία* Antiochenis permissa et Iulius Caesar Dictator Antiochiae renunciatus est, Artemisii, sive Maii 23. Chron. Alex. p. 438. Est hic annus Urbis 706, quo Caesar victo Pompeio rerum potitus est, Per. Iul. 4666 annis ante Dionysianam aeram 48, ante primum Iulianum tribus, ut ex Euagrio colligit Scaliger Isag. Can. 53 p. 295; rectius quam in l. 4 de Emend. Temp. p. 226: ubi Antiochensium aeram ab editione Iuliana inchoari censet, annis ante Christi aeram 45, ex Eusebii authoritate, qui annum Antiochensium 325 confert in annum Christi 280. Sed magna haec hallucinatio est. Nam Eusebius in Chron. *Secundo anno Probi*, inquit, *iuxta Antiochenos* 325 *annus fuit*. Atqui Probi secundus competit anno aerae Christianae

278, quo anno coepit τοῦ χρηματισμοῦ Antiochensium annus 325. Sic enim Antiochensis aerae primus annus Dionysianam aeram 48 solidis annis antecessit. Necesse est igitur cum anno Probi 2 et Dionysiano 277 componi Antiochensium aerae 324 labentem et ineuntem 325, Cyclo solis VI, lunae XII. De initio Probi dicetur ad lib. de Mens. et Ponderibus. Anni, ut dictum est, forma Iuliana fuit, mensium eadem quae apud Romanos descriptio, quam in sequenti Laterculo proponendam putavimus.

Laterculum mensium Antiochenorum, sive Συροελλήνων.	
Αὐδυναῖος	Ianuarius
Περίτιος	Februarius
Δύστρος	Martius
Ξανθικός	Aprilis
Ἀρτεμίσιος	Maius
Δαίσιος	Iunius
Πάνεμος	Iulius
Λῷος	Augustus
Γορπιαῖος	September
Ὑπερβερεταῖος	October
Δῖος	November
Ἀπελλαῖος	December

Quae mensium concordia ex Socrate, Euagrio, Suida, ve- 133
terum Conciliorum inscriptionibus et infinitis aliis testimoniis fidem meretur. Illud vero constat, Epiphanium meros menses Iulianos intelligere. Nam Audynaei τὴν ἕκτην (perperam ἕκτου scriptum est) cum 6 Ian. comparat. Rursus enim vitiosa lectio est πέμπτη Ἰανουαρίου, pro ἕκτη. Tametsi Cornarius quintam Ianuarii verterit, quod nonnullis imposuit, qui haec Epiph. verba πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν sic accepisse videntur, quasi esset prid. VIII Eidus, hoc est Nonis ipsis Ianuarii. Sed πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν et similes loquendi formulae Latinis iisce respondent A. D. VIII Id. etc. hoc est ipso die VIII Id. ut et alibi scripsimus. Quare ex priori nota diei, hoc est VIII Id. Ian. corrigenda vox πέμπτη

et in ἕκτῃ mutanda. Quod et Tybi Actiaci, sive Diocletianei dies ipsa demonstrat, cuius 11 in 6 Ian. convenit. Ac videtur in eo, quod quintam Ianuarii diem pro sexta sumpsit, mysterii aliquid esse. Siquidem et Constantinopolitani postea 5 Ianuarii die Baptismum Christi celebrabant, quod in 6 vulgo confertur, ut ex Manuelis Novella 1 de feriis et Curopalate colligitur.

κατὰ Κυπρίους εἴτουν Σαλαμινίους] Non est, ut quidam existimat, corruptus hic Epiph. locus, in mensis appellatione. Nam Ianuarius ab illis Quintus nominatur, ut a Romanis Quintilis, Sextilis, September etc. Sed mendum in voce *πέμπτῃ* subesse potius arbitror: nisi a Ian. secundo *Πέμπτον* auspicati sint Salaminii. Sed verisimilius est Epiph. aut eius librarium, cum imprudens *πέμπτῃ τοῦ Ἰανουαρίου* scripsisset, pro ἕκτῃ, idem in Salaminiorum mense fecisse. Apparet autem ex hoc loco Salaminios annum a Septemb. Iul. Kal. auspicatos esse, quod Indictionis annique primordium Constantinopolitani postea praefixerunt.

κατὰ Παφίους Ἰούλου τεσσαρεσκαιδεκάτῃ] Igitur Iuli mensis initium a 24 Dec. Qui si Iulianus fuit, credibile est ab Aequinoctio verno circiter annum incepisse Paphios. Nam si Iulus Ianuarius est, mensis ab illo tertius in eum diem propemodum desinit, qui Aequinoctio quondam attributus est.

κατὰ Ἄραβας Ἀλέωμι] In vulgatis Arabum mensibus neque Aleom, neque qui postea commemoratur Angalthabaith locum ullum habet. Sed neque Lunares menses isti sunt, si quidem in Ian. VI Aleom XXI incidat, quae tum dies erat Lunae XII, Cyclo I. Nam Neomenia ex Ptolemaicis Mulleri Tabulis contigit Dec. 26, 8, 32 Cyclo 19, anno Iuliano 44. De Angalthabaith idem postea demonstrabitur. Quocirca nondum Lunarem annum ad civilem usum Arabes transtulerant. Nam cum Arabes nominat Epiphanius, maiorem illius gentis potioremque partem intelligit. Ac Scal. l. 2 de Emend. Temp. et Isag. Can. l. 2 ac 3, veteres Arabes Calippica anni forma usos esse decernit, ut et Chaldaeos ac Iudaeos, Arabum vero duplicem annum facit, alterum Damascenum, sive Hagarenum, cui desultorium intercalandi morem attribuit, cuius Periodum 228 annis Iulianis definit, in qua menses omnes singillatim annum inchoant, vicissimque terminant: alteram anni rationem omissa intercalatione

solutam ac retextam ex annis lunaribus simplicibus constituit, quam ab Indis olim usurpatam, postea etiam ab Arabibus, praesertimque Mahumedanis docet. Nam qui ab Hegira numerantur anni, nullo intercalationis fraeno coërciti per Iulianam seriem impune vagantur. Quod si quis requirat, unde Scaligero constet vetustos Arabes desultoriam illam intercalandi formam civili praesertim usu tenuisse, aut eandem subinde retexuisse ac mere lunarem praetulisse, ne unum quidem scriptorem affert, qui id vel levissime suadeat. Quare dum confictas illas Arabum Pe- 134
riodos operosissime describit, hoc est somnia sua prosequitur et suo et lectoris otio intemperanter abutitur. Quo quidem in negotio est illud sane iucundum, quod eandem illam Per. quae ex 228 Iulianis annis, Arabicis vero, vel solutis 235 constat, alicubi excogitatam a se dicat, alibi vero ab Arabibus et Hagarenis ab initio Iuliani anni repertam, et institutam imprudens asserat. Etenim l. 2 de Emend. p. 134 ubi de anno Hegirae disserit: *Contumacissimus*, inquit, *hic annus est neque facile redit in gratiam cum anno Iuliano etc. Quare nulla methodus hinc confici potest. Tutior magna Periodus, quam excogitavimus, annorum* 228, *enneadecaeteridum duodecim.* At l. 5 p. 485 ubi de eodem anno loquitur: *Arabes*, inquit, *Hagarenii Periodum* 228 *annorum instituerunt ex A. D. III Iduum Martii anni Confusionis, Cyclo Lunae* 13. *Solis* 20. Et paulo post. *Triplicem enim periodum habuerunt: Minorem* 30 *annorum solutorum: Maiorem* 210 *annorum: Maximam* 228 *annorum Solarium,* 235 *autem Arabicorum, qua Muharram per totum contextum anni Solaris vagatus redit ad eandem diem.* Idem et in l. 3 Isag. Can. repetit. Quid hoc homine facias, aut quam ei demum habeas fidem, qui sua se ipse confessione tam aperte ac palam induit, ut cuius anni formae ac Periodi inventorem se dicit, eam ipsam vetustissimis temporibus in usu fuisse confirmet? Sed ea mihi levia ac tolerabilia videntur, cum ad alia respicio, quae in utroque illo opere temere, inconstanter, ac sine authore ullo passim effutiit, quae nos brevi, si Dominus dederit, in lucem apertumque proferemus, ut qui Chronologicis in rebus Deum illum propemodum faciunt, nihil ipsum ad eam rem praeter fastum et arrogantiam attulisse discant. Postremo quam in Antiocheni anni epocha hominis

inconstantiam vidimus, eandem in Hagarenis et Arabicis hisce periodis scito esse commissam. Nam l. 2 de Emend. p. 116 et l. 5 p. 485. Periodum Hagarenam ab anno ipso Confusionis, qui proxime Iul. primum antecessit, Arabes inchoasse tradit, Per. Iul. 4668. In Isag. vero Canon. l. 3 c. 9 p. 235, Periodi huius Epocham eandem esse docet, quam et Antiochensium aerae, hoc est ab anno primo Monarchiae Iulii Caesaris, Per. Iul. 4666, quae secum perspicue pugnant.

Sed his nugis omissis, verisimilius est, Epiph. saltem tempore, civilem Arabum annum Solarem fuisse et aliis, quam qui vulgo circunferuntur, nominibus menses appellatos esse. Simplicius, uti Scal. observat, a vere annum suum Arabes inchoasse scribit. Alexandrinum vero Chronicon p. 597 notat Candido et Quadrato Coss. Petreos et Bostrenos, qui Arabiae populi sunt, ab hoc ipso anno tempora sua numerare, qui est aerae Dionysianae 105, Traiani Imp. octavus.

κατὰ Καππαδόκας Ἀταρτᾶ ιγ'] Lunaris igitur Cappadocum mensis extitit, quandoquidem cum Tebeth Iudaico convenit. Imo vero neuter accurate Lunaris fuit, cum Novilunium medium Dec. 26 competat. Quare si Iudaei, *ἀπὸ τῆς συνόδου* Neomenias civiliter deduxissent, Ian. VI nonnisi XII mensibus habuissent. Sin quod aliis placuit, uti glossa C. VII Par. 1. Iad R. Maemonidae testatur, Neomenia nunquam eo die constituta, in quem Molad incideret, neomenia Tebeth XXVII Dec. Ianuarii autem VI duntaxat undecima convenit. Scal. l. 6 de Emend. cum de anno Natali Christi disputat, Epiphanium redarguit, quod Tebeth pro Sebat posuerit. Sed reprehendendus ipse potius, qui ad commentum suum de Calippica Periodo a Iudaeis tunc temporis observata Epiphanium adstringere voluit, de qua re paulo post agetur, in Disputatione de anno Dominicae Passionis. Fuit hic igitur mensis Tebeth, non Se-
135 bath, et est omnino ad Iudaicam illam Periodum quam postea ex Epiphanii mente describemus, accommodatissimus hic locus. Etsi duorum alterum accidisse suspicor, ut vel *ιδ'* pro *ιγ'* scripserit Epiphanius, vel quoniam Ianuarii V pro VI imprudens usurpaverat, ad eam respiciens, XIII Tebeth adscripserit. Erat enim ex methodo nostra Tebeth XIV. Quippe Ogdoëcontatessaraeteridis annus iste fuit 50, Cyclo Solis 9, Lunae 1,

a Kal. Ian. anni Iuliani sequentis Neomenia Nisan Apr. 2, fer. 4. Erat annus simplex ordinarius. Igitur Tebeth, sive X mensis iniit Dec. XXIV. Unde Ianuarii V Tebeth dies erat XIII, sexto vero Ianuarii XIV. In quo vides, id quod methodus nostra repromittit, biduum fere iam anticipasse Neomeniam civilem, cum iam dimidia Periodus effluxisset. Nam a XXVI Dec. ad XXIV retrocessit. Quare vel hic unus locus ostendit nos Per. illam ad Epiph. rationes εὐστοχώτατα digessisse. Vide infra in illa Diatriba de Passione Domini.

κατὰ Ἀθηναίους Μαιμακτηριῶνος] Ianuarium Athenienses Maemacterionem vocarunt. Quod ne quis errore librarii factum putet, affirmatur ex eo, quod paulo post Novemb. Metagitnionem appellat. Est autem hic locus ad Attici anni, cuiusmodi per illa tempora fuit, ac mensium dispositionem intelligendam observatione dignissimus. Primum enim Solarem annum fuisse docet consensus Maemacterionis cum Ianuario. Sed videndum quodnam anni caput fuerit. Primus Atticorum mensium Hecatombaeon fuit, a quo, si Gazae credimus, quartus est Maemacterion, Scaligero vero quintus. Utrius verior opinio sit hoc loco disquirendum. Duo in ordinatione mensium Gazae errata corrigit Scaliger. Alterum quod Maemact. 4 loco posuerit, eique Pyanepsionem subiecerit: alterum, quod Anthesterionem post Pyanepsionem collocaverit, instante iam hieme. Contra quae Scaliger Anthesterionem vernum mensem esse et μετὰ χειμῶνα statuit, unde post Γαμηλιῶνα constituit, Maemacterionem vero praecipitanti iam autumno tribuit, quintum ordine et a Pyanepsione proximum. Utriusque sententiae, ut a lectore facilius percipiatur, Latereculum subiecimus.

Menses Attici.	
Ex Theodoro Gaza.	Ex Scaligero.
Θερινοί Ἑκατομβαιών Μεταγειτνιών Βοηδρομιών	Θερινοί Ἑκατομβαιών Μεταγειτνιών Βοηδρομιών
Ὀπωρινοί Μαιμακτηριών Πυανεψιών Ἀνθεστηριών	Ὀπωρινοί Πυανεψιών Μαιμακτηριών Ποσειδεών
Χειμερινοί Ποσειδεών Γαμηλιών Ἐλαφηβολιών	Χειμερινοί Γαμηλιών Ἀνθεστηριών Ἐλαφηβολιών
Ἐαρινοί Μουνυχιών Θαργηλιών Σκιροφοριών	Ἐαρινοί Μουνυχιών Θαργηλιών Σκιροφοριών

136 In hac Atticorum mensium recensione quaedam recte Scaliger adversus Gazam defendit, alia perperam ac falso. Quod enim Anthesterionem verno tempori adscribit, non inclinanti iam autumno, praeclare facit. Sed de Maemacterione ac Posideone parum commode sensisse mihi videtur. Primum Boëdromioni Pyanepsionem, non Maemacterionem adiungit, idque compluribus argumentis persuadere nititur: quae omnia, si unius Harpocrationis testimonium excipias, irrita sunt et inania. Sic autem ratiocinatur, Pyanepsion, ut author est Plut. Tract. de Iside, congruit Athyr, hoc est Novembri. Posideon autem est Ianuarius, ut Plut. in Caesare scribit, cum semper post brumam incipiat. Atque idem Plut. in Demost. tres istos menses continuat,

Metagitnionem, Boëdromionem, Pyanepsionem. Cum igitur et Pyanepsion sit November et Posideon Ianuarius, nullus alius Decembri congruere potest praeter Maemacterionem. Ad haec Diodorus l. 3 continuat hos duos menses Maemacterionem et Posideonem.

Sed eiusmodi est illa ratio Scalig. ut ad contrariam Gazae sententiam approbandam aptior excogitari nulla possit. Nam si Pyanepsion Novembri respondet, Hecatombaeon autem Iulio, ut idem Scalig. placet, Metagitnion Augusto, Boëdromion Septembri, quis Octobrem alius praeter Maemacterionem sibi vendicabit? Pessime itaque quartam illi sedem attribuit, ac *τῶν ὀπωρινῶν* primum facit, si Novemb. congruit. Sane Pyanepsionem quintum potius quam quartum esse numerandum ex eo colligitur, quod hiemi quoque tribuatur. Nam Thesmophoria Pyanepsione mense celebrant, ut Plut. in Demost. significat. Thesmophoria porro in hiemem incurrere testatur Aristophanes *Θεσμοφοριαζούσαις*. Apud quem Agathonis servus de Thesmophoriorum tempore sic loquitur, *αὐτὸς γὰρ ἔξεισι τάχα· καὶ γὰρ μελοποιεῖν ἄρχεται, χειμῶνος οὖν ὄντος κατακάμπτειν τὰς στροφὰς οὐ ῥᾴδιον, ἢν μὴ προΐῃ θύραζε πρὸς τὸν ἥλιον*. Accedunt rationes aliae, quas a Theodoro propositas Scaliger dissimulat. Ut inter alia, quod Arist. de Hist. Anim. 6, 29 Boëdromioni Maemacterionem subiungit, ubi de cervorum initu loquitur: *ἡ δὲ ὀχεία γίνεται μετ' Ἀρκτοῦρον περὶ τὸν Βοηδρομιῶνα καὶ Μαιμακτηριῶνα*. Qui locus Scalig. silentium indicit et Gazae opinionem astruit. Duo enim ex iis verbis recte concludit: alterum, Maemacterionem paulo post Arcturi ortum incipere: alioqui frustra Maemacterionem Boëdromioni subiiceret. Arcturus autem circa autumnale aequinoctium oritur. Nam Theophrastus *καρωνίαν* florere dicit *περὶ Ἀρκτοῦρόν τε καὶ ἰσημερίαν*. Galenus insuper, *ἔστι μέν*, inquit, *ὡραιότατον τῆς ἐλάτης τὸ σπέρμα περὶ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ Ἀρκτούρου· ὅστις καιρὸς ἐν Ῥώμῃ ὁ καλούμενος μὴν Σεπτέμβριός ἐστι*. Quare modicum a Septembri distare Maemacterionem necesse est. Alterum, quod Gaza colligit, est: Maemacterionem Boëdromioni proximum esse. Nam quoties duos menses ita copulat, ut aliquid praesertim circa tempus certum accidere illis mensibus dicat, continuos esse menses ostendit. Ita cum de bobus agit: *ἄρχονται*

τῆς ὀχείας αἱ βοῦς περὶ τὸν Θαργηλιῶνα μῆνα καὶ Σκιροφοριῶνα. Multo magis, cum praeterea certum tempus et cardinem adiungit, ut περὶ τροπὰς et περὶ τὸν Ἀρκτοῦρον. Tum enim προσεχεῖς illi menses habendi sunt. Praeterea 6, 12
137 scribit idem Aristoteles imbecilliora quaeque tam in piscium, quam in avium genere appetente frigore prius in commodiora loca migrare, ut coturnices ante quam grues. τὰ μὲν γὰρ μεταβάλλει τοῦ Βοηδρομιῶνος, τὰ δὲ τοῦ Μαιμακτηριῶνος. At vero grues mense proximo ab eo, quo coturnices avolant, migrare cernimus. Est igitur Maemacterion Boëdromioni proximus. Postremo idem Aristoteles 6, 11 scribit inter γαλεούς, quos mustelos Gaza vocat, eum qui ἀστερίας dicitur, ἄρχεσθαι ὀχεύεσθαι Μαιμακτηριῶνος μηνός. Quod statim post Aequinoctium contingere piscatores testantur. Iam quod ad Plutarchum spectat, qui cum Boëdromione Pyanepsionem continuat, errat profecto Scaliger. Plut. enim paucis mensibus post reditum in patriam vixisse Demost. scribit. Nam Metagitnione mense praelium ad Cranonem contigit, Boëdromione vero praesidium in Munychiam introductum, Pyanepsione demum obiit Demosthenes. Non dicit sequenti post Boëdromionem mense mortuum esse: potuit igitur medius intervenire Maemacterion. Idem et de Diodori loco iudicium esse debet, qui ita scribit: ἀπὸ μηνὸς ὃν καλοῦσιν Ἀθηναῖοι Μαιμακτηριῶνα τῶν ἑπτὰ τῶν κατὰ τὴν ἄρκτον ἀστέρων οὐδένα φασὶν ὁρᾶσθαι μέχρι τῆς πρώτης φυλακῆς, τῷ δὲ Ποσειδεῶνι μέχρι δευτέρας. Non enim continuo post Maemacterionem Posideonem sequi declarat, cum et verba ista, ἀπὸ Μαιμακτηριῶνος, de mense non absoluto possint accipi, cui sit proximus alter, hoc est Pyanepsio. Ita demum res eo redigitur, ut praeter Harpocrationem sententiae suae vindicem habeat neminem. Scribit enim in Lexico Maemacterionem πέμπτον εἶναι μῆνα. Sed vel τέταρτος pro πέμπτος rescribendum, vel si nihil hic a librario peccatum est, non dubium est quin pluris apud nos Aristotelis et Plutarchi quam Grammatici unius authoritas esse debeat.

Sequitur immanis Scaligeri stupor, dum Posideonem ita cum Ianuario comparat, ut post brumam incipiat, quo nihil falsius. Aristoteles 5, 9 de thynnide, ἔστι δὲ ὁ μὲν πρῶτος τάχος περὶ τὸν Ποσειδεῶνα πρὸ τροπῶν. Theophrastus 7, 1

de diverso sementis tempore, *χειμερινοῦ γὰρ ἀρχὴ μετὰ τροπὰς θερινὰς τοῦ Μεταγειτνιῶνος· τοῦ δὲ δευτέρου πάλιν μετὰ ἡλίου τροπὰς χειμερινὰς τοῦ Γαμηλιῶνος μηνός.* Incidit igitur Posideon ante Solstitium hibernum, Gamelion post Solstitium. Plutarchus autem in vita Caesaris Posideonem cum ineunte duntaxat Ianuario confert, *Χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος, ἱσταμένου Ἰανουαρίου μηνὸς (οὗτος δ' ἂν εἴη Ποσειδεὼν Ἀθηναίοις).* Nam Lunaris Posideon nonnunquam Ianuarii partem aufert. Idem et Suidas perspicue docet his verbis: *Ποσειδεὼν μὴν παρ' Ἀθηναίοις οὕτω καλούμενος Δεκέμβριος.* Quod vero *Γαμηλιὼν* proximum a Solstitio locum habeat, declarat Aristot. Meteor. 1, 6. *Ἐπὶ δὲ ἄρχοντος Ἀθήνῃσιν Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος ἐγένετο κομήτης ἀστὴρ πρὸς ἄρκτον, μηνὸς Γαμηλιῶνος περὶ τροπὰς ὄντος τοῦ ἡλίου χειμερινάς.* Haec nobis paulo accuratius demonstranda fuerunt, quod et Epiphanii locus ita postularet et quod indigne ferrem eruditos nonnullos a Scaligero in eundem errorem inductos. E quibus unus asserit, imperite omnes ante illum Maemacterionem quartum mensem numerasse. Qui quidem tot convictus rationibus cedat necesse est et quod a Scaligero didicerat, tandem aliquando dediscat. Caetera quae ad Atticorum mensium disputationem et multa et exquisita dici possent, suum locum habebunt in eo opere, quo Temporum doctrinam a Scaligeri somniis deo aspirante vindicabimus.

Illud unum lectorem necesse est admoneri, eosdem illos 138
Atticos menses alias lunares esse, alias non lunares, sed tricenarios, vel certe Iulianos. Si lunares, certam nullam in Iuliano contextu sedem obtinent, sed ultro citroque vagantur. Quae varietas efficit, ut non iisdem Iulianis mensibus a Scriptoribus imputentur. Epiphanius hic de tricenariis, aut utique Iulianis loquitur, de quo paulo post agemus. Caput anni, si vera sunt quae pro Gazae sententia supra disseruimus, ab Octobri Iuliano deducitur. Nam Metagitnion in Novembrem convenit. Ergo Hecatombaeon Octobrem occupat, a quo mense Syromacedonicam Periodum orditur Scaliger. Videntur post Constantinianas Indictiones novum illud Iuliani anni primordium statuisse et Hecatombaeonem in Maemacterionis locum subrogasse. Alioquin nihil est certius quam Hecatombaeonem *περὶ τὰς τροπὰς θερινὰς*

collocatum fuisse. Lunaris enim Hecatombaeonis Neomenia fuit illa, quae Solstitio propior esset, tam ante, quam post Solstitium; id quod adversus Scaligerianos alio loco probabitur. At in Iuliana, sive fixa stabilique anni forma Hecatombaeon haesit in Julio, reliqui sequentes Iulianos menses obtinuerunt. Plutarchus cum Atticorum mensium meminit, nonnunquam fixos illos ac Iulianos intelligit. Quod autem eorum seriem Athenienses retexuerint et Hecatomb. statione dimoverint, haud scio an ex alio scriptore quam ex hoc Epiphanii loco constare possit.

447 a. *πρὸ ἓξ εἰδῶν Νοεμβρίων*] Neomenia Athyr Actiaci, vel Diocletianei convenit V Kal. Nov. hoc est Oct. XXVIII. Ergo duodecimus Athyr, Novembris octavo, sive VI Eid. Nov. quod et c. 16 supra dixerat, 60 die ante Epiphania. Perperam itaque postea c. 28, *πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Νοεμβρίων* a librario scriptum.

κατὰ Σαλαμινίους] Neomenia Choiac incidit in 3 Novembr. quem mensem tertium appellat, sive quod plures eiusdem nominis essent, ut apud recentiores Arabes duo Rabiu sunt, totidemque Giumediu, sive quod ordine tertius esset. Unde et quintus in Ianuarium incurrit. A 3 Nov. ad Kal. Ian. comprehensis Kal. ipsis, dies sunt solidi 60, qui menses duos tricenarios efficiunt. Nam II Ianuarii *πέμπτος* mensis iniit. Videntur Salaminii aequabilem et Aegyptiacam mensium formam ascivisse.

κατὰ Παφίους] Apogonici Neomenia coepit Oct. XXIV. Iulus iniit Dec. XXIV. A die XXIV Oct. ad XXIII Dec. dies sunt 61, qui sunt duo Paphiorum menses. Quare Apogonicus Paphiorum fuit November, Iulus December.

κατὰ Ἄραβας] Neomenia Angalthabaith Octobris XVIII competit, a quo die ad XVI Dec. dies sunt 60, sive duo menses Aegyptiaci, quibus usi sunt Arabes illis temporibus. Nam Neomenia Aleon paulo ante coepit Decembris XVII.

κατὰ Μακεδόνας Ἀπελλαίον] Macedonici mensis, cum de tempore Natalis ageret, mentionem omisit. Convenit porro Apellaei Neomenia cum Paphiorum Apogonico. Nam utraque iniit Octobris 24. Sed neutra Lunaris extitit. Apud mediae vetustatis scriptores, praesertim Christianos, nonnunquam Macedonici menses cum Syromacedonicis, quos et Graecorum menses appellant, confundi videas, ut in insigni illo Anatolii loco, quem
139 in sequenti Diatriba declarabimus, alias vero discerni, ut hoc

loco fecit Epiphanius. Et certe Syromacedonicorum mensium alius in anno Iuliano situs quam Macedonicorum fuit, non modo veterum, quos Lunares fuisse suspicamur, sed etiam recentiorum, ac fixorum. Ac posteriorum quidem, hoc est Macedonicorum, apud antiquos series obscura est ac difficilis, quod de ea varie praestantissimi scriptores existimasse videantur. Sed omissa modo quaestione, vel in aliud potius dilata tempus, sic omnino statuo: principem mensium Loum extitisse, qui Hecatombaeoni responderit, quod in Alexandri vita testatur Plutarchus. Galenus quoque in l. 1 Epidem. aequinoctium autumnale κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Δίου μηνὸς fieri scripsit, ineunte vero Peritio, Solstitium hibernum: aequinoctium vernum, Artemisio, aestivum Solstitium, Loo. Quod vel de Iulianis ac fixis mensibus accipi potest, vel de Lunaribus, eo videlicet sensu, ut sub quatuor illos anni cardines totidem illi menses ineant. Favet huic coniecturae Iosephus, qui persaepe Xanthicum Nisan esse dicit, ut Orig. 1, 3 et 3, 9 et 10, libro vero 8, 2 Iiar cum Artemisio componit: libro 8, 3 Hyperberetaeum cum Tisri: Dium cum Marchesuvan l. 1, 3. Chasleu cum Apellaeo 12, 7, Adde iis Astronomica quaedam exempla in Chaldaica Periodo apud Ptolemaeum. Quae omnia alibi diligentius explicantur. Inter Macedonicorum mensium ex iis omnibus ordo iste constituendus est.

Menses Iudaici	Menses Macedonici	Menses Attici	Menses Iuliani, quibus fere caeteri respondent
Nisan	Ξανθικός	Ἐλαφηβολιών	Martius
Iiar	Ἀρτεμίσιος	Μουνυχιών	Aprilis
Siuvan	Δαίσιος	Θαργηλιών	Maius
Thamuz	Πάνεμος	Σκιροφοριών	Iunius
Ab	Λῶος	Ἑκατομβαιών	Iulius
Elul	Γορπιαῖος	Μεταγειτνιών	Augustus
Tisri	Ὑπερβερεταῖ-	Βοηδρομιών	September
Marchesuvan	Δῖος [ος	Μαιμακτηριών	October
Chasleu	Ἀπελλαῖος	Πυανεψιών	November
Tebeth	Αὐδυναῖος	Ποσειδεών	December
Schebath	Περίτιος	Γαμηλιών	Ianuarius
Adar	Δύστρος	Ἀνθεστηριών	Februarius.

At in Epistola Philippi Macedonum regis, quae est apud Demost. *περὶ στεφάνου*, Lous cum Attico Boëdrom. componitur, ut alius per illa tempora mensium apud Macedonas contextus fuisse videatur. De quo alias. Nunc illud, quod dixi, ex Diagrammate constat, Macedonicos menses uno fere mense Syromacedonicis anteriores esse. Nam Xanthicus exempli caussa
140 Syromacedonum est Aprilis Iulianus, Macedonicus vero tametsi cum Lunaris est Aprili nonnunquam respondeat, saepius tamen in Martium incurrit, maioremque illius partem occupat. Caeterum apud Epiphanium hoc in loco pro *Ἀπελλαίου ις'*, Scaliger l. 5 de Emendat. p. 482 B. corrigit *Ἀπελλαίου ς'*. Qua ratione Apellaeus Macedonicus Novembris III coeperit. Quod verumne sit nescio.

κατὰ Ἀθηναίους Μεταγειτνιῶνος ἑβδόμη] Constat ex iis, quae paulo ante disputata sunt, Maemacterionem ab Hecatombaeone esse quartum, quod et hic locus evidenter demonstrat. Nam Metagitnion proximus est ab Hecatombaeone. Igitur Epiphanii saeculo Hecatombaeon October erat, Maemacterion Ianuarius. Neomenia Maemacterionis congruit Kal. ipsis Ianuarii. Nam VI Maemact. eadem est Ianuarii VI. Atqui Neomenia Metagitnionis non convenit Kal. Nov. Quippe VIII Nov. VII duntaxat est Metagitnionis; nisi mendum sit in Epiphanii codice. A secunda Nov. ad ultimam Dec. dies sunt 60, menses Atheniensium duo. Proinde non Iulianis, sed aequabilibus et Aegyptiacis mensibus usi sunt Athen. cum primum fixum et stabilem annum adhibuerunt. Imo vero idipsum apud illos antiquissimum fuisse non primus Scaliger, ut gloriatur, sed Gaza ante illum docuit lib. de mensibus, ubi de anno disputat. Etenim annus (inquit) apud illos erat duplex, alter dierum 360, cuius in fine appendices 5 dies inserebantur, ad quos quarto quoque anno dies unus accedebat. Alter Lunaris fuit. In priore forma tricenarii menses erant, ad modum Aegyptiaci anni, ultimus mensis 5 vel 6 diebus auctior erat. Haec Gaza. Quod utrum priscis illis temporibus usu populari receptum fuerit, alibi disseritur. Post Iulianam quidem editionem, atque Epiphanii saeculo, eiusmodi annum observatum Athenis fuisse, ex hoc Epiphanii loco coniici potest. Ut enim Aegyptiacus annus mensibus tricenariis constans, cum hactenus diei intercalaris omissione per

Iulianum annum evagaretur, recepto anni Iuliani typo, tricenarios menses nihilominus retinuit, cum ἐπαγομέναις 5 et interdum 6: ita credibile est Athenienses idem in anno suo fecisse, ut tricenis duntaxat diebus singuli menses decurrerent, nec ad Iulianorum mensium descriptionem quadrarent. Scaliger quidem de Emendat. 4 p. 227 ubi de anno Iuliano Athen. agit, hos ipsos putat non modo Iulianum annum, hoc est Solarem et fixum, verum etiam Iulianos menses admisisse et Hecatomb. Neom. Kal. ipsis Iulii convenire. Sed in eo probando mirum quam inscite imperiteque versetur. Sic enim disputat: Lucianus in vita Peregrini statim post Olympiacum ludicrum, cum adhuc frequens mercatus esset, circa mediam noctem Peregrinum se in rogum iniecisse narrat, commodum exoriente Luna. Contigit Peregrini mors Eusebio teste Olymp. 236, Cyclo XIV. Igitur Iulii XVII Luna erat XX aut XXI et ideo circa mediam noctem oriebatur. Atqui Olympiacus agon celebrari solebat XV die mensis primo. Itaque cum eo saeculo Hecatombaeon idem esset qui Iulius, XV Iulii celebratus est agon et tertio die a certamine finito Luna erat XX. En criticum hominis acumen. Demonstrandum erat Hecatombaeonem Atticum fixum fuisse in Kalendis Iuliis. Ad id Luciani testimonium profert, quod ad rem nihil omnino pertinet. Si quid enim 141
ex eo de Neomenia mensis efficitur, ad Elidensium, non ad Atheniensium annum ac mensem refertur. Nam in Elide, non Athenis, gesta sunt quae a Luciano narrantur. Deinde illum ipsum Luciani locum quam negligenter attigit! Non enim scribit, circa mediam noctem exortam esse Lunam, sed amicum illum, ad quem diverterat, circa mediam noctem ad id spectaculum profectum: *περὶ μέσας νύκτας ἐξαναστὰς ἀπῆει εὐθὺ τῆς Ἀρπίνης· ἔνθα ἦν ἡ πυρά, στάδιοι πάντες οὗτοι εἴκοσιν ἀπὸ τῆς Ὀλυμπίας κατὰ τὴν ἱππόδρομον.* Mox vero subiicit: *καὶ ἐπειδὴ ἡ Σελήνη ἀνέτειλεν*, etc. *πρόεισιν ἐκεῖνος.* Accidere itaque potuit ut duabus, vel tribus horis a media nocte iam elapsis apparere Luna coeperit. Sed neque tertio vel secundo potius quam quarto vel quinto a celebritate die istud evenisse debuit. Scribit enim Lucianus finitis iam Olympiacis ludis, Peregrinum diem de die trahentem, demum certam in noctem condixisse. *ὁ δὲ αἰεὶ ἀναβαλλόμενος νύκτα τὸ τελευταῖον*

προειρήκει ἐπιδείξασθαι τὴν καῦσιν. Ad haec quis Scaligerum docuit, 15 Iuliani mensis, hoc est Iulii, non autem Lunaris, Olympiacos illos agones de more celebratos esse? Quam haec vana et ἀνάρμοστα sint nemo non videt. Certe Calvisius Olympiadem illam 236 Augusti XII, non Iulio peractam existimat. Qui et ipse tamen puerili prorsus errore in illa Peregrini historia sese traduxit, dum scribit Peregrinum Christianum esse factum anno Christi 73, Olymp. 213. In quo centum propemodum annis aberrat: nam Peregrini mors incidit in Olymp. 236, annum Christi 165. Vixit autem Herodis Attici tempore sub M. Aurelio Antonino, ut ex Philostrato l. 2 de Vit. Soph. in Herode colligitur, nec non et ex Luciano in illius vita.

κατὰ Ἑβραίους Μαρεσουάν] Epiphanius Christi baptismum assignat ei anno, qui Coss. habuit Silvanum et Nervam, qui est Iulianus 73, Novembri mense, cum 29 annos, menses 10 implesset. Novilunium medium hoc anno incidit in Nov. VI, horis aliquot post initium noctis, Cyclo 10. Quare si Novembris dies VIII Marchesuvan Iudaici dies est VII, Neomenia Iudaica iniit Nov. II et V solidis diebus Novilunium antecessit. Nam Iudaice Novilunium quadrabat in Novembris VII, feria I. Sed non puto tantam ab illis dissimulatam fuisse Lunarem προήγησιν. Et erratum fortassis est, ut pro ἑβδόμῃ, τρίτῃ vel δευτέρᾳ, vel certe τετάρτῃ legendum sit, quo tolerabilis Neomeniae labes intercesserit. Quin et alius error est in mensis appellatione. Non enim Marchesuvan, sed Casleu esse debet, si modo Lunaris ille mensis fuit. Quod quidem fieri non potest, si integer sit hic Epiphanii locus et Iudaici mensis sexta Novilunium commissum fuerit. Quid si aut Iudaei tunc temporis, aut Epiphanius ipse Iudaicorum mensium vocabula Iulianis mensibus tribuerit? Ac tunc October Tisri, November Marchesuvan fuerit. Sed huius rei praeter coniecturam nihil habemus.

447 b. τὸν γὰρ πρῶτον ἐνιαυτόν] Priore τῆς κηρύξεως anno neminem adversatum esse Christo neque verum est, neque ex Epiphanii, vel eorum omnium, qui tria duntaxat Paschata numerant, opinione defendi potest, ut ad c. 28 demonstrabitur, ubi quae hoc loco dicuntur diligentius excutienda sunt.

[Sequitur Excursus II. *De anno et die Dominicae passionis* et *De anno Iudaico* p. 142—177.]

448 b. *πάσχει δὲ ἐν τῇ πρὸ δέκα τριῶν*] Nulla Sibyl- 177
lae folia, neque Sphingis aenigmata cum eorum quae sequuntur obscuritate conferri possunt, quae ne ille quidem eruditissimus Mathematicus assecutus est, qui hunc Cyclum solertissime declaravit. Imprimis enim Iudaeos ait *ὑπερβάσει*, hoc est translatione, Pascha summovisse, Christum vero passum Luna XIV *νυκτερινῇ μέσῃ*. Optime Keplerus Lunam hic Nicaenam intelligit. Passus est autem, ut credit Epiphanius, XIII Kal. Apr. id est Martii XX. Atqui Luna tum Nicaena, eodem Epiphanio authore, fuit XIII, sub vesperam autem coepit XIV, cum in Cyclo Iudaico vitioso esset XV, sequente XVI. Sed *καθ' ὑπέρβασιν* ab iisdem XIV facta est, cum in eam Pascha traiecissent. Verum de hac posteriore accipi non potest, quia *νυκτερινὴν* illam vocat. Iudaeis vero post *μετάβασιν* XIV desiit in XV, ideoque fuit *ἡμερινὴ* XV. Fieri potest, ut emendationem hic locus potius quam interpretationem requirat, legendumque sit, *τρισκαιδεκάτῃ ἡμερινὴ μέσῃ*, hoc est Luna XIII, quae ab ortu Solis incipit, labente, imo *μεσαζούσῃ* sub meridiem videlicet diei, quo civiliter XIII Luna numeratur. Quod nisi ita est, nihil oc- 178
currit aptius quam quod Keplero placuit, decimam quartam Nicaenam vocari XIII, quod in eam noctem desinat, a qua XIV initium accepit, quemadmodum dies Azymorum ab Evangelistis Parasceue ipsa Paschatis, sive decima quarta mensis appellatur *κατὰ πρόληψιν*. Sed tum *μέσῃ* vox, si meridiem significet, parum apte cohaerebit. Non enim est *νυκτερινὴ μέσῃ*, quae nonnisi post vesperam coepit. Sed neque medios ad motus Astronomicos mea sententia respexit Epiphanius. Quamobrem *τὸ μέσῃ* abesse per me quidem potest.

προέλαβον γὰρ, καὶ ἔφαγον] Hic ille nodus est propemodum inextricabilis, quem acutissimus ille Mathematicus non dissolvit. Sic enim interpretatur, Christus cum Iudaeis quibusdam Pascha obiit Luna Iudaica vitiosa XIV exeunte, Nicaena XII, hoc est XIV Kal. Apr. pridie eius diei, quo passus est. Biduo igitur Nicaenam Lunam anticipavit. Iccirco *προέλαβον*, inquit Epiphanius, *καὶ ἔφαγον τὸ Πάσχα* biduo ante legitimum tempus, quod erat XIV Nicaena cadens in XII Kal. Quasi

haec verba, *προέλαβον* etc. non de Iudaeis omnibus accipienda sint, sed de Christo et Apostolis, ac si qui sunt alii, qui maiorum ritus observaverint. Nam quod ad Iudaeos reliquos attinet, Pascha suum in posterum diem, hoc est XIII Kal. quo passus est Christus, *καθ' ὑπέρβασιν* traiecerunt. Unde non biduo, ut alii, sed uno tantum die Nicaenam XIV anticipaverunt, quia Iudaica vitiosa XV, Nicaena XIII celebrarunt. Quare scripsit Epiphanius, *ὑπερβεβηκότων αὐτῶν μίαν ἡμέραν*, quod et repetit c. 27. Verum quod sequitur, feria tertia Pascha comedisse, quod feria V factum oportuit, in quam XIV Luna (Iudaica et vitiosa) convenerat, parum sibi constare censet Epiphanium, qui quidem feria tertia Christum Pascha peregisse velit, cum Luna id XIV praestiterit. Est enim contra Evangelii fidem, Christum feria 3 Pascha celebrasse. Propterea ita corrigendum existimat: Christum id egisse feria V, quod oportuerit VII. Ego vero cum nondum suspicarer Epiphanium alio die Christum velle quam feria V Pascha suum obiisse, haec quae de III, IV caeterisque feriis iniicit, similitudinis caussa usurpata credideram. Nam quia Luna Iudaica XIV, Nicaena vero XII celebraverat, ut eam Cycli pravitatem oculis subiiceret, hunc in modum declarare voluisse: perinde istud esse ac si fingamus Iudaicum Cyclum vitii nihil habuisse, reveraque Lunam XIV Nicaenam in Martii XIX incidisse, ac tum cogitemus Christum biduo illam antevertentem XVI Kal. sive Martii XVII Pascha comedisse, feria III, quod feria V, hoc est Martii XIX, fieri decebat. Tam ergo vitiose Cyclus ille Iudaicus decimonono Martii Lunam XIV exhibuit, tamque abnormis a vero Lunae ratiocinio fuit illa V feria Martii XIX, quam tertia cum quinta comparata, si haec ipsa Nicaena fuisset. Denique tota haec Epiphanii disputatio *ὑποθετικὴ* et *λόγου χάριν* assumpta mihi videbatur. Sane negari non potest, quam si feria V celebrasse Christum existimaverit, probabiliter ista dicantur.

Verum dum haec attentius perscrutor, comperi aliam sanctissimi Patris opinionem fuisse et falsam illam quidem, sed ab eo tamen aliquoties inculcatam: nimirum Iudaeos plerosque cum Christo Pascha suum obiisse non feria V, sive pridie eius diei,
179 quo passus est, sed feria tertia. Quod ipsum disertissimis verbis docet in calce Panarii huius, in Expositione fidei c. 22.

Ubi de Ecclesiae ritibus agens meminit inter caetera ieiunii quartae ac sextae feriae, cuius instituti caussam aperit: *ἐπειδὴ περ ἐπιφωσκούσῃ τετράδι συνελήφθη ὁ κύριος καὶ τῷ προσαββάτῳ ἐσταυρώθη. Quoniam ineunte quarta feria comprehensus est Dominus et feria V crucifixus.* Quo posito consequens est, Christum ea nocte, quae feriam 3 sequitur et Iudaice feriae 4 tribuitur, captum esse, cum paulo ante Pascha celebrasset. Audierat itaque et a maioribus acceperat Epiphanius, duas illas ferias Dominicae Passioni recolendae praestitutas fuisse, ac ieiunio consecratas. Cum autem certo constaret, feria 6 in cruce suffixum esse, nulla passionis eius restare visa est alia pars, quam comprehensio et alligatio. Proinde feria 4 appetente captum atque vinctum esse Dominum credidit. Neque vero alio tempore, quam quo Iudaei plerique, celebrare voluit. Igitur etiam Iudaei feria tertia peregerunt. Vitiose, quis negat? Sed quod maxima pars eo die Pascha comederet, biduo cum illis anticipavit. Erat enim feria V Martii XIX celebrandum, cum in hunc diem XIV Iudaica vitiosa concurreret. Cur autem adeo praepropere Iudaei isti Pascha comederent, caussam attulit nullam. Sed hoc tamen significare videtur, Iudaeos nonnullos, videlicet Pharisaeos ac Scribas, communem hunc errorem emendare cupientes Pascha suum in 20 Martii diem distulisse, quo passus est Christus, quo nimirum propius ad Aequinoctium accederent, vel etiam coeleste Plenilunium. Nam hoc verba ipsa tacite demonstrant: *καὶ ἰσημερία πρὸ ἕνδεκα Καλανδῶν Ἀπριλλίων, δι' ἣν πλανηθέντες ὑπέρβατον μίαν ἡμέραν ἐποίησαν.* Ergo *διὰ τὴν ἰσημερίαν*, et fortasse propter Lunam etiam, ne tantopere ab utroque recederent, diem diffuderant. Poterat enim vel ipse sideris aspectus vitii illos admonere, quod saltem minuendum esse decreverunt.

Cum haec Epiphanius manifeste sentiat, caetera quae ab eo dicuntur eodem dirigenda sunt, atque hoc modo constituenda: Christus legale Pascha celebravit cum plerisque Iudaeis XVI Kal. Apr. feria III, Luna Iudaica vitiosa 12, cum feria V Luna XIV vitiosa perfici debuerit. Biduo igitur antevertit. At Pharisaei, Iudaeique alii Luna Iudaica XV Martii XX, quo die passus est Christus, *καθ' ὑπέρβασιν* diei unius a Luna XIV ad XV. Ex iis falsos eos esse constat, qui Epiphanio Graecorum sen-

tentiam adscribunt, quod Christus Pascha Luna 13 celebrarit, ante Iudaeos, qui id postridie peregerint. Non enim 13 Luna, sed 12 Christum id egisse censet, quatenus feria III contigisse putat. Quod si ex communi, certissimaque sententia feria V celebrasse Christum arbitratus esset, non alia Luna quam quae ex vitioso Cyclo XIV foret, factum assereret. Unde ex castigatiori Epiphanii iudicio definiendum est, Christum feria V, Luna XIV cum nonnullis Iudaeis, caeteros vero cum Pharisaeis, feria VI Pascha comedisse. Qua ex Epiphanii opinione duo colliguntur, quae cum de Passionis anno quaeritur, acerrime disputari solent: alterum Iudaeorum principes non eodem cum Christo die legitimo agni epulo perfunctos: alterum cum sine commutatione aliqua temporum ac festorum id accidere non potuerit, translationem aliquam illis temporibus extitisse. Quare ad hanc Epiphanii disputationem illustrandam totidem illae quaestiones paucis hoc loco disceptandae sunt.

[Sequitur Excursus III. *Utrum Iudaei translatione festorum olim usi fuerint* et *Utrum Christus eodem quo Iudaei ceteri die Pascha celebrarit* p. 180—187.]

187 448 c. *συλλαμβάνεται δὲ τῇ τρίτῃ*] Iam haec facilia sunt, intellecta semel Epiphanii sententia. Quanquam librariorum culpa quaedam sunt concepta perperam, quae ex Diagrammate corrigenda sunt. Caeterum *ἡμερινὴν* eam Lunam vocat, quae civiliter ab ortu Solis ad occasum perducitur, *νυκτερινὴν* vero quae noctem occupat. Qua ex observatione corruptae lectionis vitium per sese proditur. Scribe igitur, authore Keplero: *πέμπτη τρισκαιδεκάτη νυκτερινὴ, ἡμερινὴ δὲ δωδεκάτη.* Quod utique necessarium est, si *τετρὰς* fuerit *δωδεκάτη νυκτερινή*. Nam hae sibi invicem succedunt, ut quae *νυκτερινὴ* fuerit, fiat *ἡμερινή*. Notum enim est Iudaeos a nocte diem auspicari. Deinde: *προσάββατον τεσσαρεσκαιδεκάτη νυκτερινὴ πρὸ δεκατριῶν Καλ.* Nam superior dies *πρὸ δεκατεσσάρων* iam habuit. Item *σάββατον πεντεκαιδεκάτη νυκτερινή*. Postremo *ἐπιφώσκουσα κυριακὴ πεντεκαιδεκάτη ἡμερινή*. Nam de Nicaena Luna loquitur, non de Iudaica. Quae omnia ex superiori laterculo repetenda sunt.

448 d. *ἐπιφώσκουσα κυριακή*] Qui hunc Epiphanii locum percurrit, diligenter id animadvertere debet, quod superiori

dissertatione copiose traditum est, falsa haec esse, quae de Luna dicuntur omnia, et ex Epiphanii hallucinatione profecta, qui Aequinoctium a XXV Martii ad XXII; Plenilunium vero ab eadem XXV die ex Nicaena formula, vel potius a XXVI perinde ad 22 transtulerit. Quo posito, Cyclorum omnium ac feriarum rationem permiscuit: quae quonam pacto corrigi possent et in viam ab errore deduci, supra declaravimus. Igitur ex tot errorum argumentis nata est vitiosa illa feria anno Iuliano 76, hoc est Dominica Martii XXII, cum revera esset feria V. *Ἐπιφώσχουσα* ergo *κυριακὴ* Lunam habuit XV diurnam. Hic *ἐπιφώσχουσα* proprie sumitur. Quippe XXII die ab ortu Solis coepit XV diurna: unde *ἡμερινὴ* pro *νυκτερινὴ* substituimus. Alioquin *ἡ κυριακὴ* XV *νυκτερινὴ* dici potest, si eius initium ab antecedente nocte reputatur. Neque vox *ἐπιφώσχουσα* quicquam obstat, quae persaepe de illucescente die, nonnunquam et de diei Iudaico principio, sive nocte antecedente solet usurpari. Non quod lux aliqua sive Lunae, sive stellarum saltem oriens utcunque diem auspicetur, quod Casaubonus in Exercit. 16, 15 verum existimat, ut cum Lucas ait 23, 54; *καὶ σάββατον ἐπέφωσκε*, sic accipiendum sit, ut si dixisset, *καὶ ἐπέφωσκεν ἡ σελήνη ἡ ἄγουσα τὸ σάββατον*. Haec enim sententia subabsurda et supervacanea videtur. Verum simpliciter et nullo alio subaudito *ἐπιφώσκειν* est *appetere*, vel *inire*, *adventare*. Hoc autem ex eo natum arbitror, quod cum prima, ac naturae maxime consentanea diei appellatio lucem significet, tempusve ab ortu Solis ad occasum, pleraeque postea nationes variis temporum initiis constitutis diem nihilominus appellarunt spatium illud temporis, quod ab eo puncto, quod sibi statuerant, ad idem punctum revolvitur. Quare ut in primaria illa ac naturali diei notione *ἐπιφώσκειν* proprie dies dicitur, quod eius initio Sol oritur, ut et *ἡμέρα, ἀπὸ τῆς ἠοῦς*, ita translatis ad reliquas formas diei appellationibus, idem hoc usurpatum initii vocabulum est, etsi minus quam illic proprie. Sive 188
igitur a media nocte, sive a meridie, sive ab initio noctis, diei repetatur exordium, *ἐπιφώσκειν* ubique dies, hoc est inchoari et inire simpliciter dicetur. Quemadmodum *νουμηνίας* vox cum nascentem Lunam proprie significet, ad omnia mensium initia, etiam minime Lunarium, transfertur, puta tricenariorum et Ae-

gyptiacorum. Unde alia est *νουμηνία κατὰ σελήνην*, alia *οὐ κατὰ σελήνην*. Hoc ego sensu *τῷ ἐπιφώσκειν* Evangelistas simpliciter usos arbitror: ut cum Matth. 28, 1 ita loquitur: *ὀψὲ δὲ τῶν σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν τῶν σαββάτων*. Ubi nulla argutatione opus est ut vel dies ipsa a nocte incipiens tum demum, cum Sol oritur, *ἐπιφώσκειν* dicatur: vel ut Luna aut sidera subaudiantur. Nam hic meo iudicio sensus est: confectis Sabbatis, sive hebdomada peracta, die sequenti, quae inibat cum feria prima, quod apertius Lucae 23, 54 declaratur. *καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευὴ καὶ σάββατον ἐπέφωσκε*. Ubi verbum *ἐπέφωσκε* nullam lucem significat, sed initium. At apud Epiphanium in Expositione fidei c. 22 circa gallicinium *τῆς κυριακῆς ἐπιφωσκούσης* solvi Paschale ieiunium dicitur, hoc est post mediam noctem, a qua diem Christiani inchoant: item paulo post scribit nonnullos hebdomada sancta vigilare *τὴν μετὰ τὴν πέμπτην ἐπιφώσκουσαν εἰς τὸ προσάββατον*. Ubi *ἐπιφώσκειν* videtur proprie sumpsisse, quasi nox postridie lucescat, hoc est in lucem desinat. Noctem enim intelligit, quae Parasceuem praecedit.

καὶ ὅτι ἀνάστασις καὶ ἰσημερία] En erroris argumentum. Christum enim, quem Aequinoctio ipso resurrexisse didicerat, hoc est XXV Martii, eo die resurrexisse credidit, quo Diocletiani tempore Aequinoctium incidit. Nam ex Anatolio, ut opinor, et Alexandrinis veteribus Aequinoctium Martii XXII statuit, cum Nicaenum aliquot annis postea in vicesimum primum intulerit. Unde qui successerunt Alexandrini scriptores XII Kal. hoc est XXI Martii Aequinoctium fixerunt, ut inter alios Proterius Alexandrinus apud Bedam lib. de Aequin. Vernali qui est Tomo III. Is inquam 25 Phamenoth, qui est 12 Kal. Apr. Aequinoctium collocavit, Leonis Papae temporibus. Itaque *μνημονικὸν* est *ἁμάρτημα* eruditissimi Kepleri, dum in Eclogis p. 193. Proterium ait circa initium Diocletiani Aequinoctium XI Kal. definiisse: sed Anatolio id convenit, cuius illustre fragmentum describit Eusebius 7, 26 ex eiusdem Paschalibus Canonibus, quod et Beda commemorat Lib. de Aequinoctio, ubi et Anatolii verba ex depravatissima Ruffini interpretatione perperam accepta alienam in sententiam detorquet. Quare cum ex eo Anatolii decreto, tanquam ex fonte Epiphanii doctrina pro-

fluxerit, nobis integrum non est, tam illustrem disputationem silentio praetermittere.

[Sequitur Excursus IV quo *Anatolii insignis locus expenditur* p. 188—201.]

448 d. *ἥτις ἐμπίπτει διὰ ἐτῶν τριῶν*] Keplerus *ἥ* 201 *τινι* legit.

449 a. *καὶ ἄλλας κατ' ἔτος τέσσαρας ὥρας*] Cuiusmodi XII constat *τὸ νυχθήμερον*. Nam hora apud Epiphanium duae sunt aequinoctiales horae.

ὡς εἶναι εἰς τὰ τρία ἔτη] Vide quae superius adnotavimus.

διὸ παρ' αὐτοῖς πέντε μῆνες] Caussativa ista particula aegre cum superioribus cohaeret. Forte idem est quod *διότι* vel *ὅτι*, nec inferendi vim habet, sed novam sententiam inchoat, qua 14 annorum Cyclus exponitur. Quod si illativam esse mavis, ad antecedentia pertinebit. Nam quia Lunaris annus dies habet 354, fit ut tertio et sexto anno singuli menses et in totum 14 annis, quinque menses intercalentur, quod 11 diebus Solaris annus Lunarem superet. Utcunque sit, 14 annorum Cyclum indicare videtur, in quo quini menses inserantur. Sed utrum in usu politico observatus ille Cyclus fuerit, an penes Synedrium retentus et ad methodum conformatus, cum plenorum cavorumque mensium perpetua successione communis annus evolveretur, antea dubitavimus.

διὰ τὸ ἀφαιρεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἡλιακοῦ] Cur 14 annorum orbe Neomeniae conclusae sint, caussam ista reddunt, sed pro varia Cycli dispositione diversa fingi potest. Nos duplici ratione Cyclum explicari posse diximus. Prima est, ut annis Lunaribus praecise trecenti et quinquaginta quatuor dies, horae octo tribuantur: 14 autem annis dies 5108, horae 4. Hoc temporis spatio Cyclum constituebant, in quo solius Lunaris *ἀποκαταστάσεως* rationem habebant, nec illius ratiocinia cum Sole comparabant. Quare de ultimo, hoc est 14 anno Solari, et quidem politico, qui est 365 dierum, dies quinque et horam unam detrahebant, propterea quod si ex 5104, 4. Iulianos 13 eximas, decimus quartus dies habebit 360, una hora minus, quo intervallo Lunares Neomenias restitui credebant. Sed haec *τεχνικῶς* duntaxat, non politico usu, secundum quem,

si minor hic Cyclus usurpatus fuerit, horae illae 4 appendices in finem Cycli reiectae sunt. Itaque cum post Cyclum Lunarem 14 annorum, de Solis rationibus quinque dies, horae octo reliquae forent, quinque dies duntaxat superesse sibi persuaserant, quibus reservatis, post Cyclos minores sextum mensem solidum intercalabant. Ita dies fiebant 30679. Quorum *οἰκονομίαν* Typus ille antea propositus ostendit.

Altera ratio, si quinque dies solidi ex horis octo conflati 14 annis arrogentur: quae omnia diligenter habes explicata superius. Ubi et ex utraque methodo Epiphanii verba correximus.

202 449 a. *τοῦ ὀγδοηκοστοῦ τετάρτου ἔτους*] Mensem illum embolimum 31 cum in fine 84 anni intercalari debuerit, in sequentis Cycli primum annum coniici, docet Epiphanius. Atqui Tessaracaedecaët. postremus annus proprio iam embolimo praeditus est. Duo igitur embolimaei sese proxime sequentur. Quod olim factum esse Hebraeorum Doctores asserunt. Imo vero menses ipsi embolimi duo simul inculcabuntur, eruntque tria Adarim. Sed tertius anni 85 initium erit, ne si Nisan pro Adar substituatur, Epocha relicta, Neomenia in anteriora laxius evagetur. De duobus embolimaeis proxime consequentibus fatetur Keplerus; posterius, de tribus Adarim obiici potest. Sed utrumque ex Laterculo et superiori disputatione commodissime dissolvitur. Nam aliud est Tessaresdecaëteridas seorsim ac separatas intueri, aliud in maiore Cyclo aptas invicem et consertas. Minores Cycli singuli per sese 5 menses embolimos in 3, 6, 8, 11, 14 annis postulant, sed in continua serie et in maiore Cyclo non semper 14 embolimaeus est. Unde neque duos Adarim exigit. Postremus vero ultimi Cycli annus, qui est 84. Adar quidem alterum sibi vendicat, eo quod mensis ei 31 ex Epactis Cyclorum accrescit, proindeque 6 Embolimaeos habere debet, ut cum Solari anno utcunque Lunaris adaequetur. Verum author est Epiphanius in 85 annum mensem illum esse dilatum, qui cum revera sit Adar, Nisan a Iudaeis, ut opinor, est factus. Inde accedit, ut Epocham anni sui anteverterint et in eodem anno bis Pascha celebraverint. Quod uberrime antea declaratum est.

449 b. *οἵτινες ὤφειλον εἶναι*] Mendum hic esse et quidem duplex superiora satis ostendunt. Primum *τριάκοντα μῆνας*

legendum, non τριακονταεὶς μήν. Deinde falsum est supra 30 menses reliquos esse, dies 24, horas 6. Alioqui ex Tessaradecaët. Iuliana dierum 5113, 12, relinqui tantummodo dies oporteret quatuor, horam unam, essetque Lunaris Tessaradecaët. dierum 5109, 11. Syzygiae singulae 29, 12, 49′, 35″, $^{125}/_{134}$. Aut si de 14 Iulianis annis eximantur horae duae, ut sint dies 5113, 10 Tessaradecaët. Lunares singulae dies habebunt 5109, 9. Syzygiae 29, 12, 48′, 54″, $^{18}/_{173}$. Quod ego verum non arbitror. Corrigendus itaque Epiphanii, aut librarii ipsius error, et vel εἴκοσι ὀκτὼ ἡμέραι, vel εἴκοσι ὀκτὼ καὶ ὧραι τρεῖς hoc loco scribendum. Vide quae antea diximus.

ἕνεκεν τοίνυν τούτου] Non illud significat, quod arbitratur Keplerus et quod prima specie velle videtur, ex huius Cycli pravitate biduo Iudaeorum Pascha legitimum tempus antecessisse, quasi bidui tantum προήγησις a vera 14 facta sit: Pharisaeos vero diei unius ὑπερβάσει constituta, uno die duntaxat anticipasse, cum biduo solido Christus Nicaenam XIV anteverterit. Nam eodem sensu hoc loco dixit Iudaeos προλαβεῖν ἡμέρας δύο, quo superiore numero (c. 26), ἔφαγον τὸ πάσχα πρὸ δύο ἡμερῶν τοῦ φαγεῖν. At illic bidui anticipatio nequaquam ad Nicaenam XIV, sed ad Iudaicam vitiosamque comparatur, quae eum in feriam V Martii XIX incideret, Christus cum Iudaeorum vulgo feria III Martii XVII Pascha celebravit. Quare neque hoc loco δύο ἡμέρας προὔλαβεν Nicaenam XIV, sed ex Cyclo communi Iudaicam. Propterea sic Epiphanii mens interpretanda videtur: ἕνεκεν τούτου, hoc est cum depravata illa methodo ac Cycli dispositione uterentur, secundum quam 14 Luna biduo coelestem, hoc est Nicaenam anteveniret, animadversa labe, Pharisaeos, quo ad Plenilunium propius accederent, Pascha in 15 Lunam distulisse. Itaque dupliciter vitiosa Paschatis celebritas fuit: primum apud eos, qui feria 3, Luna 12 Iudaica Pascha comederunt, quod feria 5, Luna 14 faciendum erat: tum apud Pharisaeos, qui ὑπερβάσει recepta 14 Cycli sui praetergressi sunt. Christus porro cum maiori populi parte feria tertia celebravit. Ita quidem Epiphanius, nec aliter interpretari licet, aut ab errore vindicare. Neque enim feria tertia, hoc est quarto ante Passionem die, Christus Paschate functus est, neque biduo in vinculis habitus, quod frustra credidit Epiphanius. Nam de 203

σταυρώσεως tempore nobiscum sentit. Emendandus igitur est ad eum modum, quem supra demonstravimus p. 172.

ὑπέρβατον προθέντες] Forte προσθέντες.

449 c. καὶ ἐκεῖ τὸ Πάσχα] Quid hic audio? ἐκεῖ, id est, in horto, Pascha manducasse? Minime id quidem. Sed vel ἐκεῖ ad superiora pertinet, vel traiectione peccat hic locus. Quod subiicit: οὐκ ἄλλως ποιήσας, Christum excusat, cur non legitimo tempore Pascha peregerit, quod ad publicum et communem usum accommodare se maluerit.

450 a. εὐθὺς πρῶτος Οὐαλεντῖνος] Haec ex Irenaeo expressa sunt, qui 2, 38. Valentinianos refutat, qui 30 Aeonum collegium hoc annorum Christi numero fulciebant. Quippe Christum asserebant anno aetatis 30 passum esse, mense 12. Contra quos c. 39 demonstrat, biennio et aliquot mensibus praedicasse. Posteaquam igitur de utroque anno, tam quo natus, quam quo passus est Dominus, accuratissime disputavimus, consentaneum est, ut de Paschatum, quae post Baptismum Christus obiit, numero difficillimam quaestionem explicemus. Quam nos hunc ipsum in locum merito distulimus, quod cum superiori de Passione Christi disputatione connexa atque implicata videretur.

[Sequitur Excursus V. *Quot secundum Baptismum Paschata Christus obierit* p. 203—209.]

209 450 d. εὑρίσκομεν γὰρ καὶ ἐμφερόμενόν που] Quibus in libris reperisse dicat, non satis declarat. An de hoc suo opere loquitur Epiphanius, in quo librariorum oscitantiam accuset? Verum ex iis quae sequuntur, videtur καθόλου Chronologicos, sive Historicos commentarios intelligere. In quibus si 40 Augusti anno natum Salvatorem esse proditum fuit, non adeo recens est illa Dekerii assertio quae eum ipsum annum tuetur.

451 a. φάσκει γὰρ ὅτι πρὸ δέκα δύο καλανδῶν Ἰουλίων ἢ Ἰουνίων οὐκ ἔχω λέγειν] Mendosus procul dubio iste locus est. Neque enim, opinor, asserebant illi, apud quos quadragesimo Augusti anno natum Salvatorem reperit,
210 Natalem eius XII Kalend. Iunias, vel Iulias accidisse, sed, ut sequentia demonstrant, de Conceptionis die locuti sunt. Quare restituendum verbum est συνελήφθη, quod culpa

librariorum effugit. Utinam caetera tam facile extricare possem! quae sunt impeditissima. Imprimis enim par illud Coss. *Σουλπικίου Καμμαρίνου* et *Βηττέω Πομπηϊανοῦ ὑπάτων* nullis in Fastis reperio (quos fuisse suffectos oportet, per illa tempora). Cum igitur authores illi, quos citat Epiphanius, natum dixerint Christum anno Augusti 40, conceptum vero Iunio vel Iulio mense, ac 7 duntaxat menses in utero gestatum, si Natalis eundem cum Aegyptiis et Epiphanio diem statuerint, convenient hi Coss. in annum Augusti 39. Sed Augusti Imper. annorum diversa sunt initia, de quibus copiose dictum est. Nam aut ab ipsa Iulii Caesaris nece, Iuliano 2 numerantur, aut a sequente, Iuliano 3. Unde 40 Augusti Iulianus est vel 41 vel 42, in quorum alterutrum natalem Christi scriptores illi coniecerant, conceptum autem asserebant Iuliano 40 vel 41, quorum aliquis suffectos illos Coss. habuit. Verum quoniam Augusti annos ab Epiphanio *κατὰ πρόληψιν* numerari docuimus a Kal. Ian. ut annus illius 42 sit Iulianus ille, cuius ab Augusto mense 42 Augusti inierit: unde ex eiusdem sensu 42 Augusti Coss. sibi vendicat Aug. 13 et Silvanum, hac ratione 40 Augusti cadit in Consulatum C. Calvisii et L. Passieni, 39 vero Aug. 12 et L. Sullam Coss. habet, quibus suffecti sunt Sulpicius Camerinus et Pompeianus ille Buteo, de quibus circa hos annos nulla in Fastis mentio. Sed anno demum Iuliano 54 Q. Sulpicius Camerinus et Poppaeus Sabinus Coss. adscribuntur. De *Βηττέῳ Πομπηϊανῷ* nihil reperio. Quod nomen mendose in dandi casu scriptum est. Corrig. itaque *Βηττέω Πομπηϊανοῦ*, quod orationis series postulat. Alioqui non sum nescius, quin Latino more Coss. nomina per dativum interdum expressa legantur, ut in Vet. Inscript. Alex. Chronicon p. 497 anno Augusti 40 natum esse Christum memorat, monarchiae 28. Sed mendosum esse locum necesse est, quia p. 453 annos Augusto tribuit 56, menses 6, ex quibus 14 post Christi natalem vixit. Unde 42 agere debuit, quo tempore natus est Christus. Caeterum Cornarius pro *Βηττέω Πομπηϊανοῦ* Cn. *Pompeiano* reddidit. Nos Buteonem utcunque maluimus, quod Fabiorum cognomen fuit.

451 a. *εὑρήκαμεν γὰρ ἀπὸ τούτου τοῦ Προποσώπους*] Foedissimum hic mendum est, de quo capillum non promittam,

neque occipiam hariolarier. Quanquam ex consequentibus quid scribendum fuerit elici potest. Etenim ab eo die, quem isti natali praefixerant, ad A. D. VIII Eid. Ian. menses ait interesse 7 Lunares, minus diebus 4. Atqui 6 Lunares menses dies colligunt 177, quibus additi 26 efficiunt dies 203, qui de 371 detracti relinquunt dies 168. Itaque 169 die a Kal. Ian. hoc est XIV Kal. Iulias conceptum esse Christum et 203 postea die, sive 6 Ian. natum asseverarunt illi, de quibus Epiphanius loquitur. Adeoque sic concipiendus hic locus fuit: *ἀπὸ τῶν πρὸ δέκα δύο Καλανδῶν Ἰουλίων.* vel quia dies est Epiphi 24, *ἀπὸ τῆς τοῦ Ἐπιφὶ κδ'.* At Cornarius *πρὸ Πίσωνος* legisse videtur. Quod non est improbandum: ut ita fortassis interpretandum sit: ab anno Consulatus Aug. 13 et Plautii, atque a XIV Kal. Iul. eius anni ad 11 Tybi, quo Lentulus et Piso Coss. fuerunt, 7 Lunares menses intercessisse.

211 451 b. *τινὲς δέ φασιν ὡς δέκα μῆνας*] Si natalem Domini 11 Tybi, sive Ian. 6 constituerint opinionis illius vindices, conceptum eius ipsis Kalend. Aprilis posuerint oportet. A quo die ad 6 Ian. menses numerantur 9, dies 15, qui sunt dies in totum 281. Quod si ex communi sententia in 25 Dec. natalem contulerint, conceptus Christi cadit in Martii 20. Epiphanius vero pro comperto habuit, Christum natum esse 6 Ian. quae fuit Aegyptiorum opinio. Quamquam utrum ea die sit natus dubitasse videntur, ut Cassianus 10 Coll. c. 2 significat. Clemens Alexandrinus 1 Strom. varias ea de re sententias refert. Ut eorum, qui 25 Pachon natum dicerent, hoc est Maii 20, Basilidianorum, qui 15 Tybi, sive Ian. 10. Aliorum denique qui ut Epiphanius 11 Tybi. Ipse vero Clemens a natali Domini ad obitum Commodi annos numerat 194, mensem 1, dies 13. Quod si verum esset, natalis Christi conveniret Athyr 22, qui est Nov. 18. Commodus enim obiit anno aerae Dionysianae 192 Prid. Kal. Ian. Natus igitur erit Christus Iuliano 43 Nov. 18. Sed vetus et ab omni Ecclesia recepta traditio est, Christum Dec. 25 natum esse, quam nemo prudens temere sollicitaverit. Quare ridicula et explodenda est Scaligeri divinatio, qui in append. Operis de Emend. Temp. et Isag. Can. 3 ex ephemeriarum et sacerdotalium functionum orbe natalem Christi coniiciendum asserit in Sept. exeuntem. Quod merum somnium est,

neque ulla demonstratione, aut certo aliquo firmamento nititur. Primum quia nondum satis exploratum est, quae fuerit apud Iudaeos anni ac mensium dispositio. Deinde nec illud certum est, utrum Iudas Maccabaeus cum sacrificia et Sacerdotum functiones instauraret, ἄνωθεν καὶ ἀπαρχῆς Ephemeriarum orbem repetierit, an post interruptum ἐνδελεχισμὸν, ἐφημερίαν illam substituerit, quae priori, sub qua templum ab Antiocho violatum est, successura fuerat. Ad haec Maccab. 1, 4, 42 Sacerdotum delectum habuisse dicitur, eorum scilicet, qui integri immaculatique forent, quales nondum fortassis erant primae vicis Sacerdotes. Postremo baptizatum esse Christum Iuliano 24 vel aetatis absoluto 30 sumptum a Scaligero, non demonstratum est, ut suo loco probavimus. Quod si quod in illo vicium et ephemeriarum circuitu momenti ad eruendum Christi annum esse videtur, potest quilibet nonnullis eodem, quo Scaliger, iure usurpatis ac positis, quocunque libuerit orbem illum ad circuitum deducere. Nam et Keplerus ex eadem illa serie natalem Domini in 25 die Decembris retinuit.

Sed ut ad illam revertar, quam Epiphanius adduxit, nonnullorum rationem, qui ex 10 mense dies aliquot libasse Christum in utero matris existimarunt, quod Sap. 7, 2, scriptum sit: *Decem mensibus concretus in sanguine,* eodem argumento Catholicus Armeniae usus est in Epistola, quam citat Scal. in Isag. Can. p. 301.

καὶ περὶ αὐτὴν τὴν ἐνδεκάτην] Quoniam natum esse Christum 6 Ian. arbitratus est, baptizatum vero 8 Nov. facile fuit Epiphanio primum illud mutatae aquae miraculum eodem, quo natus erat, die factum asserere. Verum cum veteri Ecclesiae consensione non Ian. 6, sed Dec. 25 Christi natalis attributus sit, Baptismus vero Ian. 6, fieri non potest ut aut eo- 212
dem, quo natus est, aut etiam, quo baptizatus est, die aquam in vinum verterit. Alioqui perabsurdum est, anno demum post baptismum elapso, cum iam, ut ante docuimus, praedicationem orsus esset, primum ab eo miraculum editum velle. Hoc enim Evangelicae historiae manifeste repugnat, multo vero magis, si tria duntaxat Paschata cum veteribus assignemus. Quamobrem alio die quam 6 Ian. miraculum istud accidit, tametsi eodem

quo baptismus die ab Ecclesia celebretur. De quo vide Perrerium lib. 11 Com. in Dan. et Baron. in Ann.

451 c. *διὸ καὶ ἐν πολλοῖς τόποις*] Quod horum fontium historiam et Epiphanii fidem in dubium revocavit Calvinista quidam nuperus in Casauboni Defensione, facit impudentissime. Sed hunc Epiphanii locum pluribus illustravit Heribertus Rosuverdus noster in Talione contra Casaubonum, a quo iniuria notatus erat Illustrissimus Annalium conditor.

452 a. *Κανᾶ γὰρ ἑρμηνεύεται*] Vocabuli huius originem a verbo קנה deducit, quod possidere significat.

452 d. *φάσκει πάλιν ὁ Λουκᾶς*] Quomodo cum caeteris Evangelistis Ioannes consentiat, ex eo deducit, quod Pascha primum, Ioan. 2 diserte nominatum ab aliis expressum sit, cum Sabbati Deuteroproti mentionem faciunt. Hoc enim post primam Azymorum incidit. Historiam vulsarum spicarum ad primum Pascha merito refert Epiphanius, ex fine cap. huius intelligere potes, quod est Harmoniae supra a nobis propositae consentaneum. Iam vero ex hac caeterorum suffragatione Alogorum, Valentinianorum ac caeterorum mendacium convincit, qui unicum duntaxat Christo Pascha tribuerint. Cum enim eum post primum Pascha vixisse et per sata transiisse constet, falsum est uno Paschate res ab eo gestas circunscribi debere.

Ἵνα δείξῃ σάββατον πρῶτον] De Sabbato Deuteroproto vide quae ad Haer. 30, 32 disputavimus: nam illo loco priorem Epiphanii sententiam et quidem probabiliorem exposuimus. Quae autem hoc in numero traditur obscurior est et a vera vocabuli illius origine ac notione remotior. Duplex apud Iudaeos Sabbati genus constituit. Unum antiquius et naturale, quod ab rerum initio conditum est, alterum secundum et posterioris ordinis, quia Iudaei festa omnia Sabbata vocabant, quod e Scriptura demonstrat. Mox vero subiicit: *εἰς δὲ ἑπτὰ ἡμέρας πάλιν ἀνακυκλούμενον δεύτερον καλεῖται πρῶτον.* Ex quibus, ut et ex sequentibus illa Epiphanii sententia posterior elicitur, Sabbatum Deuteroproton esse Pentecosten, in qua *δεύτερον* illud Sabbatum *πρῶτον* appelletur. Cur autem *δευτερόπρωτον* dicitur, nihil apertum ac liquidum ex Epiphanii verbis extricare possum, sed illa Maldonati opinioni huic aptissima videtur; quoniam ex primariis tribus festis, sive Sabbatis, Azymorum, Pri-

mitivorum et Scenopegiae, proximum a priore et *δεύτερον* sit Pentecostes solenne, ideo *δευτερόπρωτον* appellari. Haec igitur altera est Epiphanii sententia, ac vocis illius interpretatio, a superiore longe diversa et, si verum fateri volumus, minus quam illa probabilis.

453 a. *τοιαύτη ἁγία τοῦ προσαββάτου*] Prosabbatum nihil aliud est quam Parasceue, quo ad hunc locum pertinet nihil. Non enim Azymorum 7 in Parasceuen necessario convenit, quam subinde in 1 aut 2 aut 3 feriam cadere posse declarat. Aut igitur expungenda ista vox est, aut *προσάββατον* 213 pro 6 hebdomadae diebus usurpavit, quas חול, hoc est profanas, nominant, quaeque Sabbatum antecedunt.

453 d. *διὰ τὸ μὴ εἰς πλάτος*] Scribe: *διὰ δὲ τὸ μὴ εἰς πλάτος φέρειν τὸν λόγον, ἐπὶ τὴν ἀκολουθίαν.*

455 a. *εἶτά τινες ἐξ αὐτῶν πάλιν*] Obiiciebant Haeretici mendacem fuisse Ioannem, qui ad eam Ecclesiam edita sibi a Domino mandata scriberet, quae nulla tum esset. Respondet Epiphanius, hoc ipso constare Propheticum hunc esse librum, cum ad Ecclesiam scripserit, quam olim futuram cognosceret, tametsi quibus scribebat temporibus nondum extaret ulla. Sed haec Epiphanii responsio nisi *ἀντιλεκτικῶς* et ad hominem, ut vulgo loquuntur, accipiamus, haud satis probabilis videtur. Ac longe melius est, negare Ioannis tempore nullam Thyatiris Ecclesiam extitisse, quod impudenter Haeretici mentiti sunt.

455 c. *νῦν δὲ διὰ τὸν κύριον ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ*] Duae illae quae sequuntur notae temporum vel librariorum vitio, vel authoris ipsius hallucinatione depravatae sunt. Hieron. in Script. Eccles. Ioannem asserit Apocalypsin scripsisse Domitiani 14, qui iniit Iuliano 139, Christi 94, Nonio Asprenate et Arricino Coss. Quare vel hoc ipso anno, vel sequenti saltem Ioannes Apocalypsin scripsit. A quo tempore ad annum Christi 375, quo Epiphanius hoc opus elaborabat, anni sunt 281, non 112 ut habent Epiphanii verba. Deinde falsum est, quo tempore scripta est Apocalypsis, Thyatiris Cataphrygas Haereticos fuisse, qui nondum emerserant. Nam ut eos quam antiquissimos faciamus, non ante tempus Antonini esse potuerunt, cuius anno 19 Montanus prodiit, ut Haeresi 48 scripsit Epiphanius, qui annus congruit Christi 156. Atqui nos ibidem Epiphanium

aberrasse docuimus, nec ante Aurelii tempus exortos Cataphrygas, eiusque anno 11, ut scribit Eusebius. Quare longe infra illud tempus amandandi sunt.

ὃς ἦν χρόνος μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἀνάληψιν] Aliud agens Epiphanius haec scripsit. Non enim post *ἀνάληψιν*, hoc est ascensum Domini, sed post eius *γέννησιν*, et natalem 93 elapsis annis Apocalypsin Ioannes attigit. Verum perplexe admodum loquitur Epiphanius, et cum antea fateri visus sit, Ioannis tempore nullum Thyatiris vestigium Ecclesiae superfuisse, mox idipsum post Apostolorum ac Ioannis aetatem contigisse dicit: *διὸ καὶ ἐσπούδασε τὸ ἅγιον πνεῦμα ἀποκαλύψαι ἡμῖν, πῶς ἔμελλε πλανᾶσθαι ἡ ἐκκλησία μετὰ τὸν χρόνον τῶν ἀποστόλων, τοῦ τε Ἰωάννου καὶ τῶν καθεξῆς*, quod tempus annis 93 *μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἀνάληψιν* definit. Si Cataphrygum Haeresis anno Christi 156, hoc est Antonini 19, initium habuit, ut censet Epiphanius, Christus autem passus est et in coelum subvectus anno 34 vel 33, additis 103, fiunt anni circiter 126, quibus elapsis Thyatirorum Ecclesiam intercidisse putat, quod ne ipsum quidem tempus ad Cataphrygum originem convenit. Quare nisi librariorum culpa vitium in numerorum notas incurrerit, Epiphanium errare necesse est.

κατ' ἐκείνου καιροῦ] Scribe *κατ' ἐκεῖνο*.

214 456 a. *ἐν χρόνοις Κλαυδίου*] Perperam, ut supra monuimus. Nam sub Domitiano relegatus est.

456 d. *οἵτινές εἰσιν Ἀσσύριοι*] Persae ad Euphratem minime siti sunt. Sed *πλατυκῶς* pro Persarum imperio Persas usurpavit. Quatuor Monarchiae, quae Dan. 7 capite describuntur, neque recte ab Epiphanio numeratae sunt, et ad Apocalyps. locum illum nihil omnino faciunt. Nam haec Ioannis visa ad extrema mundi tempora referuntur, quibus 4, hoc est universi Daemones, vel eorum praecipui, qui hactenus alligati fuerant, soluti vinculis in humani generis perniciem grassabuntur. Haec simplicissima loci huius expositio quatuor illas veteres Monarchias excludit, quae ne ipsae quidem ab Epiphanio ex historiae veritate proponuntur. Nam ut omittam Assyriorum imperii, quod iampridem interciderat, mentionem apud Danielem fieri nullam, certe proximi ab Assyriis Medi sunt, inde Babylonii. Quanquam Assyrios, nisi fallor, non veteres illos intelligit,

orum ultimus Sardanapalus ab Arbace imperio exutus est, posteriores, qui extincto vetere illo amplissimoque regno, eius ruinis excitati sunt, ut et Babyloniorum imperium. Sed eque videntur antiquiora Medorum initia, si quid Diodoro caeteris omnibus Historicis creditur. Qua de re ita paucis ipe. Cum ex omnium ferme Scriptorum authoritate constet, te Cyrum et Persas, maxima duo Imperia floruisse, Assyrio- a Nino et Medorum, Cyrum autem Olymp. 55 anno primo, ineunte, sive potius labente coepisse, demus, id quod alibi monstrabitur, exeunte anno primo Olymp. 55 Cyrum Astya- vicisse, annus hic erit in Iuliana Periodo 4155, ante Dio- sianam aeram 560. Ante hunc igitur annum Assyriorum dorumque tempora collocanda sunt; quae ob vetustatem, riptorumque dissensionem parum certa, sic ordinanda putamus. dorum Imperium Ctesia et Diodoro testibus 300 ferme ac annos obtinuit. Coepit igitur anno Per. Iul. 3838. Assy- rum regno mille ac trecentos circiter a Belo tribuimus, prae- te in Chronicis Eusebio. Quamobrem initium Beli convenit o Per. Iulianae 2539. Ex iis consequens est Medorum pri- rdia centum annis Olympiadas antecessisse, quarum initium ius est in Per. Iul. 3938. Constituto Medorum imperio, quaedam alia paulatim effloruerunt, Assyriorum ac Baby- iorum, quae Assyrii illius maximi ac diuturni velut naufragio iectas ubique tabulas arripuerunt. Quorum apud exteros riptores pertenuis est et obscura memoria, in Sacris vero ris cum amborum, tum Babyloniorum praesertim luculenta ac frequens mentio. Sed priores memorantur Assyrii, quo- primus 4 Reg. 15, 19 occurrit Phul, qui et Belochus di- ar. Hunc a Medis defecisse probabile est. Successit Teglath lassar ibid. com. 29. Inde Salmanassar 4 Reg. 17, 3. Tum nacherib eius filius 4 Reg. 18, 13. Postremus fuit Assar- lon c. 19, 37. Iam vero primus Assyriorum principum Phul Manahen Israëlis et Azaria Iudae rege collocatur. Azarias t anno Per. Iul. ut arbitramur 3905. Quare Assyriorum num, quod sub Azaria fundatum est, longe posterius est dorum initio, videlicet annis fere 70. Ad haec Ezechias coepit 215
Chronologiae nostrae ratiociniis Per. Iul. 3987. Ergo annus eius , quo Sennacherib interfectus videtur, est Per. Iul. 4000 circiter.

At Babyloniorum regnum, si a Nabonassaro repetas, aliquot annis post Assyriorum initium extitit. Coepit enim Nabonassari aera Babylone Per. Iul. 3967. Primus autem e Babyloniis Regibus in Scripturis nominatur Merodach filius Baladan 4 Reg. 20, 12, circa annum Ezechiae 14, circa Per. Iul. 4000 eodem tempore, quo Sennacherib et Assaraddon in Assyria regnabant. Quare Merodach iste vel idem est cum Nabonassaro, vel potius Baladan Merodachi pater, a quo Babylonicum imperium ad Nabuchodonosorem et posteros usque propagatum est, donec a Cyro et Persis extinctum est. De posterioribus Assyriis suspicor locutum Epiphanium, potius quam de antiquis illis. Quem nos ut ab errore utcunque vindicemus, quatenus Medos Babyloniis posteriores posuit, ad Darium illum Medum respexisse credimus, qui ex multorum sententia Medorum postremus rex fuit et cum Cyro, Babylone capta, eandem solus obtinuit. Quod etsi nequaquam probamus (neque enim Darius ille Danielis Medorum rex fuit) nihilominus ex eo manavit praepostera illa regnorum apud Epiphanium distributio. Alioquin certissima est et ad Danielis visionem accommodatissima Hieronymi sententia, quatuor animalia totidem imperia significare, Babyloniorum, Persarum, Macedonum, Romanorum.

457 a. *ἐπιτρέπειν τοῖς ἔθνεσιν εἰς πόλεμον*] *ὁ νοῦς*, Angeli nationum praesides vincti detinentur, prohibenturque ne subiectos sibi populos ad bella provocent.

AD HAERESIN LII ADAMITARUM.

Spurcissimae huius Haeresis authorem Theodoretus facit Prodicum, cuius meminit Clem. 3 Strom.

459 b. *ἔθμην*] Hesych. *ἐθμὴ ἀτμὸς, καπνὸς λεπτὸς, ἀτμή.*

δίκην καμψαρίων] Idem Hesych. *κάμψα, θήκη, γλωσσοκομεῖον.* Et *καμψία κανᾶ κανίσκια.* Suidas *κάψα κίστη, ἢ θήκη.* Igitur Capsarii sunt *ἱματιοφύλακες*, hoc est, ut Glossae reddunt, *vestiarii.* Supra in Hebion. *olearios* vocabat. Paulus lib. 3. §. ultim. D. de Offic. Praet. Vig. eadem voce capsariorum appellat.

AD HAERESIN LIII SAMPSAEORUM.

De ea iam in superioribus diximus, ut et de Elxaeo, sive Elxai.

AD HAERESIN LIV THEODOTIANORUM. 216

Theodoti Coriarii Byzantini meminit Eusebius Hist. 5, 27 et alii citati a Baronio A. 196. Augustinus Theodotionem nominat. Extant Collectanea e Theodoti cuiusdam scriptis apud Clem. quae non sapiunt Catholicum.

463 b. *οὐκ οἶδα εἰπεῖν ἐν τῷ τοιούτῳ*] Correximus *ἀκολῳ*. Sub M. Aurelii persecutione istud contigit, ut Baron. ibidem asserit.

464 b. *καὶ ἀγνοεῖ ὁ ἐλεεινός*] Vide Interpretes, imprimisque Maldon.

465 a. *εἶτα, φησὶ, καὶ τὸ εὐαγγέλιον*] Vis ista ratiocinationis huius fuisse videtur. Theodotus ut probaret Christum merum ac simplicem hominem esse Lucae verbis utebatur, quibus Angelus Mariae dixit superventurum in eam Spiritum sanctum, non autem in ea futurum, vel, ut paulo post loquitur, in eam ingressurum. Nam illa verba, *ἐπελεύσεται ἐπί σε*, adventitium aliquid et extrinsecus accedens indicare videntur.

466 a. *προφασίζεται πάλιν ὁ Θεόδοτος*] Hieremiae locus ille, quem Theodotus afferebat, ex LXX seniorum editione depromptus est: *ἄνθρωπός ἐστι καὶ τίς γνώσεται αὐτόν*; Hebraica vox אנוש ambigua significatione occasionem interpretationis illius dedit, ut animadvertit Hieron. *Nam si legamus* אֱנוֹשׁ *homo dicitur, si autem* אֲנוּשׁ *inscrutabile, sive desperabile, eo quod nullus cor hominum valeat invenire.* At sancti PP. contrarium eius, quod Theodotus pugnabat, ex eodem loco deducunt, Christum non simplicem hominem esse, sed una etiam Deum, quod Hieronymus non probat. *Solent*, inquit, *quidam nostri, bono quidem voto, sed non secundum scientiam, uti hoc loco contra Iudaeos: quod homo sit Dominus aeque atque Salvator, secundum dispensationem carnis assumptae; nullusque possit nativitatis eius scire Mysterium, secundum illud quod scriptum est: generationem eius quis enarrabit?*

nisi solus Deus, qui arcana rimatur et reddit unicuique secundum opera sua. Melius autem est, ut simpliciter accipiamus, quod nullus cogitationum secreta cognoscat, nisi solus Deus. Haec ille. Ad eundem sensum refert etiam Theodoretus. Tertull. vero contra Iud. c. 14. Cyprianus con. Iud. c. 10. Lactant. 4, 13 et alii, quos tacito nomine notat Hieron. ad Christi Divinitatem.

467 b. *ἐλέγχῃ δὲ πάλιν, Θεόδοτε*] Ex eo quod ad Patris dexteram collocatus sit Filius, pari et eadem cum illo dignitate, ac potestate esse dicendus est. Ambros. Serm. 3 de Pentecoste. *Ne miremini*, inquit, *quod ad dexteram Patris residere dixi Filium; ad dexteram enim residet, non quia maior Patre, sed ne minor Patre esse credatur, sicut Haeretici blasphemare consueverunt.* Idem colligit ad Psalm. 18 ex illo Psalm. 109 loco: *Sede a dextris meis.* Quibus et similibus ex locis apparet, falsam eorum esse sententiam, qui sinistram apud veteres honoratiorem dextra fuisse contendunt. Cuius opinionis autor Nebriss. c. 39 Quinquagenae.

217 AD HAERESIN LV MELCHISEDECIANORUM.

468 b. *ἀποσπασθέντες τάχα*] A Theodotianis ortos esse Melchisedecianos censet Epiphanius. Tertull. vero Lib. de Praescript. c. 53 etiam Theodotum sectae huius authorem constituit, non priorem illum et Byzantium, sed alterum, quem *ἀργυραμοιβὸν* Theodoretus fuisse narrat. Eusebius 5, 27 Theodoti coriarii discipulum quendam commemorat Theodotum Trapezitam, a quo deceptus Natalis confessor insigni miraculo resipuit, cuius et Theodoretus meminit. Hic igitur Theodotus ad magistri sui impietatem hoc adiecit, ut Christo Domino Melchisedecum anteponeret, ut scribit Tertull. Theodoretus vero Melchisedec ex illius sententia *δύναμίν τινα καὶ θείαν, καὶ μεγίστην* extitisse, *κατ' εἰκόνα δὲ αὐτοῦ τὸν Χριστὸν γεγενῆσθαι.* At Augustinus et Philastrius nullum Melchisedecianis errorem alium tribuunt, nisi quod hominem esse negaverint, sed virtutem Dei esse statuerint. Vide Epistolam Hier. 126 ad Evagrium.

468 d. *τὸ δὲ ἀπάτωρ, ἀμήτωρ*] Perperam Erasmus *ignoti Patris, ac matris;* qua stolida interpretatione myste-

rium omne sustulit, quod in harum notione verum Apostolus constituit.

469 a. *ἔτι ταύτην τελετὴν κατ' ἔτος*] *τελετὴ* hoc loco vel solenne festum, ac celebritatem significat, vel sacrificium. Hesych. *τελεταὶ, ἑορταὶ, θυσίαι, μυστήρια.* Orus Thebanus apud Etymol. authorem *τελετὰς* appellat *τὰς μείζους, καὶ μετά τινος μυστικῆς παραδόσεως ἑορτάς.* Recte igitur cum Cornario *festum* hic interpretati sumus. Tametsi de sacrificio potuimus accipere, quod Serrario nostro placuit, praesertim cum Haer. 78 eandem historiam narrans *θυσίας* vocet. *ἐν Σικίμοις, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ Νεαπόλει θυσίας οἱ ἐπιχώριοι τελοῦσιν εἰς ὄνομα κόρης.* Quod vero *ταύτην τελετὴν ἄγουσιν* hoc loco dixit, simpliciter usurpatum puto, pro eo quod est *ritus illos instaurant*, vel *sacri illius memoriam celebrant.* Potest et *ταύτῃ* pro *ταύτην* legi. Nam de humanis hostiis, quod suspicatur Serrarius, verum non arbitror, praesertim Epiphanii aevo, sub Christianis principibus, qui execrandas illas, ac detestabiles ceremonias ubique prohibuerunt.

469 b. *καὶ γὰρ καὶ παρά τισι τοῦ Μελχισεδέκ*] Quae de Melchisedeci parentibus narrat Epiphanius, redolent Apocryphorum somnia, cuiusmodi multa sunt hoc in opere bona fide a sanctissimo Patre descripta, quae discutere, aut refellere, otiosi; temere fidem adhibere, parum prudentis fuerit.

ἐν τῇ τῆς Σαβῆς πεδιάδι] Ubinam Sabe illa sita sit divinare utcunque licet. Iosue 2, 19 in tribu Simeonis recensentur Bersabee et Sabee, quae eiusdem oppidi nomina R. Isaias et Mazius esse putant. Quod si verum est, in Bersabeensi agro Melchisedeci parentes habitaverint.

469 c. *Σαλὴμ δὲ ἡ πόλις*] Antiquissima est illa quaestio, utrum Hierosolyma, an Sicimorum oppidum fuerit Salem 218
Melchisedeci domicilium, de qua vide quae Perrerius aliique ad Gen. disputant et novissime Salianus noster in Annalibus. A. M. 3118. Communis et vera sententia est, Hierosolyma potius, quam Sicimorum urbem fuisse Melchisedeci regiam. Quod isti pluribus affirmant.

470 a. *μετὰ γενεὰς δεκαδύο τῆς τοῦ Λευί*] A Levi ad Sadok filium Achitob, qui sub Davide summum Sacerdotium tenuit, Reg. 2, 8, 17 *γενεαὶ* sunt 13, non 12. Ab Aarone non 7,

sed 10 numerantur Par. 1, 6, quarum Laterculum proposuimus. 1 Levi, 2 Kaath, 3 Hamram, 4 Aaron, 5 Eleazar, 6 Phinees, 7 Abisue, 8 Bocci, 9 Ozi, 10 Zaraias, 11 Meraioth, 12 Amarias, 13 Achitob, 14 Sadok. Sadok 10 est post Aaronem, post Levi 13. Sed in priore numero *μετὰ γενεὰς δεκαδύο*, infinite dictum ab erroris culpa Scriptorem vindicat. Haec autem, *ἑβδόμης δὲ ἀπὸ τῆς Ἀαρὼν διαδοχῆς*, excusari non possunt, cum sint 10. Ad haec pro *ἑβδόμης* crediderim *ἑπτὰ* scribendum esse, ut ad *μετὰ* referatur. Nam in arithmetica nota deceptus est librarius.

470 b. *καὶ ὅτι μὲν ὁ Μελχισεδέκ*] Quod sit acumen in illa Epiphanii ratiocinatione, vix assequi possum. Ut hominem fuisse Melchisedecum ex Apostolo demonstret, haec illius verba proponit: *ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν δεδεκάτωκε τὸν Πατριάρχην*. Ex quibus ita colligit: *δῆλον οὖν ὅτι ἐξ αὐτῶν οὐ γενεαλογεῖται*. Quae nihil ad institutam probationem attinent, nec illis omnino verbis hominem extitisse docet Apostolus. Quare mendosus hic locus videtur, et ita corrigendus, *δῆλον οὖν ὅτι ἐξ ἑτέρων γενεαλογεῖται*. Nam ex eo, quod Apostolus dicat, Melchisedecum *οὐ γενεαλογεῖσθαι ἐκ τοῦ Ἀβραὰμ*, aut *ἐκ τῶν Λευιτῶν*, utcunque sequitur *ἐξ ἑτέρων γενεαλογεῖσθαι*, hoc est externae diversaeque ab illis stirpis fuisse.

470 c. *Ἠλίας ὁ Θεσβίτης*] Eliam e Sacerdotali fuisse stirpe Hebraeorum fert opinio, qui eundem illum faciunt cum
219 Phineez Eleazari Filio. Hanc opinionem refert Kimchius ad Reg. 3, 17, nec in ea tamen acquiescit, amplectitur autem Elias in voce Thisbi. Neque vero id Hebraei veteres omnes arbitrati sunt, siquidem ex eodem Davide constat nonnullos e Tribu Gad; alios e Tribu Beniamin Eliam oriundum putasse. Ipse autem certi nihil affirmat. E Christianis praeter Epiphanium, Alexandrinum Chronicon p. 376 Sacerdotalem Eliae originem adscribit, additque Thisbiten dictum a Thisbi Sacerdotali urbe in Arabia. Quod ex libro de Vita Prophetarum, qui Epiphanii nomine inscribitur, mutuatum videtur. *Ἠλίας*, inquit, *ὁ Προφήτης· οὗτος ἦν ἐκ Θεσβῶν, ἐκ γῆς Ἀράβων, ἐκ φυλῆς Ἀαρὼν, Λευίτης, οἰκῶν ἐν Γαλαὰδ, ὅτι ἡ Θέσβις δῶμα ἦν τοῖς ἱερεῦσι δεδομένη*. Quem ad locum Superintendens

nescio quis e Lutheranis quisquiliis, qui novissime librum illum de Prophetis interpolavit, mirifice aestuat, ut illas voces ἐκ γῆς Ἀράβων expungat. Quas quidem parenthesi inclusit, ut alienas esse significet. *Si enim*, inquit, *Thisben in Arabia collocabimus, non amplius ad cives Gileaditicos, vel ad regnum Israëliticum pertinebit.* Hic coniecturam suam adtexit, et videlicet quaerenda occasio fuit adversus Monachos declamandi, quorum inscitia intrusas illas voculas suspicatur. Cum enim ἐκ φυλῆς Ἀαρὼν legeretur, aliaque ad marginem adnotata foret lectio, ἐκ γῆς Ἀράβων, *ea crescente*, inquit, *Monachorum barbarie in ipsum authoris contextum recepta fuit.* Sed in ea coniectura summam iste Pastor imperitiam suam ac levitatem detexit. Neque enim scivit, Arabiam olim latissime patuisse, ut non modo Transamnanae, sive Peraeae optimam partem, sed etiam Coelesyriam ac Damascum complexa sit. Siquidem regio ipsa Basan et Galaaditis Arabia continebatur, authore Hieronymo in 2 Esa. et in Abdiam, ubi quae prius vocabatur Galaad, eam postea nominatam Arabiam, et postremo suo tempore Gerasam, observat. De Damasco Tertull. l. 3 con. Marc. c. 13. *Damascus*, inquit, *Arabiae retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophoenicen.* Arabiae itaque nomine Liber ille de Prophetarum Vita Galaaditidem intellexit. At Kimchius ita nominatum putat: מעיר ששמה תושב היה תחלה ואחר כך ישב בגלעד hoc est, *ab Urbe, in qua primum habitavit, unde postea in Galaad migravit.* Quae quidem Davidis verba Elias Levita Hebraeus doctissimus nequaquam intellexit. Nam illius sententiam sic exponit: ופי׳ק פירש שבראשונה ישב בעיר ששמה תושב ואחר כך ישב בגלעד אבל לא פירש למה נקרא מתושבי גלעד. Hoc est: *R. D. Kimchi sic interpretatur. Quod initio habitaverit in urbe, cuius nomen erat Toschab: postea vero in Galaad migraverit. Verum non explicat, quare dictus sit ex habitatoribus Galaad.* Atqui aliter, nisi fallor, Kimchius accipiendus est. Non enim censet nomen urbis fuisse תושב, quod absurdum est, sed ibi, in ea scilicet urbe, hoc est Thisbi, principio consedisse. Quare legendum est שָׁמָּה non שְׁמָהּ. Neque verum est, quod Elias subiicit, causam a Davide nullam afferri, cur Eliam Scriptura dicat esse ex habitatoribus Galaad, cum expressis verbis hanc ipsam significet, quoniam Thisbi

profectus in Galaaditidem migraverat. Elias vero Levita urbem in Galaad Thisbi fuisse docet: quae cum ab Israëlitis post illam Gabionitarum cladem, qua Galaaditae pariter involuti sunt, Iud. 21, solo esset aequata, plerique, qui caedem illam effugerant reversi postea oppidum instaurarunt, ab eoque casu תושבי גלעד nominati sunt. Quorum unus Elias fuit. Nam illis vixisse temporibus argumento est, quod tum superstes erat Phinees; quem eundem esse cum Elia Magistris placet. Haec Levita. Quae sunt insulsissima. Fingamus enim Eliam esse Phinees, quomodo is ad necem quaesitus ab Israëlitis, ac fuga lapsus credi potest, qui ab illorum partibus steterit, iisdemque praefuerit? Atqui hanc eandem de Phinees fabulam, quod idem sit cum Elia, habet Hieron. Lib. Quaest. Hebr. in Paralip. cuius authoritate fretus Petrus Damianus Ep. 4 ad Nicol. Pontificem eandem pluribus exponit. Quod ne refutationem quidem meretur. Abulensis sacerdotem fuisse negat omnino, sed levissima coniectura, quod Galaaditidis incola nominetur. Imo vero saltem ex eo contrariae suspitioni locus, quoniam מתושבים *ex inquilinis* fuit; hoc est non indigena, neque ex illa Tribu, sed peregrinus et in alieno solo degens. Verum in re dubia utrinque larga divinandi ac somniandi copia est. Nos otiosi non sumus. Quod ad oppidum vero Thisbi pertinet, de eius situ nemo certi aliquid prodidit, nisi quod Tobiae 1 ex LXX translatione Thisbi, e quo oriundus fuisse Tobias asseritur, in Galilaea ponitur, supra Aser, quae in Latina minime reperiuntur. Sed et Mazius ad 11 Iosue Θηβῆς pro Θισβῆς scribendum existimat. Iosephus 8, 7 Thesbonem Galaaditidos urbem Eliae patriam esse dicit.

ἀδελφὸς γέγονεν Ἰωδαέ] Hic est Ioiadas Pontifex, qui sub Athalia et Ioas Sacerdotio functus est, sub hoc vero mortuus, cum vixisset annos 130. Torniellus anno mundi 3191 mortem illius, Ioas tricesimo quinto fere, consignat. Coepit autem Ioas, ex Chronologia nostra, Per. Iul. 3836; proinde 35 eiusdem convenit in A. Per. Iul. 3870, e quibus detractis 130 reliqui sunt 3740. Itaque anno Per. Iul. 3741 praeter propter natus est Ioiadas, Roboami 2, annis post Templi conditum plus minus 31. Quod si Ioiadae frater Elias fuit et Achimaaz filius, consequens est Azariam eundem esse cum Ioiada. Quippe I. 1 Par. c. 6 a Sadok usque ad Templi excidium Sacerdotum series

sta proponitur. 1 Sadoc, 2 Achimaas, 3 Azarias, 4 Iohanan, 5 Azarias, 6 Amarias, 7 Achitob, 8 Sadoc, 9 Sellum, 10 Helcias, 11 Azarias, 12 Saraias, 13 Iosedec. Fuerit igitur Azarias idem ac Ioiadas, quod nonnullos arbitratos esse testatur Abul. in hunc locum lib. 1 Paralip. Sane pertricosa res est Iudaeorum Pontificum successio, quorum nomina apud Iosephum ab iis, quae in lib. Paralip. traduntur, diversissima sunt. Expeditissima conciliandi ratio est, ut plerosque multiplici nomine praeditos affirmemus. Caeterum in Sacerdotali Eliae ac Ioiadae stirpe duos praetermisit Epiphanius: nam Aziam, qui est in Scriptura Ozi, filium fuisse Phinees tradit, cum eius pronepos fuerit. Omisit enim Abisue et Bocci. 221

470 d. *ἢ μόνον ἐν ταῖς Παραλειπομέναις*] De Eliae stirpe in Paralipom. libris quod sciam verbum nullum. Alioquin sublata omnis esset illa de Eliae quaestio, si de qua tribu natus esset, vel levissime significaret.

472 c. *Σαμαρεῖται μὲν γὰρ τοῦτον*] Ita sensisse Iudaeos declarat Hieron. ad Euagrium Epist. 126 et ex Midrasch Agada docet R. Selomoh in 14 Gen. nec non et Aben Hezra. Nec dubium est quin ex Hebraeorum et Latinorum rationibus congruant tempora. Nam Abrahamo supervixit Sem annos 35. At ex LXX Seniorum editione nequaquam conveniunt, ut recte colligit Epiphanius. Verum de hac Iudaeorum, aut Samaritanorum opinione, ac caeteris de Melchisedeco veterum erroribus pluribus agit Hieron. loco citato; copiosissime vero recentiores sacrarum literarum Interpretes et Chronologi, ut eo minus in hac quaestione commorari necesse sit.

ὅτε γὰρ Ἀβραὰμ ὑπῆρχεν] Falsus est aliquot annis numerus iste. Nam ut ex Genes. c. 16 constat, 85 duntaxat annorum erat Abraamus cum Agar ancillam duxit, quod posterius est expeditione illa contra reges 4.

472 d. *καὶ ἐξέβαλεν αὐτῷ ἄρτον*] Egregius hic locus ad tuendam ab Haereticorum calumniis communem PP. omnium authoritatem ac sententiam, qui ex illis Geneseos verbis deducere solent, Melchisedecum ad usum sacrificii panem et vinum protulisse, et eo ipso sacrificio incruentum Christi corporis ac sanguinis adumbrasse sacrificium. Quod et Hieron. docet Epistola ad Euagrium et veteres, uti dictum est, propemodum

omnes; quorum testimonia a Catholicis Scriptoribus iamdudum studiose collecta sunt. Sed eximius atque imprimis disertus est, qui mihi forte nunc occurrit Clementis Alexand. locus Strom. l. 4. *Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὁ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου· ὃ τὸν οἶνον καὶ τὸν ἄρτον τὴν ἡγιασμένην διδοὺς τροφὴν εἰς τύπον Εὐχαριστίας.* Vide August. Epist. 95.

ὃ δὲ τοῦ Ἀβραὰμ πατήρ] Quod Abraamum anno aetatis suae 70 genuerit Thare diserte Scriptura docet, ac tergiversationem omnem excludit. Nec aliter vetustissimi quique Patres eum locum interpretati sunt, ut vel contrariae opinionis patroni fateri coguntur, qui contra Mosis authoritatem, non 70, sed 130. Thare anno natum Patriarcham videntur asserere. Viderint illi, quam recte tot saeculorum, adeoque PP. omnium consensum repudient. Nos quae ab illis opponuntur tanti esse non credimus, ut propterea lucere meridie negandum sit.

Iam vero hac in generationum descriptione non ab He-
222 braicis modo fontibus, sed etiam a LXX Seniorum numeris, cuiusmodi hodie extant, aberrat Epiphanius. Dabo hic Hebraeorum ac Graecorum seriem, ut quae observanda sunt facilius quisque percipiat.

Hebraeorum et Latinorum series.		Ex editione vulgata LXX Seniorum.		Vixerunt post Generationem. Ex Hebraeis et Latinis.	Vita integra.
Sem post diluvium genuit anno	2	Sem anno	2	500	600
Arphaxad	35	Arphaxad	135	303	338
Sala	30	Cainan	130		
Eber	34	Sala	130	403	433
Phaleg	30	Eber	134	430	464
Reu	32	Phaleg	130	209	239
Seruch	30	Reu	132	207	239
Nachor	29	Seruch	130	200	230
Thare	70	Nachor	179	119	148
Abraham		Thare	70	135	205
Colliguntur ad Abrami ortum anni 292.		Colliguntur ad Abrami ortum a. 1172.			

Atqui ex Epiphanii ratione colliguntur anni duntaxat 942 a Diluvio ad Abraami ortum. Differentia est annorum 230, qui in LXX Seniorum Editione ex 130 Cainan et centenis Nachoris consurgunt. Vulgo enim Nachor 179 tribuuntur, ab Epiphanio vero 79. At vero in Praefatione huius operis et in Ancorato p. 118 easdem illas γενεὰς pertexens Cainan inseruit. Ut illud appareat, LXX Seniorum editionem hac in parte variam et interpolatam fuisse. Nam alii codices Cainan asciscebant, alii expungebant, siquidem apud Eusebium Edit. Graecae p. 9 ex Africano et LXX Interpretibus, nec non ex Samaritanorum Hebraicis exemplaribus in huius genealogiae contextu Cainan omissus est, nec annorum summa 942 excedit a diluvio ad natalem Abraami: quot videlicet annos Epiphanius hoc loco numerat. Quare Eusebium hic quidem secutus est.

De Cainano vetus est quaestio, quae a recentioribus varie disceptari solet. Mihi praetermittendus omnino videtur, cum nec in Hebraica veritate, nec in Latinorum editione extet uspiam. Quod enim vitium in Hebraeos codices irrepsisse nonnulli statuunt, nimis hoc otiose fingitur. Lucae authoritas graviorem facit controversiam. Sed et huic a piis et eruditis viris iam- 223
apud Christianos, sed et apud Imperatores ipsos plurimum gratia et commendatione valuisse. Nam et a Mammaea Antiochiam accitus dicitur et ad Philippum eiusque coniugem literas dedit. Quid igitur attinebat, nominatim Decii et quidem unius mentionem facere? Quin et illud auget admirationem, quod lib. de Pond. et Mens. p. 174 scripsit Epiphanius, Origenem ab Imperatoris Decii tempore ad Gallum et Volusianum et ultra floruisse. Anno Severi decimo Leonides Origenis pater martyrium obiit, cum Origenes 17 aetatis agebat annum, ut author est Eusebius 6, 2. Fuit is annus Christi circiter 202. Nam Severus anno fere 193 imperium exorsus est. Hoc si ita est, natus erit Origenes anno Christi 186. Vixit autem annis 69, ut idem l. 7 c. 1 testatur. Quare moritur anno 254, vel sequenti, quo Gallus et Volusianus interempti sunt. Iam Decii primus annus incidit in Christi 251, quo quidem Origenes 66 annum attigerat. Non igitur ab illo demum tempore *γνωρίζεσθαι*, vel *ἀκμάζειν* coepit. Equidem vereor ne hic quoque hallucinatus Epiphanius Decium pro Severo sumpserit. Nam in libro de Ponder. et mens. postquam insignes aliquot Martyres, qui sub Decio passi fuerant, percensuit, veluti Babylam, Fabianum, Alexandrum, subjicit: *καὶ αὐτὸς δὲ Ὠριγένης πολλὰ πεπονθὼς εἰς τέλος τοῦ μαρτυρίου οὐκ ἔφθασεν.* Tum reliquam narrationem subtexit de profectione in Palaestinam, deque 28 secessu in urbe Tyro, quae hoc loco uberius exequitur. Atqui haec diu ante Decium accidisse necesse est. Videtur ergo pro Severo imprudenti obrepsisse Decius.

τύχα δὲ ἐν Ἀθήναις] Si id verum est, diversam hanc ab illa profectionem oportet fuisse, cuius meminit Eusebius 6, 17, qua sub Alexandro Imper. iam aetate et eruditione firmatus Origenes in Graeciam e Palaestina perrexit. Quinetiam narrat idem c. 25 Athenis commentarios in Ezechielem illum absolvisse.

514 d. *καὶ γὰρ καιρῷ ποτε*] Quando ista contigerint nonnisi coniectura consequi possumus. Quae nisi me fallit, sub Severo haec passus est Origenes adhuc adolescens. Vide Eusebii c. 3. Atque iccirco quidem a Gentilibus adrasum esse suspicor, quod Aegyptiorum Deorum ministri rasi essent, ut Syn. lib. de Encom. Calvitii, Plut. Tract. de Iside, aliique complures significant.

525 a. ἀλλ' οὐκ ἔμεινεν αὐτῷ] Hanc Origenis historiam ac lapsum revocant in dubium Annales Ecclesiastici, anno 253 num. 120 et deinceps: imo, quod amplius est, locum istum, quo narratio illa continetur, suspectum reddunt, quasi ab aliquo perperam sit insertus. Quorum hoc posterius perspicue
258 falsum, alterum non satis probatum, utrumque levioribus coniecturis innixum est quam ut vetustissimo sanctissimoque Patri fides hac in parte derogetur. Commentum est, inquiunt, et affectata calumnia, quod de Origenis lapsu a nonnullis iacitur. Cur ita tandem? Quoniam Scriptorum veterum nemo, qui vel pro Origene Apologias ediderunt, vel ipsum e contrario scriptis suis oppugnarunt, eius rei meminit. Atqui nos Epiphanium opponimus, quo neque antiquiorem authorem, neque graviorem requirere debemus; qui de Origene velut compertam rem, minimeque dubiam, illud ipsum retulit. In quo magnopere ponderandum istud est, quoties eiusmodi aliquid proponit Epiphanius, quod ad alicuius, etiam alioquin Haeretici, ac nefarii hominis, invidiam ignominiamque pertinet, id si dubiae minimeque constantis famae sit, nonnulla cum excusatione, ac titubanter ab illo significari; atque hoc imprimis caveri, ne incerta re commemoranda certam alicui infamiam ac dedecus imponat. Hoc vero loco nullam istiusmodi cautionem adhibuit, sed, cum de lapsu et iniecto ture constaret, hoc unum excepit, quod si verum est, ad sublevandum Origenem valet, nonnullorum iactari sermonibus, nequaquam Origenem ipsum tus adolevisse, sed cum eius digitis esset impositum, in subiectum arae forum a Gentilibus excussum fuisse. Quod igitur in sacrificium ac maiorem sceleris partem consenserit Origenes, minime dubitavit Epiphanius: utrum expressum hoc ab invito facinus eiusdem manu administratum fuerit, id vero dubitavit. Caeteri qui vel antiquiores Epiphanio, vel illius temporis suppares erant, partim Origenis amore dissimularunt; partim quod ad rem minime faceret, sciendo praetermiserunt. Atque Eusebius quidem, utpote Origenis admirator, consulto ut omitteret fecisse videtur. Nam nihil eorum tacuit, quae ad illius commendationem; nihil attulit, quod ad minuendam existimationem valeret. Reliqui tam fautores quam adversarii Origenis, cum de impiis eius dogmatibus, atque erroribus in certamen disputationemque venissent;

facile contempsere caetera. Ac profecto de eo crimine sileri a sanctissimis viris aequissimum fuit, cuius tantopere illum poenituisse scirent: ne hominis memoriae insultare, obtrectarique velle potius quam errores damnare viderentur. De aliis, quorum scripta non extant, pronunciare nonnisi temere possumus. Altera in Annalibus coniectura non plus veritatis, minus etiam probabilitatis habet. Falsissimum enim est intextam hanc Epiphanio laciniam esse, cum neque de stylo ipso dubitari possit et quibus id argumentis efficitur, levia sint, imo nulla. Epiphanius, inquit, libro de mensuris ac ponderibus plane contraria docuit. Scribit enim: *Floruisse Origenem a temporibus Decii usque ad Gallum et Volusianum.* Ubi vox, *floruit,* non idem est ac *vixit,* sed splendorem ex doctrina quaesitum significat. At si tum lapsus esset Origenes, non illum floruisse diceret Epiphanius. Verum ἀκμάζειν et florere apud Chronologos nihil aliud est quam commendari vulgo et in aliqua propter eruditionem, aut virtutem nominis claritate versari. Hanc vero doctrinae famam ac splendorem Origeni neque prior illa Idololatriae culpa, quam poenitentia diluerat, eripere debuit; neque posterior tot ac tam multiplicium haereseum infamia potuit opprimere. Deinde falso Decium pro Severo hic usurpatum ab Epiphanio paulo ante docuimus. Secundum haec Augustinus 259
nobis obiicitur, qui cum de Origene omnia sit ex Epiphanio mutuatus, de turpissimo illo lapsu verbum nullum aspersit. Sed utrum hoc Epiphanii adversus Haereses luculentum opus ab Augustino lectum fuerit, propter eas caussas dubitari potest, quae in praefatione, quam Operi ipsi praefiximus, ad lectorem pluribus sunt a nobis expositae. Frustra igitur, ut quidem apparet, solicitata est in Annalibus narrationis illius, istiusque loci fides, cum nulla ad eam labefactandam satis firma ratio sit allata.

526 b. ὁ δὲ βουλόμενος εἰς ἐκεῖνον] Vulgata est historia illa de secessu Tyrio, deque 28 annis ibi transactis ab Origene, cum sacros codices interpretaretur. Quam ex hoc Epiphanii loco et ex lib. de pond. ac mens. Chronologi atque Historici transtulerunt. Sed haec vellem isti accuratius expendissent, ac cum gestis Origenis et Eusebii l. 6 contulissent. Non enim dubitamus quin mera fabula sit, idque certis atque evi-

dentibus argumentis possit ostendi. Nam haec in Tyrum profectio contigit, ut testatur Epiphanius, post Origenis lapsum, cum iam Presbyter ordinatus esset. Non illud iam repeto: Origenis calamitatem videri ex Epiphanii mente sub Decio collocandam, paucis ante illius obitum annis. Fingamus diu ante contigisse. Duo ex Eusebio certa sunt: Origenem eo tempore Presbyterum Caesareae esse factum, quo Zebinus Phileto mortuo Antiochenam sedem obtinuit, cum in Graeciam per Palaestinam iter faceret, quod 6, 17 narrat. Item post annum Alexandri decimum Caesaream profugientem ibidem diutius haesisse. Apud Eusebium in Chronico Zebenus post Philetum Antiochenus Episcopus factus est, anno Alexandri 7, qui est Christi 228, cum Origenes annum ageret 43: annus vero decimus Alexandri, Christi est 231, Origenis 46; a quo ad eius obitum, qui anno Christi 254 accidit, anni sunt non plures 23. Meminit huius secundae in Palaestinam profectionis idem Eusebius in Chronico ad annum Antonini 11. Verum ante hoc tempus, hortante Ambrosio, Commentarios in sacram Scripturam elucubrasse, idque partim Caesareae, partim alibi fecisse, non obscure significat Eusebius c. 17. Ubi eodem tempore, quo authore Ambrosio in commentando erat occupatus, proficiscentem illum in Graeciam narrat Caesareae ordinatum esse Presbyterum. Quocirca falsum est Origenem totos 28 annos Tyri consedisse, ibique Commentariorum ingentem illam molem edidisse. Hoc enim Alexandriae, Caesareae, Athenis diversis temporibus egit: uti c. 18 scribit Eusebius. De Tyrio secessu nulla est apud Eusebium quod sciam mentio. Hieron. duntaxat Epist. 55 de erroribus Orig. ad Pamm. *Centum*, inquit, *quadraginta anni prope sunt, ex quo Origenes mortuus est Tyri*, quod idem in Catalogo Script. Eccl. commemorat. Verisimile est igitur Origenem, cum in Decii persecutione affecta iam aetate lapsus esset, in Palaestinam recessisse, ac Tyri mortuum esse.

ὅθεν τὸ πρῶτον αὐτοῦ ἐπιμελῶς] Agit de his Origenis editionibus accuratissime libro de Pond. et Mens. ubi quae Hexapla et Octapla fuerint exponit. Vide quae ad c. 19 ibidem observamus.

260 531 d. ὡς γάρ τινες ἡμᾶς βούλονται] Quantum haec vocabula duo γενητὸν et γεννητὸν scribendi pronunciandique

affinitate coniuncta sunt, tantum significationis usu ac proprietate distant. Nec est ulla vox, in qua uberiorem cavillandi et calumniandi materiam nacti sint Ariani, ut ex Anomoeorum Haeresi infra constabit. Nam *γενητὸς factum* significat, quod creatarum rerum proprium est, *γεννητὸν* vero *genitum* est, quod Filio Catholica veritas tribuit.

534 c. *τῶν Ὠριγένους ἐπιτομή*] Hic est Methodius ille Olympi Lyciae, deinde Tyri Episcopus, qui inter caetera de Resurrectione contra Origenem opus scripsit eximium, et ad extremum novissimae persecutionis, sive, ut alii affirmant, sub Decio et Valeriano, in Chalcide Graeciae martyrio coronatus est. Haec Hieronymus Cat. Vir. Illus. Socrates l. 6 c. 13 quatuor recenset, qui adversus Origenem praecipue stylum exercuerint, quam ipse *κακολόγων τετρακτὺν* impudenter appellat. Primus est Methodius, secundus Eustathius Antiochenus, tertius Apollinaris, quartus Theophilus. Addit Methodium postea, veluti palinodia recantata, quem accusarat Origenem commendasse Dialogo illo, quem inscripsit *Ξενῶνα*. Sed Socratis calumniam ac mendacium ex Hieronymo convincit Baronius A. 402 n. 5. Scribit enim ille Apol. 1 in Ruff. Eusebium Methodio in 6 libro Apologiae istud exprobrasse. *Quid modo ausus est Methodius nunc contra Origenem scribere, qui haec et haec de Origenis locutus est dogmatibus?* Quod ab Ariano homine obiici dicit clarissimo et eloquentissimo martyri.

539 c. *Πρόκλου τοῦ αὐτοῦ*] Mendosa est haec Inscriptio. Neque enim ex ullius Procli disputatione quae sequuntur exscripta sunt, sed ex eiusdem Methodii lucubratione, quam adversus Origenem Dialogi more conscripserat. In quo loquentes introduxerat Aglaophontem, Proclum, Auxentium et semetipsum. Vide infra c. 40. Fit et Theophili postea mentio, quod tamen appellativum puto esse, non proprium. Quocirca post Origenis verba e Comment. in primum Psalmum adducta, hoc ipso capite deinceps Proclus pro Origene verba facit: unde titulus *Πρόκλος* ei praefixus erat post *τοῦ αὐτοῦ*. Nam *τοῦ αὐτοῦ* ad Methodium pertinet. Librarius autem, quod *Πρόκλου* nomen legisset, auctoris alicuius esse credidit, cum interloquentis personae sit.

540 a. *ὑφ' οὗ καὶ συγκρατεῖται τὸ σχῆμα*] Maior hic,

ut opinor, hiatus est quam vulgo codices praeferant. Nam si superiora Procli sunt, ut esse videntur, Origeni patrocinantis, cum sequentia adversus eundem Origenem aperte pugnent, haud pauca desiderari necesse est, quibus Proclus caussam suam explicarit.

542 c. ἔλαιον ἐχχεῖσθαι προσέταξεν] Plinius 15, 17 de oleo: *Existimatur et oleum vindicando a carie utile esse. Certe simulacrum Saturni Romae intus oleo repletum est.*

543 a. καθάπερ καὶ ἡ σοφία διὰ Σολομῶντος] Igitur Sapientiae liber Salomoni ab antiquissimo Patre tribuitur. Vide et c. 35.

543 c. οὐδὲ γὰρ εἶναι τὸ σύνολον] Parum integer hic locus videtur. Sed huius sententiam reddidimus.

544 a. καθάπερ ἐλέχθη, ὦ Ἀθηναγόρα] Suspicor Me-
261 thodium scripsisse τῷ Ἀθηναγόρᾳ. Ex Athenagorae, inquit, sententia Diabolus spiritus est etc. Quod apud Paulum Leopardum Emend. 19, 9 postea reperimus, qui et Athenagorae ex Orat. pro Christ. verba citat, quae Methodius descripserat: *ἐναντίον τὸ περὶ τὴν ὕλην ἔχον πνεῦμα, γενόμενον μὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καθὰ οἱ λοιποὶ ὑπ' αὐτοῦ γεγόνασιν ἄγγελοι, καὶ τὴν ἐπὶ τῇ ὕλῃ, καὶ τοῖς τῆς ὕλης εἴδεσι πιστευσάμενον διοίκησιν. τοῦτο γὰρ ἡ τῶν ἀγγέλων σύστασις τῷ Θεῷ ἐπὶ προνοίᾳ γέγονε τοῖς ὑπ' αὐτοῦ διακεκοσμημένοις· ἵνα τὴν μὲν παντελικὴν καὶ γενικὴν ὁ Θεὸς τῶν ὅλων πρόνοιαν* etc. Ex quibus leg. apud Epiphanium *γενικὴν* pro *γενετικήν*. Caetera apud Leopar. vide.

544 b. ὥσπερ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα σαρκῶν] Fuit haec vetustissimorum Patrum fere omnium sententia, filios illos Dei, qui Gen. 6 filias hominum adamasse dicuntur, Angelos fuisse. Vide Iustinum Apolog. 1, qui Daemones ab illis progenitos asserit. Sed et Clem. Alex. Strom. 3 ob intemperantiam ac libidinem excidisse coelo putat. Item Tertull. de Virg. vel Lactant. etc. Nam corporeos esse plerique persuasum habuerunt: ut inter caeteros Augustinus, qui de Trin. 2, 7 Angelos scribit corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt, in varias mutare species.

555 d. ἐσομένης γὰρ καὶ μετὰ τοῦτον] Hic perspicue post Iudicium homines terram habitaturos asserit, non ut Chi-

liastae ad aliquot duntaxat saecula, sic ut interim suprema illa felicitate, hoc est aspectu Dei carerent, verum ut et perpetuo in terra degerent et summa nihilominus illis ac perfecta beatitate fruerentur.

558 c. ἔπεσε δὲ ὀκλάσασα ἡ ποθητή] Cor. παθητή.

560 d. καὶ ἵνα μὴ εἴπῃς ὅτι οὐκ ἀεί] Desunt nonnulla. Ac forte ita rescribendum ὅτι ἀεὶ διαλαμβάνει σκοτεινῶς.

562 c. λοιπὸν τοῦ Μεθοδίου] Hactenus Proclus. Deinceps Methodii partes sunt, qui adversus Origenem disserit, cuius patrocinium a Proclo susceptum paulo post indicat. Verum si Procli est ea disputatio, quae a cap. 17 ad hoc usque pertexitur, non video quemadmodum Origenis caussam defendat, cum eius dogma validissime refellat et resurrectionem corporum affirmet. Sed neque Methodii consequens refutatio ad antecedentem Procli sermonem pertinet, et Aglaophontis orationem convincit, quae nulla hic extat. Hic igitur haereo. Atque aut transposita, aut omissa pleraque istic fuisse verisimile est. Quae, si Methodii liber extaret, discerni emendarique possent.

570 c. λέλυται καὶ τὸ εἶναι] Expuncta vocula εἶναι utcunque sententia cohaerebit.

572 c. ἀλλ' οὐδὲ ὁ ἀπόστολος ὑποτίθεται] Methodius ita de Apostoli raptu sentit, ut in coelum primo, tum in Paradisum terrenum sit evectus, quod uberius declarat.

584 a. οὐ γὰρ ἐφ' ἡμῖν ὅλως] Praeclara et Catholica Apostolici illius dicti sententia, quam Methodius exponit, et adversus hodiernae Haeresis inscitiam, atque improbitatem observanda diligenter, qui concupiscentiam et quae ex illius contagione invitis nobis obrepunt, vere esse peccata definiunt: quo nomine non iam καθαροὺς, sed ἀκαθάρτους et impurissimos se esse merito profitentur.

590 d. ὑπὸ τοῦ μακαρίτου Μεθοδίου] Notabis Metho- 262
dium alio nomine dictum Eubulium.

591 a. πάντως που καὶ ἔπη τοσαῦτα] ἔπη sunt verba, non versus.

591 d. εἰ γάρ ἐστιν ἀληθὲς ὃ περὶ σοῦ ᾄδεται] Hic ille locus est, ex quo Ruffinus Origenis adamator et ab Hieronymo atque Epiphanio ob id alienus, asserebat Epiphanium iactasse 6 librorum milia ab Origene conscripta se legisse.

Quod nugacissimi ac vanissimi hominis commentum refellit Hieronymus Apol. 2 in eundem. Nusquam enim aut de librorum numero affirmavit Epiphanius, aut totidem a se lectos confirmavit. Addit Hieron. de Origenis scriptis Eusebii testimonium.

599 d. *καὶ διαιρεῖν εἰς δώδεκα ὁδούς*] Cum rubrum mare traiecerunt Iudaei, totidem impressas vias, quot erant Tribus, Hebraeorum traditio est, quam Origenes memorat, Homil. 5 in Exodum et Kimchius in Psalm. 136.

601 a. *ὡς καὶ ὁ καλλίων μακαρίτης*] Cor. *ὡς καὶ κάλλιον ὁ μακαρίτης.*

ἔστιν ἰδεῖν τὰ ἐπίχειρα] Forte *τὰ ἐπὶ χεῖρα*, haec quae prae manibus habemus ac de quibus agimus.

602 a. *καὶ Σολομὼν ἐν παροιμίαις*] Longius arcessita haec loci huius interpretatio et ad Graecam editionem accommodata. Nam Hebraea nullam sententiae illius significationem praeferunt. Hortatur sapiens ut rusticae rei et agriculturae diligens habeatur ratio.

φασὶ γὰρ οἱ φυσιολόγοι] *μυωξοῦ* meminit in Ancorato.

AD HAERESIN LXV PAULI SAMOSATENI.

607 b. *ἐν ἡμέραις Αὐρηλιανοῦ*] Imo vero sub Gallieno post Demetriani obitum. Eusebius l. 7 Histor. c. 22. Imposuit Epiphanio quod sub Aureliano damnatus et Episcopatu deiectus est, adeoque Aureliani decreto, quod Christiani Antistites impetrarunt. Sed Episcopatum aliquot annis ante ceperat.

608 a. *τὴν αἵρεσιν τοῦ Ἀρτέμωνος*] Meminit Eusebius 5, 27, Niceph. 4, 20. Vide Aug. in Haeresi Paulianorum.

ὥσπερ ἀμέλει καὶ ὁ Σαβέλλιος] Novati nomen perperam irrepsit. Nam Novatiani, quod Trinitatem attinet, nihil a Catholicis dissenserunt, ut in Annalibus docuit Baron. A. 265.

608 d. *τἀληθῆ δὲ, ὅτι οὔτε περιτομήν*] Frustra igitur in eius Haeresi Philastrius circuncisionem illum docuisse confirmat, quod neque Augustinus, neque Synodica illa Antiocheni Concilii, quod adversus eundem celebratum est, nec alius quisquam prodidit.

610 c. *ὡς δὲ οἱ ἄλλοι ἐκδόται*] Paululum diversa sunt veterum interpretum verba, quae in variis Bibliorum lectionibus

circunferuntur. Nam ex Aquilae editione ita concipitur: *ἀπὸ μήτρας ἐξωρθρισμένου σοι δρόσος παιδιότητός σου.* E Symmacho vero: *ὡς καὶ ὄρθρον σοι δρόσος ἡ νεότης σου.* Ex quinta denique: *ἐκ μήτρας ἐπὶ ὄρθρου σοι δρόσος ἡ νεότης σου.* LXX ad sensum potius quam ad verba respexerunt. Quam autem variae tam nostrorum quam Rabinorum sint de eo loco sententiae, ex illorum Commentariis repetere licet. Hebraea id hodie concipiuntur מרחם משחר לו טל ילדתו. Hoc est: ex utero, ante Auroram, vel ab Aurora, tibi ros nativitatis tuae. LXX legerunt ילדתיך *genui te.* Hinc apud Epiphanium pro *ἐλεδέχεθ* fortasse substituendum est *ἐλεδέθεχ*, ut in Hexaplis Octaplisve colon illud repraesentabat, in quo Hebraica Graecis characteribus scripta legebantur. Iam illud *λακτὰλ* Epiphanius vertit *καὶ πρὸ τῆς δρόσου παιδίον.* Quae sunt duo ac diversa vocis eiusdem glossemata. טל rorem significat. טלי vel טלאי vel טליא puerum et infantem, sed Chaldaice non Hebraice. Quare nihil ad hunc locum posterior ista notio pertinet. 263

611 b. *λέξειε δ' ἄν τις· ἔδειξας*] Angelos ante mundi procreationem a Deo factos esse plerique veterum Patrum, praesertim Graecorum arbitrati sunt, et inter caeteros Gregorius Nazianzenus Orat. 38. Quam sententiam Theologi quidam temerariam et hoc tempore etiam haereticam pronunciare non sunt veriti. In quibus prudentiam ac moderationem merito desiderat Vasquez in 1 Par. Disp. 224, ubi validissime demonstrat, nec erroris damnandam illam esse, neque ab Ecclesia reiectam, tametsi longe sit altera probabilior, quae Angelos negat ante coeli creationem esse productos, quod Epiphanius amplectitur.

612 b. *ἀποστελεῖς γὰρ, φησί*] Nimis otiose locum hunc e Psalmo 147 ad Dei Verbum retulit. In quo nequaquam audiendus est.

615 a. *οὐδὲ ταυτοούσιος, ἀλλ' ὁμοούσιος*] Difficile est *ταυτοούσιον* Latine sic exprimere, ut ab eo quod est *ὁμοούσιον* distinguas. Significat autem essentiam ac substantiam ita penitus eandem, ut ne personarum quidem discrimen admittat.

AD HAERESIN LXVI MANICHAEORUM.

617 b. *διά τινα Οὐέτρανον*] Veteranum Acuam appellat, hoc est qui militia defunctus legitimam missionem impetrasset.

617 c. *ἐπονομάσας δὲ ἑαυτῷ τὸ τοῦ Μάνη*] Elias in Tisbi mirum esse scribit, quod cum Iudaei מינין vocent Haereticos, in Graecorum commentariis scriptum sit Haereticum quendam extitisse, qui Manes diceretur, eiusque sectatores מינין.

618 a. *ὃς καὶ αὐτὸς δοῦλος ὑπῆρχε Σκυθιανοῦ*] Errat itaque Theodoretus, qui Manen cum Scythiano confundit, ut et Suidas, cum tanto ante Scythianus extiterit.

618 b. *ὁ μὲν εἷς ἐπὶ τὴν Αἰλάν*] Reg. 3, 9, 26 classem quoque fecit Rex Salomon in Asion-gaber, quae est iuxta Aelath in litore maris rubri in terra Idumaeae. LXX *Αἰλὰθ*, non *Αἰλών*. Iosephus 8, 6 Asion-gaber ait Berenicen vocari, haud procul Elana urbe. Sed hallucinatus est, ut opinor, Iosephus. Nam Asion-gaber in Idumaea ponitur. Berenice vero a Ptolemaeo in Africa ipsa, longe superior, ac Thebaidem ex adverso respiciens, quod Epiphanii descriptioni congruit, qui Berenicen tertium Rubri maris portum enumerat.

618 d. *εἰς Ὑψηλὴν πόλιν*] Stephanus *Ὕψηλις κώμη Αἰγύπτου*.

618 c. *καὶ βίβλους τέσσαρας*] Apud Suidam 4 librorum
264 istorum author fuisse dicitur Terebinthus, sive Buddas, quorum etiam ordo aliter instituitur. Nam primus est Mysteriorum, secundus Evangelium, tertius Thesaurus, quartus Capitum.

620 a. *περὶ τοὺς χρόνους τῶν Ἀποστόλων*] Commode istud accipiendum est, ut Apostolorum tempora vocet quae illis proxima sunt. Nam ut Apostolos viderit Scythianus nequaquam procedit, uti postea constabit, cum de Manichaei tempore disputabitur.

628 c. *ἠρέμα πῶς ἐν ᾧ ἑαυτῷ*] Cor. *ἠρέμα πως· ἐν ᾧ* etc.

629 a. *διὸ αὐτοὶ οἱ Μανιχαῖοι*] Verti potest: *Ob id Manichaei super arundines cubant.* Nam *Mattarii* propterea dicti, quod in mattis dormirent. Aug. 5 con. Faustum Manich.

629 b. *Θωμᾶς δὲ ἐπὶ τὴν Ἰουδαίαν*] Corrigendum ex Theodoreto videri possit *ἐπὶ τὴν Ἰνδίαν*. Nam ut Christum

imitaretur, cognominem illius Apostolo discipulum in Indiam allegavit. Verum etiam infra c. 31 Thomam istum Pseudapostolum in Syriam destinatum scribit.

ἔλεγε δὴ ἑαυτὸν ὁ Μάνης] Imo et Christum seipsum esse dixit: Theodor.

636 c. Ἰάκωβος ὁ ξύλῳ πληγείς] Hierosolymitanorum Antistitum catalogus iste ex Eusebii Chronico et Historia descriptus est, quem et Alexandrinum Chronicon et Nicephori perinde Chronicon exhibet. Ex quibus omnibus, hoc est ex Eusebianis fontibus emendandus est Epiphanii Laterculus, velut cum tertium numerat Iudam, qui ab Eusebio et caeteris Iustus appellatur. Item 4 Zacharias ab Epiphanio, ab aliis Zacchaeus vocatur. Sunt et alia quaedam in nota temporum ab Epiphanio, vel potius a librario commissa, quae ut accuratius disquirantur, primum e Nicephoro eundem illum Catalogum cum singulorum Antistitum annis exscribemus, ut et Nicephorum eadem opera castigemus.

Indiculus Hierosolymitanorum antistitum.

	Episcopi	Anni, quibus sederunt.
I	Iacobus Domini Frater	XXVI
II	Symeon Cleophae F.	XXIII
III	Iustus	VI
IV	Zacharias	IV
V	Tobias	IV
VI	Beniamin	II
VII	Ioannes	II
VIII	Matthaeus	II
IX	Philippus	I
X	Seneca	IV
XI	Iustus	IV
XII	Levi	II
XIII	Ephraim	II
XIV	Ioseph	II
XV	Iudas	II

265

	Episcopi	Anni, quibus sederunt.
XVI	Marcus	VIII
XVII	Cassianus	VIII
XVIII	Publius	V
XIX	Maximus	IV
XX	Iulianus	II
XXI	Gaianus	III
XXII	Symmachus	II
XXIII	Caius	III
XXIV	Iulianus	IV
XXV	Elias	II
XXVI	Capito	IV
XXVII	Maximus	IV
XXVIII	Antoninus	V
XXIX	Valens	III
XXX	Dulichianus	II
XXXI	Narcissus	IV
XXXII	Dius	VIII
XXXIII	Germanio	IV
XXXIV	Gordias	V
XXXV	Narcissus secundus martyr	X
XXXVI	Alexander martyr	XV
XXXVII	Mazabanes	IX
XXXVIII	Hymenaeus	XXIII
XXXIX	Zabdas	X
XL	Hermon	IX
XLI	Macarius	XX
XLII	Maximianus	VI
XLIII	Cyrillus, quo ab Arianis pulso, substituti sunt tres	
	Arsenius	
	Heraclius	
	Hilarius	
	Secundum quos iterum Cyrillus restitutus in II Synodo sub Gratiano.	

Haec Nicephori Chronicon. At Eusebius 4, 5 et in Chron. negat constare, quot annis Hierosolymis Episcopus quisque sederit. Illud extra controversiam esse, brevi admodum tempore prae- 266
fuisse: adeo ut ad postremam Iudaeorum obsidionem, quae sub Adriano contigit, Episcopi fuerint omnino 15. Itaque unde singulorum annos expiscatus sit Nicephorus, divinare non possum. Pessime tamen conceptos esse non dubium est. Imprimis Iacobo annos tribuit 26. Symeoni 23, quod utrunque falsum. Iacobum eodem anno, quo Christus in coelum ascendit, ordinatum Hierosolymorum Episcopum docet Eusebius in Chronico. Neque enim verum est quod Alexandrinum asserit, tum a Petro ordinatum esse, cum is Romam proficisceretur. Occisus est autem anno Neronis 7 testibus eodem Eusebio et Hieronymo in Script. Eccles. Longe enim aberrat Alexandr. Chron. quod Vespasiani 1 Indict. 11. Galba et Tito Ruffino Coss. Iacobi necem consignat p. 581. Iam vero si, ut antea pluribus declaratum est, Passio Domini in annum Iulianum 76 congruat, Neronis vero 7 Iuliano 105, Dionysiano 60 inierit, Iacobus 30 plus minus annis Pontificatum tenuit. Symeon porro cum ab Eusebio in Chronico Traiani 10 in crucem actus dicatur, hoc est Christi 107, annos solidos 47 exegit in Episcopatu. Insequentes vero 5 Pontifices ad annum Traiani 19 non amplius 10 annis praefuerunt, si verum scripsit Epiphanius. Nam 18 annos illis attribuit in Chronico Nicephorus. Secundum quos octo e circuncisione reliqui sunt Episcopi ad extremam usque Iudaeorum cladem, quae Adriani 18 ab Eusebio ponitur. Atqui 18 Adriani iniit anno Christi 135. Ergo Episcopi illi 8 non ultra 20 annos sedem illam obtinuerunt. Sed mendosus est Epiphanii locus, in quo scriptum est *μέχρι ἐνδεκάτου Ἀντωνίου*. Ubi primum pro *Ἀντωνίου Ἀδριανοῦ* substituendum. Tum *ἐννεακαιδεκάτου* pro *ἐνδεκάτου*. Eusebius enim, ex quo ista transtulit Epiphanius, anno Adriani 19 Marcum post 15 Iudaicae stirpis Antistites, primum e gentibus Hierosolymitanam Ecclesiam rexisse scribit. Sed illud Epiphanio caussam attulisse videtur erroris, quod idem Eusebius Hist. 4, 5 cum Hierosolymitanos omnes Episcopos recensuisset, subinde Adriani 12 annum commemorat, quo Xysto defuncto Telesphorus successit. Unde collegit superiora ad annum 11 pertinere. Sequuntur Episcopi 5, quos ad 10 Antonini

Pii pertexit Epiphanius. At Eusebii Chronicon solum Marcum ad annum usque Antonini 19 perducit, quo demum Cassianum sufficit. Qua ratione 22 annos Marcum oportet sedisse. Praeterea inter Iulianum et Capitonem Eusebius et Nicephorus Eliam ponunt, quem praetermisit Epiphanius. De Narcisso eiusque admirabili sanctitate vide quae Eusebius l. 6 prodidit.

637 d. ὁμοῦ ἀπὸ ἀναλήψεως Χριστοῦ] Manichaeorum origo diligenter est in Fastis adnotata, velut insignis quaedam labes Christiani nominis ac calamitas. Sed de anno ac tempore Scriptores mirifice dissentiunt. Epiphanius noster πλατυκῶς Aureliani et Probi temporibus emersisse scribit. Quae enim ab Ascensione Christi temporis ratio ponitur, mendosissima est et subinde castiganda. Supra c. 1 in 4 Aureliani Imp. annum coniecerat. In lib. vero de Pond. et Mens. anno 9 Gallieni tribuit. Eusebius in Chron. anno 2 Probi, Olymp. 264 anno secundo, Antiochenorum 325 prodiisse Manichaeorum Haeresin notat, et aeras aliquot civitatum adiicit, quibus Christi annus 278 adscribitur. Leo Magnus Homil. 2 de Pentecoste: *Manichaeus ergo*
267 *magister falsitatis Diabolicae et conditor superstitionis obscoenae, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus et sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore, Paulinoque Consule.* Obscurissima sunt Aureliani, Probi, iisque proximorum Imperatorum tempora: summa Consularium Fastorum varietas, nec in annis ac Consulatibus digerendis quisquam unus cum altero consentit. Itaque perplexum et intricatum totum istud negotium est. Probum ac Paulinum Coss. Cassiodorus Aurelio, ac Marcellino Coss. subiicit. Fasti Siculi post Aurelianum ac Marcellinum Tacitum et Aemilianum collocant, quibus Probum Paulinumque subtexunt: quos posteriores Onufrius iniuria praetermisit, suffectosque credidit. Nam pro ordinariis in omnibus Fastis agnoscuntur. Sed si ante Tacitum 2 et Aemilianum ponantur, ad Aureliani Imperium, non Probi, pertinebunt. Ideoque in Annalibus Ecclesiasticis cum Aureliani 7 componuntur, anno Christi 277. Etenim post Aurelianum Tacitus sequitur, qui nonnisi mensibus 6 imperium tenuit. Secundum quem creatus est Probus. Quod si post Tacitum et Aemilianum Probus ac Paulinus substituantur, iam istis Coss. Probus Imperator annum Imperii secundum inierit, quod

Eusebii Chronologiae consentaneum est, qui anno Probi 2 Manichaeorum originem assignat. Quod fortasse verius est. Sed in Onufrii Fastis duo in Probi Imperatoris annis omissa sunt paria Coss. quanquam in superioribus annis unum compensaverat. Ita uno duntaxat anno sublato, cum aera Dionysiana conciliatur, quod plerique Fasti expunctis duobus Consulatibus obtinent. De quo alias opportunius. Quam absurde de initio Probi Imperatoris Emendat. Temp. lib. 5 disputet Scaliger, suo loco discutietur.

Ad Manichaeum, sive Manetem, quod attinet, variae sub idem fere tempus eruptiones monstri illius fuerunt, et insignibus alicuius facinoris notis celebratae. Quae caussa fuit, cur non iisdem Imperatoribus atque Coss. haeresis istius origo mandaretur. In annis Christi longius abborrent Epiphanius et Leo M. Probus enim ac Paulinus Coss. incidunt in annum fere Christi 277 in aera Dionysiana, quo ex numero 31 annis deductis 246 anni reliqui sunt ab Ascensione Domini: totidem scilicet, quot ex aliorum sententia posteriore in numero ponit Epiphanius. Prioris autem epocha non *ἀπὸ τῆς ἀναλήψεως*, sed *ἀπὸ τῆς συλλήψεως*, vel *γενέσεως* arcessenda videtur. Denique apud Leonem pro 260 legendum 240. Nam rotundus hic numerus est a Christi Ascensione deductus. Caeterum ex hac Epiphanii putatione non mediocriter id, quod supra plenius ostendimus, astruitur, Christi Domini Passionem et Ascensionem in Iulianum 76 incurrere.

637 d. *καὶ ἀπὸ τότε καὶ ἕως δεῦρο*] In Chronico Nicephori pro Bazas, Zabdas legitur. Item pro Maximo, Maximianus, perperam. Maximo Cyrillus successit, quo ab Arianis extruso (ait Nicephorus) tres eius loco ordine subrogati, Arsenius, Heraclius, Hilarius. Postea Cyrillus in sedem restitutus secundae Synodo interfuit Gratiano imperante. Haec Nicephorus. Hieron. in Supplemento Cyrillos 4 enumerat post Maximum. Aliis unum per ea tempora, Cyrillum fuisse placuit. De quo consulendi Annales Baroniani A. 351. Agitur et de Cyrillo Haer. 73.

βασιλεῖς δὲ οἱ καθεξῆς] Probum Imperatorem praeter- 268
misit hic Epiphanius, an librarius, quem lib. de Pond. recenset, eique annos sex et menses duos attribuit: Aureliano vero

annos 5, menses 6, quot Eusebii Chronicon numerat. De qua re suo loco videbimus. Ita Aureliani quarto, Probo et Paulino Coss. Manichaeorum haeresis emersit.

638 a. *ὡς εἶναι ἀπὸ τοῦ εἰρημένου Μάνη*] Annus hic, quo haec commentabatur Epiphanius, Christi est 376. Valente Imper. 5 et Valentiniano Iuniore 2 Coss. cum superiore anno mortuus esset Valentinianus senior, post Consulatum Gratiani 3 et Equitii. Mortuus est enim Nov. 17, expletis in imperio annis 12, minus 100 diebus. Quare castigandus Socrates, qui annos 13 imperasse scribit, quod nequaquam procedit. Nam coepit anno 364 post bisextum. Itaque annus aerae Dionysianae 376. Valentis est 13, Gratiani vero 9 exiens, qui Imperator a Patre renunciatus est anno 367, ut initio huius operis adnotavimus ex Socrate. At Valentinianus Iunior sexto post patris obitum die Imperator a militibus est salutatus, eodem authore Socrate, nec non et Ammiano l. 30. Cum adversus hanc Haeresin scriberet, tertium iam annum in hoc opere versabatur Epiphanius. Quippe anno 374 scribere est aggressus, ut in Praefatione docuit. Sed ab ortu Manichaeorum ad hunc ipsum annum mendosissime numerantur anni 77, pro quibus annos 107 rescribendos in margine censuimus. Pendet ea numerandi ratio ex Imperatorum annis, de quibus, maximeque superioribus, summa est, ut ante monuimus, Annalium discrepantia, de qua alio in loco statuemus. Interim si Aureliano 5 duntaxat annos cum mensibus aliquot arrogemus, atque illius anno 4 Manes prodierit, Probo et Paulino Coss. esto annus iste Christi 265. Hinc igitur ad 376 anni numerantur 102. Quos ita ex Epiphanii mente partim hoc ipso loco, partim lib. de Pond. dispensare possumus. Aurelianus post eum annum, quo primum Manes exstitit, vixit annum 1, menses 6, Tacitus m. 6, Probus a. 6, m. 4. Carus cum filiis a. 2, Diocletianus a. 20, Constantinus a. 32. Colliguntur ab anno 4 Aureliani ad Constantini obitum anni 63. Obiit Constantinus ex omnium sententia anno 337. A quo ad annum 376 reliqui sunt 39, qui ad 63 adiuncti summam conficiunt annorum 102.

638 c. *ἤδη δὲ ἀνδράσι μεγάλοις*] Theodoretus Scriptores, qui adversus Manichaeorum sectam commentarios ediderunt, recenset istos, Titum Bostrenorum Episcopum, Diodorum Tar-

sensem; Georgium Laodicenum Arianum, Eusebium Phoenicem (hoc est Emesenum). Quod ad Eusebium Caesariensem attinet, Socrates 1, 17 scribit ieiune admodum in Ecclesiastica historia Manichaeorum ab illo mentionem esse factam. Qua de caussa totam eius historiam ex Archelai scriptis uberius exponit. Quare praecipuo aliquo libro Haeresin istam oppugnasse videtur Eusebius. Sed quod Origenem adversus Manichaeos elucubrasse aliquid Epiphanius affirmat, temporis ratione ipsa refellitur. Mortuus enim est Origenes annis fere 20 antequam Manichaeo- 269
rum superstitio in lucem emergeret. Siquidem grassante Severi persecutione, anno eius imperii 10, qui est aerae Dionysianae 202, aetatis annum exegerat 17, ut Eusebius asserit 6, 3. Obiit vero anno aetatis 69 imperante Gallo, eodem authore 7, 1. Additis igitur annis 52 ut 69 impleantur, mortuus est aerae communis anno 254, diu ante Manichaeae factionis ortum.

639 c. *εἰ δὲ ἐκ φύσεως καὶ κατὰ συνήθειαν*] Terrae motus naturalibus ex caussis oriri nimis *ἰδωτικῶς* negare videtur. Quod et apud Philastrium legimus.

640 a. *ἐν τῇ ἀρχῇ δὲ τῆς κοσμιοποιΐας*] Quo anno post orbem conditum Abelum Adamus genuerit, Moyses tacuit. Hic anno centesimo necatus dicitur, cum aetatis ageret 30. Unde LXX circiter anno natum oportuit. Sed haec mera divinatio est. Porro *ἑκατοστὸν* pro *ἕκαστον* emendandum esse nemo non videt.

642 b. *ἀρχὴ τῶν τοῦ Μάνεντος*] Primus portentosae illius Haeresis oppugnator, ob idque singulari laude dignus, Archelaus extitit, qui habitam a se cum impostore disputationem in commentarium redegit, omniaque nefariae superstitionis arcana patefecit. Ex hac Archelai collatione caeteri deinceps hauserunt omnes, qui haeretici illius historiam ac dogmata scriptis prodiderunt. Meminit Archelai in Scriptoribus Eccles. Hieronymus.

644 c. *ὁμοῦ καὶ ὁ θερισμὸς ἄρχων*] For. *θεριστής*.

645 b. *εἴ τις λούεται εἰς τὸ ὕδωρ*] Cor. *εἴ τις λούεται, εἰς τὸ ὕδωρ. Si quis lavat, in aquam suam constringit animam.*

646 c. *ἐνετείλατο δὲ τοῖς ἐκλεκτοῖς*] De Manichaeorum Audientibus et Electis agit pluribus in locis Augustinus, praesertim contra Faustum: item Ep. 74.

650 a. *εἶτα πάλιν ἐλθὼν εἰς τὰ μέρη*] Levicule hic hallucinatur. Etenim Marcus 5, 1 *τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν* appellat. Matth. *Γεργεσηνῶν*. Lucas c. 8, 26 *Γαδαρηνῶν*. Latinus Interpres ubique Gerasenorum. Gerasa et Gadara aliis oppida duo, aliis unum et idem fuisse videtur. Vide Iansenium c. 30 Concord. A quibus transamnana quaedam regio nomen accepit.

653 b. *ἐπειδὴ γὰρ ὁ Ματθαῖος*] Chrysost. Hom. 29 in Mat. duos Evangelistas ita conciliat ut Lucas eum tantummodo commemoraverit, qui ab molestiori esset Daemone correptus.

661 b. *φαύλων δὲ χωρίων*] Depravata ista sunt, nisi forte *μετάστασιν τῶν χωρίων* dixit pro *εἰς τὰ χωρία*.

663 a. *ὅπερ κατήντα εἰς πενταχιλιοστόν*] Si Christus anno aetatis 30 baptizatus est, isque a mundi conditu fuerit 5509 annus, natus erit ex Epiphanii sententia anno mundi 5480. Varias ex LXX Seniorum ratiociniis annorum summas ab orbe condito collectas fuisse Graeci demonstrant. Nam praeter hanc Epiphanii, Martyrologium Romanum aliam instituit, secundum quam ad Christi natalem anni numerantur 5199. Praeter hanc tres alias in usu esse reperimus. Prima est quae Christum anno 5493 vel 5494 natum putat, quae a nonnullis Antiochena nominatur. Secunda, quae Christi nativitatem in annum 5500 coniicit, quam Aethiopicam appellant. Tertia, quae et
270 omnium celeberrima est et usitatissima, ab orbis initio ad Christi natalem annos putat 5509. De iis alias uberius disseremus.

697 c. *φησὶ δὲ ὁ αὐτὸς Μάνης*] For. *ᾔδειν τοὺς ἡμετέρους*, ut sequentia persuadent.

702 c. *ὑπὲρ τὸ μέτρον τῶν ἓξ σταδίων*] Hieronymus Epist. 15 ad Algasiam Qu. 10 iter Sabbati ex Hebraeorum traditione duobus pedum milibus definit. Hebraei vero Magistri duo cubitorum milia constituunt, quod et certius videtur. Nam ita docet Elias in Thisbi vocabulo תחום. Cuius moduli definitio ex cap. Exod. 19, 12 et potissimum ex Iosue 3, 4 petitur, ubi inter Arcam et populum totidem cubitorum intervallum esse praecipitur. Ut nimirum eo Sabbati die liceret accedere, ut interpretatur R. Selomoh. Iam cubitus ex Vitruvio 3, 1 sesquipede constat, sive palmis 6, hoc est digitis 24. Herodotus in Clio stadium 6 esse iugerum scribit, id est *ὀργυιῶν* centum,

ὀργυιὰν pedum 6, sive cubitorum 4. Ex quo sequitur in stadio pedes esse 600, cubitos 400. Unde 2000 cubitorum, sive pedum 3000, stadiis 5 respondent: quantum inter Hierosolyma et Oliveti montem intervallum fuit, ut Iosephus 20, 6 testatur. Ideo Act. c. 1, 12 Sabbati iter appellatur. Apud Columellam paulo maior est mensura stadii. Nam libro 5, 7 actum definit pedum esse 120, iugerum vero duos actus continere, et esse pedum 140: semiiugerum autem a Gallis *arepennem* vocari, stadium denique passus habere 125, hoc est pedes 625. Passus enim quinis pedibus constat. Unde mille passus pedes habent 5000. Gregorius vero Turonensis Hist. 1, 6 arepennes uni stadio tribuit 5. Qua ratione in arepennem 80 imputandi sunt cubiti, sive pedes 120, quot a Colum. tribuuntur. Ita quinta parte maior erit arepennis Herodoti plethro, quod iugerum plerique vertunt. Sed de πλέθρου varietate totaque hac metiendi ratione pluribus agere neque otii nostri est, nec instituti.

703 a. *Νῶε γὰρ σωθεὶς ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ*] Historiam hanc et orbis partitionem exponit in Ancorato pluribus, a. c. 104. Rhinocorura cur Hebraice נחל Neel appellari putet Epiphanius, LXX Interpretes fecerunt, qui Esa. 27, 12, quod scriptum est עד נחל מצרים ad torrentem Aegypti, verterunt ἕως Ῥινοκορούρων, ut Salianus noster observat Tom. 1. Ann. Hieronymus ad hunc locum: *Pro torrente Aegypti LXX Rhinocoruram transtulerunt, quod est oppidum in Aegypti Palaestinaeque confinio, non tam verba Scripturarum quam sensum verborum exprimentes.* Unde sic illud accipiendum est apud Epiphanium: Ῥινοκορούρα γὰρ ἑρμηνεύεται Νεὲλ, ut idem sit atque alio vocabulo nominatur. Neque enim tam imperitus Hebraismi, aut Hellenismi fuit, ut Ῥινοκορούραν idem ac נחל significare crederet.

καὶ Μαρειανδύνην] Mariandynorum regio, quod sciam, in Bithynia est, non in Africa. Aut igitur alienum in locum irrepsit, aut aliter ea vox conformanda videtur. Nimirum ἀπὸ τῆς Μαρείας λίμνης, ut sit *Μαρειανὴ*, vel aliquid ad eum modum inflexum. Nam Maria Stephano *Μάρεια πόλις* et *λίμνη* est, quae et Maraeotis dicitur in Aegypto, de qua Strabo l. 17. Adiuvat coniecturam nostram, quod *Μαριανδυνὴ* per ι simplex,

apud Epiphanium vero per diphthongum scribitur, ut *ἀπὸ τῆς Μαρείας* originem duxerit. Possumus et *Μαρεωτικὴν* legere,
271 quod eodem recidit. Nam Mareotica Aegypto contribuitur et cum Libya copulari solet.

703 c. *Λεπτημάνην*] Leptis nomine duae censentur urbes in Africa apud Plinium, Melam etc. altera cognomento magna, altera parva dicitur. A priore formatur per inflexionem Leptimagnensis apud Cyprianum in Episcop. Sententiis de Haereticis baptizandis sub finem. Videtur igitur apud Epiphanium *Λεπτιμάγνην* substituendum, aut certe *Λεπτιτάνην*.

καὶ τῆς ἔσω Γαδείρης] Quasi Gadira regio quaepiam Africae sit, aut Mauritaniae, quemadmodum et Tingitanae Hispaniae nomen impositum, ut Hispania Transfretana, vel Tingitana diceretur, in Notitia. Fortasse sic interpretari commodius licet, ut *χώρας* subaudiatur, *μέχρι χώρας τῆς ἔσω Γαδείρης*, quae citra Gades regio sit.

Ἀλαβαστρίτην] Leg. *Ἀλαβαστρῖτιν*. Sed ubi terrarum ista provincia sit, mihi nondum satis explicatum. In Syria, vel finitimo aliquo ad Orientem tractu positam esse demonstrant adiunctae regiones caeterae. Atqui Ptolemaeo *Ἀλαβάστρα* Aegypti urbs est, et Alabastrinus in eadem Aegypto mons. Plin. 5, 9. *Ab iis oppida Mercurii, Alabastron, Canum.* Verum extra fines Aegypti, hoc est ultra Rhinocoruram Alabastritis Epiphanii debet esse, neque tamen in Phrygia, ubi eiusdem nominis oppidum collocat Stephanus, ibidemque *λίθον διάσημον* reperiri scribit, hoc est Alabastriten. Quare amplius de ea regione cogitandum. Apud eundem Stephanum invenio *Ἀλαβούριον πόλις Συρίας* ex Charace, 8 Chronicon. Cuius ex affinitate vocis vide an ad hunc Epiphanii locum emendandum compendii aliquid possit fieri.

καὶ Ὁμηρῖτιν καὶ Ἀξωμῖτιν] Homeritarum regio in Aethiopia censetur apud Steph. Plinius 6, 28 inter Arabiae populos Homeritas recenset, ac numerosissimos esse scribit. Ptolem. locum illis in Arabia Felice tribuit et quidem in intimo recessu, haud procul ab Arabici freti faucibus, quibus cum Rubro mari committitur. Nec abhorret Procopius, qui l. 1 de Bello Persico p. 32 in eodem tractu ponit Homeritas. Quibus oppositos esse narrat in altera continente trans fretum Aethiopas,

qui Auxomitae vocantur. Ὁμηριτῶν δὲ καταντικρὺ μάλιστα ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ Αἰθίοπες οἰκοῦσιν, οἳ Αὐξωμῖται καλοῦνται, ὅτι δὴ αὐτοῖς τὰ βασίλεια ἐστιν ἐν Αὐξώμιδι πόλει. Vides apud Procopium Auxomitas ab Homeritis longo intervallo distinctos, non pro iisdem usurpatos, ut nonnulli scripserunt. Ac quod ad Homeritas attinet, de Arabicis istis accipiendus est Epiphanius. Sed in Axomitide vix est ut ab errore possit excusari. Nam Ἀξωμῖτις sive Auxumitis, ut vidimus, in Aethiopia, non in Asia situm habet, ut vel Epiphanius ipse initio huius operis et in Sethianis docet, cum de propagatione gentium agit. Quamobrem Africae regiones et ad meridiem sitas cum Asiaticis et Orientalibus permiscuit. Nisi forte Auxumitas, quemadmodum et Homeritas, in Arabia quoque collocandos quispiam putet, unde in Aethiopiam transfretarint. Nam et Aethiopas constat ab Arabibus propagatos, idque vel appellatio ipsa probat. Etenim Ἀβασηνοὶ, quod nomen Aethiopes hodie sibi vendicant, in Arabia turifera apud Stephanum positi sunt. Vide quae Scaliger ad Computum Aethiop. observat l. 7 de Emend. Temp.

καὶ Βούγεαν καὶ Λίβαν] Bugeam nusquam alibi reperio, nisi quod Estheris 12, 6 Aman Bugaeus appellatur. Sed pro 272
Βουγαῖος Ἀγαγαῖος quidam rescribunt non recte. Potest enim ignoti cuiusdam loci nomen esse, et quidem in Syria. Nam quod Macedo eiusdem libri c. 16 com. 8. Aman esse dicitur, haud vana suspitio est, Interpretem Graecum, qui sub Ptolemaeo Rege Graecam interpretationem edidit, Macedonis nomen generalius usurpasse pro peregrino et Europaeo, hoc est ab Europaeis oriundo, qui in Syria Asiaque consedissent, cum ab Asiaticis Graeci tum omnes Macedones vocarentur, uti Christiani a Turcis vulgo Franci, Mahumetani a nostris Turcae nominantur. Quam coniecturam indicat Serrarius noster. Iam Liba, quantum ex Geographis colligi potest, nulla in Orientis isto tractu reperitur. Nisi quod apud Polyb. l. 5 Mesopotamiae oppidum eius nominis est. Sed regionis, non oppidi hoc loco esse propria videtur appellatio.

703 d. Μάγαρδες] Quinam sint Magardes quaerant quibus otium est, et utrum Illyrici Pannoniaeque populi sint. Nam di Magares Turcae passim Hungaros vocant, et μαγαρισμὸς a

Graecis vulgo *Μαωμιετισμὸς* appellatur. Sed haec longe Epiphanii temporibus recentiora fortasse non congruunt. Quaerendum igitur amplius.

τῆς τε τῶν Σκόπτων] Non male, ut opinor, *Σκότων* pro *Σκόπτων* reposuimus. Scoti ab Hispanis ortum habuerunt. At Franci Epiphanii tempore prope Rhenum circa Frisiam et Bataviam habitabant.

704 d. *καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν*] Illud *ἴσως* non *ἀποῤῥητικῶς* sumi puto, sed idem esse atque aequaliter. Quod ait *καθ' ἑκάστην ἡμέραν* lucernas arsisse, de nocte, quae *νυχθημέρου* pars est, dubium est nullum. Sed utrum interdiu quoque luxerint non adeo constat. Lyranus et Abulensis ad lib. I Reg. noctu diuque pariter arsisse scribunt, sed noctu plures, de die pauciores, hoc est, ut Iosephus asserit 3, 9 quatuor. Quorum opinio authoritate Scripturae nititur. Si quidem Exodi 30, 8 tam mane componi lucernae quam ad vesperum collocari dicuntur. *Quando componet lucernas, incendet illud, et quando collocabit eas ad vesperum etc.*, quod intelligi non potest, si vespere duntaxat accendi lucernas moris fuerit. Verum noctu duntaxat luxisse perspicue docetur Exodi 26, 21, ubi de lucerna ita praescribitur: *Et collocabunt eam Aaron et filii eius, ut usque mane luceat coram Domino;* LXX *ἀφ' ἑσπέρας ἕως πρωΐ*. Idipsum et ex l. 1 Reg. 3, 3 deducitur. *Lucerna Dei antequam extingueretur*, inquit, *Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat Arca Dei.* Qui locus olim in Latinis codicibus mendose legebatur hoc modo: *Nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur*, adversus et Hebraicam fidem et Graecorum interpretationem. Quod vitium olim iam subodoratus erat Lyranus et a Clemente Pontifice novissima recensione sublatum est. Quare frustra Ribera noster Abac. 2 ita obsoletae huic lectioni patrocinatur, quasi ו copulativum in Hebraeo redundet: *Et non poterat videre et lucernam Dei.* Sed eos Commentarios ante correctionem scripsit Ribera. Hodie vero cum Hebraeis et Graecis Latini codices verba illa, *Lucerna Domini antequam extingueretur*, alteri commati tribuunt. Hieronymus in Tradit. Hebr. hunc ipsum locum declarans haec scribit: *Quod vero ait: et antequam lucerna Dei extingueretur in templo Domini, ubi erat arca Dei, Samuel dormiebat*

Antequam lucerna Dei extingueretur, intelligi oportet; antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lu- 273
cerna. Sic enim a Domino per Moysen iussum erat, ut eadem lucerna luceret usque mane. Igitur noctu duntaxat ardebant lucernae, quae sub vesperam accendebantur, mane componebantur. Quae duo plurimum discrepant. Aliud, inquam, est *collocare lucernas*, aliud *componere*. Prius illud est candelabro lucernas imponere et accendere. Ideo c. illo 27 Exodi com. 21, ubi Latine sic legitur: *Et collocabunt eam Aaron et filii eius*, Hebraice scriptum est יערך ordinabit, in candelabro nimirum. At Graece *καύσει αὐτὸ* (videlicet oleum) *Ἀαρὼν καὶ υἱοὶ αὐτοῦ ἀφ' ἑσπέρας ἕως πρωΐ*. Sed in illo loco, quem Abulensis ex c. 30 com. 8 profert, pro Latino *componendi* vocabulo, Hebraice היטיב, quod est aptare, ac repurgare, vel potius recondere, Graece *ἐπισκευάσαι*, hoc est in loco suo, ac theca, vel cella reponere. Sic componere mortuum in lecto, quod nos dicimus *agencer*. Ibidem vero pro eo quod Latinus Interpres habet: *quando collocat eas ad vesperum*, Hebraice scriptum est בהעלות hoc est attollere, imponere candelabro, LXX *ἐξάπτειν*, accendere. Sic l. 1 Reg. eo loco, quem adduximus: *Lucerna Dei antequam extingueretur*, in Reg. est *καταβεσθῆναι*. In Editione Sixti *ἐπισκευασθῆναι*. Ex quibus apparet idem esse collocare lucernas, quod attollere super candelabrum et accendere, contra vero componere idem esse atque extinctas detrahere et suo loco reponere. Erant enim exemptiles lucernae, quae candelabro sub noctem impositae, diluculo demerentur. Exod. 25, 37. *Facies et lucernas 7 et pones eas super candelabrum.* L. 2 Par. c. 13, 11: *Estque apud nos candelabrum aureum et lucernae eius, ut accendantur semper ad vesperam.* Si ad vesperam accendebantur, ergo interdiu erant extinctae, non modo 4, ut Iosephus credit, sed omnes septem.

οὐ γέγονε γὰρ τὸ σάββατον] Huic affine est quod R. Mose ben Maimon Parte 1 Iad. Tract. de Sabbato c. 2 §. 3 scribit: הנה למדת שאין משפטו התורה נקמה בעולם אלא רחמים וחסד וישלום בעולם. *Ecce*, inquit, *didicisti, Legem nunquam omnino crudelem et inhumanam esse, sed misericordiae, benignitatis ac pacis plenissimam.* De Sabbato vero loquitur, quod aegro-

torum caussa, ac propter pia quaedam ministeria solvi posse pluribus declarat.

AD HAERESIN LXVII HIERACITARUM.

Authoris huius Sectae nomen varie concipitur etiam hic ab Epiphanio. Nam aut Hierax, aut Hieracas vocatur. Qua posteriori appellatione censetur apud Hilarium l. 6 de Trinit. et Aug. lib. de Haeres. Sane si Hieracas appellandus sit, Graece fortasse scribendum erit Ἱεραχᾶς. Sed nihil in editione nostra mutandum censuimus. Neque vero satis recte ad eum modum inflecti putem posse ὁ Ἱέραχας τοῦ Ἱέρακα, sed vel Ἱεράχας τοῦ Ἱεράκα, vel Ἱεραχᾶς τοῦ Ἱεραχᾶ.

AD HAERESIN LXVIII MELETIANORUM.

De Meletianis Actis ac tota Schismatis historia, quam hic proponit Epiphanius, quid sentiendum sit, in Baronianis Annalibus explicatur anno 306, quibus ego libentissime subscribo.
274 Certissimum enim est, a Meletiano aliquo scriptore falsa Meletii acta conscripta fuisse, in quibus turpissimam hominis infamiam et execrabilia facinora dissimulare conatus est. In ea cum imprudens incidisset Epiphanius, veram ac sinceram illam esse narrationem frustra credidit. Quod utinam ei in mentem non venisset! Pessime quidem de humano genere merentur illi, qui sacrosanctam historiae veritatem mendaciis aspergunt suis. Sed multo detestandi magis ac publice coërcendi videntur, qui ad falsitatem impietatis ac sacrilegii crimen adiungunt, dum res Haereticorum hominum, eorundemque caussas ac personas stilo suo non modo sublevant, sed etiam contra fidem veritatis exornant. Cuiusmodi aetate nostra complures Historiae prodeunt, a Catholicis, ut videri volunt, et Romanae communionis hominibus editae, sed quae in Genevensi aliquo conventu meditatae dictataeque videantur. Quarum praedicandarum finem nullum Haeretici ipsi faciunt, Catholici non ut suspectas solum, sed ut impias ac damnatas execrantur. Eiusmodi Meletiana illa fuit Historia, quae sanctissimum virum in errorem adduxit. Nam qualis revera Meletius fuerit, quaeve concitandi schismatis occasio ac pro-

gressio, multo certius ex Athanasii scriptis atque ex Nicaeni Concilii Synodicis literis intelligi potest. Vide omnino quae illic a Baronio accuratissime disputantur.

717 b. *τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ τὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ*] Sic in magno Nicaeno Concilio Can. 6: *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν.* Porro in iis provinciis recensendis, quae Alexandriae contribuuntur, animadvertendum est distingui ab Epiphanio *τὴν Μαρεώτην* et *τὴν Μαρεώτιδα.* Ptolemaeus l. 4 Mareotidem et Maraeotam ita discernit, ut Maraeotis oppidum sit Libyae Nomidis, haud procul ab Oasite: at *ὁ Μαρεώτης* provincia sit, sive Nomus ac praefectura ad Mariam, sive Mareotidem lacum, quae in Aegypto censetur. Plinius vero Mareotas velut populum quendam in Mareotide Libya collocat 5, 6.

717 c. *παραπεσόντες οὖν καὶ θύσαντες*] Tametsi impetrandae poenitentiae caussa ad Martyres iccirco confugisse videri possint, quod iidem illi Episcopi forent, a quibus id obtineri debuit, nihilominus veterem ad ritum fortassis istud pertinet, quo lapsos ad Martyres adiisse scimus, ut ab iis libellos ac literas ad Antistites peterent, quorum beneficio in integrum restituerentur. De quibus frequens est apud Cyprianum, Tertull. ac caeteros mentio.

718 a. *οὐ μὴν ἵνα ἕκαστος δεξιωθῇ*] Clerici post poenitentiam publicam ad Communionem Laicam nonnunquam redacti. Alias honore ac dignitate salva, ab omni functione duntaxat et administratione summoti sunt. Ancyranum Conc. Can. 1 Presbyteros sacrificatos, qui postea ad certamen redierint, iubet *τῆς μὲν τιμῆς τῆς κατὰ καθέδραν μετέχειν, προσφέρειν δὲ αὐτοὺς, ἢ ὁμιλεῖν, ἢ ὅλως λειτουργεῖν τι τῶν ἱερατικῶν μὴ ἐξεῖναι.* Quod idem Can. sequenti de Diaconis constituitur: cum eo, ut si quos Episcopus humilitatis, poenitentiae, ac caeteris id genus officiis insignes animadverterit, cum eis mitius atque humanius possit agere. At Leo Papa Ep. 3 Clericos ab Haereticis revertentes post poenitentiam, sine ulla spe promotionis in eodem manere ordine decrevit, in quo fuerant. At olim Clericis aegre indulta poenitentia. Ideo in Arausicano 1, 275 Can. 4 nominatim cavetur: *Poenitentiam desiderantibus etiam*

Clericis non negandam. Verum qui poenitentiam aliquando publicam obiissent, ordinari nefas erat. Conc. Tolet. 1 Can. 2. Hinc Optatus Milevitanus l. 2: *Invenistis*, inquit, *pueros. De poenitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent.* Ita vel pueri, qui coacti poenitentiae speciem adumbrarant, a sacris ordinibus reiecti. In Carth. 5 Can. 11 decretum est, ne Presbyteris, vel Diaconis gravioris culpae convictis, ideoque deponendis, manus tanquam poenitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponatur. Quo et Augustini locus ille pertinet l. 1 de Bapt. con. Donat. c. 1. *Nam sicut redeuntes, qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur: ita redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur, sed aut administrant, quod administrabant, si hoc Ecclesiae utilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum ordinationis suae tamen gerunt, et ideo eis manus inter laicos non imponitur.*

718 d. *τουτέστι λωδίκιον, εἴτουν παλλίον*] Pallium enim pro quavis veste, etiam stragula sumitur.

719 a. *γίνεται δὲ Πέτρου μαρτυρῆσαι*] De Petri successore dicemus ad sequentem Haeresim c. 11. Nam et plurimum in ea narratione falsus est Epiphanius.

ἐν τοῖς Φαινησίοις μετάλλοις] Meminit in eadem persecutione declaranda Phaenesiorum Metallorum Eusebius 8 libro in appendice, vel c. 17: *τοῖς κατὰ Φαινὼ τῆς Παλαιστίνης χαλκοῦ μετάλλοις τοὺς πάντας παραδίδωσι.* Quam horrenda haec metalla fuerint, docet Athan. Epist. ad Solit. p. 658 ubi Eutychium Hypodiaconum ab Arianis scribit ad metalla damnatum, *καὶ μέταλλον οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' εἰς τὸ τῆς Φαινῶ· ἔνθα καὶ φονεὺς καταδικαζόμενος ὀλίγας ἡμέρας μόγις δύναται ζῆσαι.* Vide Ortelium.

720 c. *ἤδη δὲ ὁ μακαρίτης*] Ex eadem officina consequens historia prodiit, Meletiani videlicet cuiuspiam nebulonis. In qua primum illud falsissimum est, superstite adhuc Alexandro Meletianos cum Arianis conspirasse, quod Alexandro demum mortuo contigisse docet Athanasius Apol. 2 p. 603. Nam Alexander nondum 5 mensibus post Nicaenum Concilium expletis moritur. Post eius obitum, cum Meletius per idem fere tempus excessisset, Meletiani ab Eusebio Nicomediensi solicitati cum

Arianorum factione coierunt. Quae historica series Meletiani impostoris fabulam iugulat.

ἦν δὲ Παφνούτιος] Alius hic esse debet a magno illo Paphnutio Thebaidis Episcopo, qui Nicaenae Synodo interfuit, quique et ipse Confessor extitit, Constantino Imp. carissimus. Hic enim in Conciliabulo Tyrio pro Athanasio adversus Arianos restitit. Fortasse vero Meletianus iste, qui hanc fabulam concinnavit, in Paphnutii nomine fucum posteris fecit, ut Paphnutium e Meletianorum grege quempiam cum altero illo Confessore et insigni viro confuderit. Sane Paphnutios aliquot Episcopos recenset Athanasius in Apologia, sed qui ipsius caussae faverint. Unum vero Monachum, qui insidiarum calumniarumque contra se ab Arianis et Meletianis excogitatarum particeps fuerit, cuius Epistolam in Apol. 2 profert. Postremo Callinici Meletiani in eadem Apol. meminit: eumque cum Isione et Eudaemone subornatum ab Eusebianis scribit, ut falsorum criminum reum sese ad Imper. deferrent.

722 c. οἱ κατὰ Μελήτιον] Meletianos Episcopos intellige, 276 non Meletium, qui iam e vivis excesserat. De huius historiae mendacio ad sequentem Haeresin dicetur.

723 a. κατεάξαι κανδῆλαν] Quaenam ea vox sit nondum comperi. Certum est ποτήριον μυστικὸν fuisse. Vide Athan. ipsum in Apol. Theodoretum et alios.

725 a. μένει ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Ἰταλίας] Neque illud verum est, tot annos in Galliis haesisse. Non enim amplius quam annos 2, menses 4 exulavit, ut testatur Theodoretus. Vide Ann. Eccles. A. 338. Reliqua narrationis huius, quae in sequenti capite haud sincera sunt, ex Historiis Ecclesiasticis et Annalibus Baronianis luce clariora sunt. Quae tu illinc repetes. Sub Constantino Imperatore ante relegationem Athanasii, Arsenii drama contigit, non post illius obitum.

AD HAERESIN LXIX ARIANORUM.

727 c. ὅαμι γὰρ Ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς] Singularem tunc temporis Alexandriae morem hunc fuisse, vel saltem paucis in Ecclesiis usurpatum, ex eo coniicias, quod tam expresse istiusmodi consuetudinis, tanquam Alexandrinae Ecclesiae pecu-

liaris, meminit: uti nimirum plures in eadem urbe Tituli forent, quibus singulis suus attributus esset Presbyter, qui Ecclesiasticas functiones illic obiret. Sed alibi tamen iampridem institutum idem fuerat: velut Romae, ubi per Titulos distributi Presbyteri suos quique populos regebant. Ad eos Episcopi Dominicis diebus fermentum, sive benedictum panem in communionis symbolum mittere consueverant. Innocentius ad Decentium c. 5. *De fermento vero, quod die Dominico per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiae nostrae intra civitatem sint constitutae, quarum Presbyteri, quia die isto propter plebem sibi commissam nobiscum convenire non possunt, ideo fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die non iudicent separatos.* Quod a Melchiade constitutum fuisse Liber Pontificalis Damasi tradit. Laodic. Conc. Can. 14. Eulogiarum istarum meminit: *περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ Πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπεσθαι.* Sed de hoc ritu pluribus in Eccles. Ann. Baronius A. 313. Non dubito maioribus duntaxat in urbibus plures intra pomoeria Titulos fuisse, cum intra eadem septa contineri unaque convenire non possent, adeoque Presbyteros singulis Ecclesiis impositos. In minoribus autem ac minus frequentibus oppidis unam duntaxat Ecclesiam extitisse, in quam universi confluerent. Cuiusmodi Cypri urbes erant. Unde quod Alexandriae receptum erat, velut popularibus suis peregrinum et inusitatum adnotavit Epiphanius. Hinc origo Paroeciarum, quod vocabulum a rusticanis Ecclesiis ad urbicas translatum. *παροικία* proprie *χώραν* omnem regionemque significat, quae ab urbe distans Ecclesiae certae contribuitur, quemadmodum olim Romae singulis viciniis *πάγοι*, sive colles, constituti fuerunt a Servio Tullio Rege, tanquam *κρησφύγετα*, sive receptus ac perfugia, 277 quo se ab ingruenti hoste tutarentur. In iis collibus arae collocatae *θεῶν ἐπισκόπων τε καὶ φυλάκων τοῦ πάγου, οὓς ἔταξε θυσίαις κοιναῖς γεραίρειν* etc. ait Halicarn. l. 4. Imo vero et pagi singuli curatores suos habuerunt, quos *ἐπισκόπους* et *περιπόλους* idem auctor appellat. Quibus Christianorum in agris Paroeciae quam-simillimae fuerunt. Nam et illic *ἐπίσκοποι*, sive potius *χωρεπίσκοποι*, olim praefuerunt, quos

Episcoporum vicarios Latinae quaedam Canonum interpretationes vocant: aliae *regionarios*, seu *vicanos*, longe quam illae rectius. Fuit eorum dignitas et potestas Presbyteris simplicibus, ut videtur, amplior et Episcopali suppar. Nam et inferiores ordines ab iis collatos esse constat. Qua de re obscurus est Ancyrani Concilii Can. 13. *Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι Πρεσβυτέρους ἢ Διακόνους χειροτονεῖν· ἀλλὰ μηδὲ Πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ.* Vetat Presbyteros ac Diaconos a Chorepiscopis consecrari. Sed obscurissima sunt quae subiunxit: *ἀλλὰ μηδὲ Πρεσβυτέρους*, quorum duplex potest esse sensus. Aut enim eandem urbanis Presbyteris potestatem adimit, quod otiosum et ineptum videtur. Quis enim Presbyteros a Presbyteris ordinatos unquam audiit, aut eius rei potestatem illis ab Episcopo per literas esse factam? quod Canon excipere videtur. Vel certe Chorepiscopos prohibet Urbicos Presbyteros ordinare sine Episcopi consensione ac literis, idque in aliena Paroecia: atque ita Balsamo: quod ne ipsum quidem probatur. Nam si Presbyteros, aut Diaconos penitus ordinare vetitum est, quid attinet de urbanis Presbyteris nominatim meminisse? Mendosum igitur esse Graecum Canonem oportet, cuius sententiam ita Latina Editio concipit: *Vicariis Episcoporum, quos Graeci Chorepiscopos vocant, non licere vel Presbyteros, vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, sine Episcopi praecepto, amplius aliquid imperare: nec sine authoritate literarum eius in unaquaque parochia aliquid agere.* Quod si in Graeco Canone verba illa expunxeris: *ἀλλὰ μηδὲ Πρεσβυτέρους πόλεως*, sensus erit aptissimus, quo interdictum Chorepiscopis est Presbyterorum ac Diaconorum ordinatione, nisi id per Episcopos licuerit. Quod cum Antiochenae Synodi decreto geminum est, quae Can. 10 ita sanxit: *τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους Χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ Συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα, καὶ διοικεῖν τὰς ὑποκειμένας αὐτοῖς Ἐκκλησίας, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι φροντίδι καὶ κηδεμονίᾳ· καθιστᾷν δὲ Ἀναγνώστας, καὶ Ὑποδιακόνους, καὶ Ἐξορκιστὰς, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι προαγωγῇ, μήτε δὲ Πρεσβύτερον, μήτε Διάκονον*

χειροτονεῖν τολμᾷν δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει Ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκεινται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα. εἰ δὲ τολμήσειέ τις παραβῆναι τὰ ὁρισθέντα, καθαιρεῖσθαι αὐτὸν καὶ ἧς μετέχει τιμῆς· Χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως, ᾗ ὑπόκειται Ἐπισκόπου. Quem Canonem sic Latinus Interpres reddidit: *Chorepiscopi, tametsi manus impositionem ab Episcopo susceperunt et ut Episcopi sunt consecrati, tamen placuit sanctae Synodo eos modum proprium retinere et gubernare adiacentes sibi civitates, et esse contentos propria solicitudine, et gubernatione, quam susceperant. Constituere autem his permittitur Lectores, et Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus sufficiat istorum tantum graduum licentiam accepisse. Non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare praeter conscientiam Episcopi civitatis, vel Ecclesiae, cui adiacens invenitur, seu ipse, seu regio, in qua praeesse dignoscitur etc. Chorepiscopus autem ab Episcopo civitatis, vel loci, cui idem adiacet, ordinandus est.* Poterant itaque
278 Subdiaconos ac minores Clericos ordinare, et vero Presbyteros, ac Diaconos, si ab Episcopo fieret potestas. Quare amplius quiddam erant quam Presbyteri et, si verum quaerimus, Episcopi erant, cum ab alio quam ab Episcopo ordinari Sacerdotes ac Diaconi saltem nequeant. Sic enim argumentari licet. Cum in secundo Apostolicorum Canonum praescriptum sit ut ab uno Episcopo Presbyter et Diaconus ac reliqui Clerici ordinentur, Chorepiscopi autem Subdiaconos, inferioresque caeteros per sese; Presbyteros ac Diaconos permittente Episcopo consecrare potuerint, necesse est illos Episcopos fuisse. Atque hoc perspicue Canon Antiochenus significat, cum ait εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες. Quod Dionysius Exiguus ita vertit: *quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint et ut Episcopi consecrati sint.* Sed et Neocaesariense Concilium Can. 13 cum prohibuisset ne ἐπιχώριοι Πρεσβύτεροι (quos *Presbyteros ruris* interpretatur Dionysius, alia Canonum Editio *conregionales*) ἐν κυριακῷ τῆς πόλεως coram Episcopo, vel urbis Presbytero oblationem facerent et sacris operarentur, eodem Canone, secundum Latinas Editiones, vel sequenti, ut Graeci codices habent, Chorepiscopis id permittit, quod τοῖς ἐπιχωρίοις Πρεσβυτέροις negaverat: οἱ δὲ χωρ-

ἐπίσκοποι εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς προσφέρουσι τιμώμενοι. Non igitur Presbyteri simplices erant, alioqui nihil aliud essent quam *ἐπιχώριοι Πρεσβύτεροι*, et cum *συλλειτουργοὶ* nominantur, quae vox utplurimum Episcoporum collegas significat, ad eam dignitatem pertinuisse videntur. Sane in subscriptionibus Conciliorum nonnunquam Episcopis accensentur Chorepiscopi, ut in Ephesina Synodo p. 322 Caesarius Chorepiscopus, et Neocaesariensi Stephanus Chorepiscopus Cappadociae. In Antiocheno vero Canone 8 Chorepiscopis concessum, ut pacificas literas tribuere possint. Postremo Leo Papa Ep. 88 de iisdem illis agens: *Nam quamvis*, inquit, *cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen authoritate veteris legis, quaedam novella et Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum et Diaconorum, aut Virginum consecratio: sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel unctio etc.* Quanquam hac eadem Epistola Leo Chorepiscopos in Presbyterorum ordinem redigit, cum ita loquitur: *Chorepiscopos (qui iuxta Canones Neocaesarienses, sive secundum aliorum decreta Patrum iidem sunt, qui et Presbyteri) vel Presbyteros destinarent.* Nisi forte haec, quae parenthesi clauduntur, ab otioso aliquo ad marginem adscripta postea in contextum irrepserint, quod verum puto. Nam etsi Canone Neocaesariensis Synodi 13 Chorepiscopos ad exemplum septuaginta constitutos esse decretum sit, tamen differre plurimum a Presbyteris, iisque antecellere docuit Canon idem, quem supra commemoravimus. Extat inter Pontificum Decretales Epistola Damasi 5 de Chorepiscopis, in qua vehementer ordinem illum exagitat, negatque funditus, a Presbyteris ulla ex parte discrepare. Sed multa sunt, quae suspectam illius Epistolae fidem non obesae naris hominibus reddant. Nam ut de stylo ipso scribendique genere nihil hic dicam, nonne falsissimum est, quod ibidem refertur, Chorepiscopos tam a Romana sede quam a totius orbis Episcopis abrogatos ac ministerio prohibitos fuisse? Vel unius Leonis Epistola, quam proxime citavimus, argumento esse potest, non modo non antiquatos a 279
Romano Pontifice Chorepiscopos, sed ascitos esse, ac certa disciplina constrictos, cum suis se finibus continere iubentur; nec

ea quae Pontificum propria sunt usurpare munera. *Quamvis*, inquit, *cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis est dispensatio.* Quod ad reliquos spectat totius orbis Episcopos, a quibus prohibitos esse dicit, tantum abest, ut id verum sit, ut in Oecumenica Synodo Chalcedonensi inter Clericos recenseantur Can. 2. *εἴ τις Ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο* etc. *καὶ χειροτονήσειεν ἐπὶ χρήμασιν Ἐπίσκοπον, ἢ Χωρεπίσκοπον, ἢ Πρεσβυτέρους, ἢ Διακόνους* etc. et in Ephesina, uti diximus, inter Episcopos subscripserit Caesarius Chorepiscopus. Quinetiam in Capitul. Caroli Imper. c. 9 de Chorepiscopis ex Antiochena et Ancyrana Synodo decretum inseritur; ut appareat etiam tum in Galliis fuisse Chorepiscopos. Nam et ad Gallicanos Episcopos Leo Papa de iisdem scripserat. Non minus falsum est, quod illic supposititius Damasus affirmat, non licuisse Chorepiscopis Subdiaconos ordinare, contra Antiocheni Concilii canonem et Leonis epistolam, qui Presbyterorum duntaxat ac Diaconorum consecrationem adimit. Atenim Episcopos illos non fuisse etiam rationibus ibidem ostenditur. Primum quod ab uno Episcopo ordinari solerent, cum a Patribus edictum sit, ut qui ab uno, vel a duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi. Deinde quod Ecclesiasticae sanctiones prohibeant in villa, vel in castello, aut in exiguo aliquo oppidulo Episcopum consecrare. At, inquit, Chorepiscopus est villanus Episcopus. Igitur contra Canonum auctoritatem est Chorepiscoporum institutio. Sed quod ad Chorepiscoporum ordinationem attinet, fuerintne ab uno duntaxat, cuius in Dioecesi erant, Episcopo consecrati, an a pluribus, nihil in omni antiquitatis memoria satis expressum nobis occurrit. Quod si Damaso illi credimus, non solum Episcopi tum erant, sed a pluribus etiam Episcopis ordinabantur. Quod ex Antiocheni Canonis verbis affirmat, quoniam ita scriptum est: *εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες. Videtur*, inquit, *mihi quod tunc non ab uno, sed a pluribus ordinabantur, quia nullatenus diceret Episcoporum, si ab uno fieret talium ordinatio, cum Episcoporum pluraliter dictum sit.* Sed genitivum illum *Ἐπισκόπων* aliter Latini interpretes acceperunt: ut nimirum *χειροθεσία Ἐπισκόπων* non illa manuum impositio sit, quam plures Episcopi faciunt, sed qua fiunt Episcopi. Quare si verum

est, quod Epistola ista narrat, non ab uno tantum consecrati fuerint Chorepiscopi. Verum perturbate admodum ac perplexe loquitur, cum eosdem, quos Episcopos fuisse tunc asseruerat, nescio quo pacto subinde neget Episcopos fuisse. Sed Antiocheni Canonis authoritas opponitur, cuius ea clausula est, *Χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως ἧ ὑπόκειται Ἐπισκόπου. Chorepiscopus autem ab Episcopo civitatis vel loci, cui idem adiacet, ordinandus est.* Hinc illae lacrymae. Atqui cum ab Episcopo, cui subiectus est, ordinari iubet, non alios excludit, qui una manus imponant, sed hoc solum praecipit, ut ordinationis praeses ac moderator ille sit, cuius in ditione versatur: ut eius hortatu invitatuque adhibeantur alii, ut eodem inconsulto, ut iniussu denique Chorepiscopus non fiat. Quam huius Canonis esse sententiam declarat Balsamo, 280
cum ait, Chorepiscoporum hac appendice refraenatam arrogantiam, qui propriis contemptis Episcopis a Metropolitano, vel Patriarcha ordinari sese vellent, quo minus in suorum potestate forent. Ideo constitutum, ut ab Episcopo suo consecrarentur. Etenim simillimum quiddam videtur ac cum dicitur, a Metropolitano provinciales omnes Episcopos ordinari; ex veteri Canone, qui in Chalcedonensi Concilio Act. 13 p. 389 ita concipitur: *ὥστε ἐν μιᾷ ἑκάστῃ τῶν ἐπαρχιῶν τὸ κῦρος ἔχειν τὸν τῆς μητροπόλεως, καὶ αὐτὸν καθιστᾷν πάντας τοὺς ὑπὸ τὴν αὐτὴν ἐπαρχίαν Ἐπισκόπους: Ut in unaquaque provincia ius ac potestatem Metropolitanus habeat, idemque cunctos, qui in eadem provincia sunt, Episcopos ordinet.* Sic eiusdem Concilii Act. 16 cum ex 2 Synodi decreto Constantinopolitano Archiepiscopo concessum dicitur, ut Ponticae, Asianae, Thraciae Dioeceseos Metropolitani duntaxat ab eo consecrentur: *χειροτονεῖσθαι τοὺς Μητροπολίτας τῶν προειρημένων διοικήσεων παρὰ τοῦ Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως*, non statim consequens est, solum Archiepiscopum manus imponere, sed *τὸ κῦρος ἔχειν*, ut Nicaenus Canon 4 loquitur: *τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ Μητροπολίτῃ.* Ad eundem itaque modum Chorepiscopus a pluribus ordinari potuit, praeeunte ac moderante scilicet Episcopo. Alterum quod in illa Damasi Epistola proponitur, cautum esse, ne in vicis agrisve constituerentur Episcopi, sententiam nostram

maiorem in modum confirmat. Est enim Laodiceni Concilii Canon 57: *ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι Ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς· τοὺς μέντοι προκατασταθέντας μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐν τῇ πόλει. Quod non oporteat in villulis et in agris Episcopos constitui, sed visitatores. Verumtamen iampridem constituti nihil faciant praeter conscientiam Episcopi civitatis.* De Chorepiscopis praescribere videtur, quos Episcopos agnoscit, sed usurpari id amplius vetat, neque deinceps iis in locis Episcopos eligi. Quam quidem sanctionem nequaquam observatam fuisse satis ea demonstrant, quae ex Antiocheno Concilio et aliorum Patrum decretis attulimus.

Ad summam Chorepiscopi *τῆς χώρας*, quae olim proprie *παροικία* dicebatur, Episcopi, ac rusticanis Ecclesiis praepositi fuerunt. De quorum institutione Balsamo ad 14 Can. Neocaes. Concilii ita disputat: Episcopos in locum Apostolorum 12 successisse, quibus ligandi solvendique potestas est data. Sed cum ad Evangelii praedicationem, caeterasque functiones obeundas Apostoli minime sufficerent, adhibitos in consortium certos homines, qui *Discipuli Domini* vocarentur, qui quidem remittendorum peccatorum potestate carerent. Horum ad similitudinem *Chorepiscopos* fuisse suffectos, qui Ecclesiasticas pecunias in pauperes dividerent. Unde neque Presbyteros ac Diaconos ordinare possunt, neque peccata remittere, quemadmodum nec LXX discipuli poterant. Haec fere Balsamo. Ubi quod remittendorum potestatem peccatorum Chorepiscopis adimit, ac solis Episcopis tribuit, quo sensu dictum sit paulo post declarat: *ὅτι οἱ ἱερεῖς οὐ δύνανται δέχεσθαι λογισμοὺς, καὶ ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ ἐκχωρηθῶσι ταῦτα παρὰ τοῦ Ἐπισκόπου. Non possunt Sacerdotes, ut nec Chorepiscopi confessiones excipere, neque peccata remittere, nisi ab Episcopo potestatem*
281 *prius impetraverint.* Atque hoc de publica poenitentium reconciliatione potissimum intelligendum est, quam ab Episcopo tribui Canones praescribunt: velut in Carthag. 3, Can. 32: *Ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet Poenitentem.* Leo quoque Pontifex Epist. 88 inter ea, quae soli Episcopo concessa, Chorepiscopo negata dicit, hoc ipsum recenset: *Neque*, inquit, *publice quidem in Missa quenquam Poenitentem*

reconciliare. Quod una cum caeteris in Epistolam suam Damasus ex illa Leonis transtulit.

Mihi vero Chorepiscoporum origo iisdem ex caussis profluxisse videtur, ob quas Alexandriae Laurarum, sive Ecclesiarum divisiones institutas Epiphanius scribit, itidemque Romae Christiana plebs in Titulos distributa fuit. Cum enim Episcopi urbana plebe regenda pascendaque districti, in agros excurrere, atque Ecclesiastica munera et Sacramenta rusticanis hominibus impendere minus possent, vicarios eodem Chorepiscopos allegabant, in quos magnam iuris potestatisque suae partem transferrent: nonnullis scilicet exceptis, ac sibi reservatis, quorum usus ac functio minus urgeret, quae ab Leone et illo Damaso commemorantur. Quamobrem antiquissima esse debet Chorepiscoporum institutio, adeoque altera illa Titulorum in urbibus divisione vetustior. Siquidem initio unus oppidanis omnibus par esse poterat Episcopus. Hinc est quod in Neocaes. Can. 13 unum duntaxat urbis *κυριακὸν* nominatur, in quo vicanis Presbyteris, praesentibus urbicis, sacris operari non licet. Atque haec Epiphanii tam accurata de Alexandrinae Ecclesiae pluribus Ecclesiis observatio rem nec alibi passim, nec olim usurpatam, ac receptam fuisse demonstrat. At in agris Paroeciarum Ecclesiarumque divortia primitus instituta nemo prudens negaverit. Quibus administrandis ac gubernandis Chorepiscopi, tanquam ruris Episcopi, praepositi sunt, cum amplissima quondam, ut vidimus, facultate, optimaque lege. Quam deinde potestatem Episcopi constringendam, ac certis conditionibus temperandam putarunt: donec Episcopali dignitate, ac consecratione privati primum, deinde prorsus abrogati fuerunt. Pro iis enim *περιοδευτὰς* creari Laodicenum Concilium decrevit, quos Latina interpretatio *Visitatores* appellat: *Circitores*, aut *Lustratores* vocare possis, ut est in Glossario Vet. Balsamon ad Laodic. Can. illum 57. *περιοδευταὶ δέ εἰσιν οἱ σήμερον προβαλλόμενοι παρὰ τῶν Ἐπισκόπων Ἔξαρχοι· οὗτοι γὰρ περιοδεύουσι, καὶ ἐπιτηροῦσι τὰ ψυχικὰ σφάλματα, καὶ καταρτίζουσι τοὺς πιστούς*. In Concilio Chalcedon. Act. 4 *ὁ εὐλαβέστατος Πρεσβύτερος, καὶ περιοδευτὴς Ἀλέξανδρος*. Item Act. 10 in Libello contra Ibam a Clericis Edessenis oblato: *Βαλέντιόν τινα ἐπίρρητον ἄνδρα, οὗ πάντες οἱ συγκωμῆται κατεβόησαν*

ἐγγράφως καὶ ἀγράφως μοιχείαν, καὶ ἀρσενοκοιτίαν, ἐχειροτόνησε Πρεσβύτερον, καὶ περιοδευτήν. *Ibi Procuratorem* Latinus interpres vertit: alibi *circuitorem*. Fuit igitur περιοδευτὴς Presbyter et quidem ἐν κώμαις Chorepiscopo substitutus. Caeterum cum Ecclesiasticae opes ac pecuniae, quae magna ex parte in usus pauperum insumebantur, rusticis quoque praediis continerentur, inde factum arbitror, ut earum rerum curatio Chorepiscopis mandaretur. Quocirca peculiaris haec ipsorum functio fuit, ut Neocaes. Canon. 13 admonet. Ad quem Balsamon τὰ κυριακὰ, καὶ πτωχικὰ χρήματα dispensari ab illis adnotat. Zonaras quoque: τὰς γὰρ τῶν Ἐκκλησιῶν, ὧν προΐσταντο, προσόδους εἰς πτωχοὺς ἀναλίσκειν ὤφειλον, καὶ προνοεῖσθαι αὐτῶν. Tum vero Damasus: *Sed quia, Deo gratias, modo necessarii, sicut in primitiva Ecclesia, propter studium, quod erga pauperes exigebant, non sunt etc.* Cor. *exhibebant* ex Latina Canonis Neocaes. interpretatione, quam ex Dionysio Exiguo Damasus ille descripsit, ut vel ex hoc ipso vetustatem eius agnoscas, quemadmodum et ex illa loquendi ratione, *sicut in primitiva Ecclesia:* ac postremo etiam ex eo, quod sub Epistolae finem de Paulo ita loquitur: *Cum etiam egregius praedicator dicat,* quomodo Paulum ἀντινομιαστικῶς Gregorius in Homilia 37 in Evang. vocat. Quae omnia, ut et alia sexcenta, recentiorem authoris aetatem detegunt. Πτωχικῶν χρημάτων et certorum hominum, qui pecunias illas administrabant, meminit Synesius in luculenta illa Epistola 67. utputa Lamponiani Presbyteri et ante hunc Dioscori Episcopi, de quo ista scribit: πολλὴν οἶμαι χάριν ὀφείλειν αὐτῷ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συμπτώχους, ὧν τοὺς ἀγροὺς ἐκπονεῖ. Finem de Chorepiscopis disputandi facerem, nisi ad eorum functionem illustrandam pauca quaedam superessent, quae praetermitti nefas arbitror. Imprimis Basilius Epistola, quam Balsamon inter Decretales posuit, antiquissimum hunc in Ecclesia ritum fuisse docet, ut qui ad Ecclesiae ministerium adhiberentur, a Presbyteris et Diaconis ante omnia probati Chorepiscopis commendarentur: οἳ τὰς παρὰ τῶν ἀληθινῶς μαρτυρούντων δεξάμενοι ψήφους, καὶ ὑπομνήσαντες Ἐπίσκοπον, οὕτως ἐνηρίθμουν τὸν ὑπηρέτην τῷ τάγματι τῶν ἱερατικῶν. Cui consuetudini derogatum a Chorepiscopis queritur, qui omnem

282

ad sese adsciscendorum Ecclesiae ministrorum authoritatem transferrent, ac postremo Presbyteris et Diaconis permitterent ut quos vellent etiam indignissimos cooptarent. De Subdiaconis caeterisque minoribus Clericis duntaxat iis loquitur, qui in paganis censerentur Ecclesiis. Subdit enim: *διὸ πολλοὶ μὲν ὑπηρέται ἀριθμοῦνται καθ' ἑκάστην κώμην.* Ad haec Gelasius Cyzicenus l. 3 de Conc. Nicaeno Can. 54. 55 et sequentibus multa de Chorepiscopis scitu digna continet, quae tu consule.

727 d. *καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λαβρῶν*] Scribe *λαυρῶν*. Nam oscitantia librarii hunc errorem peperit. In scriptis codicibus vetustioris notae, nec non et in antiquioribus quibusdam excusis litera *υ* ad instar *τοῦ βῆτα* caudata pingitur. Unde ab imperitis exscriptoribus importune prior in posteriorem commutata saepius, velut hoc loco contigisse imperitus et ipse sit qui dubitet. Quocirca vana et ridicula est Tremellii, sive Francisci Iunii coniectura, qui in Londinensibus Bibliis ad Genes. c. 8 in notis marginalibus mendosa hac Epiphanii lectione freti de origine vocis, *labari*, seu *labori* Constantiniani et *libertinorum* Act. 6 nugas meras effutiunt. *Labra*, inquiunt, *Aegyptiis dicitur tota παροικία, quae uni Synagogae subest, inquit Epiphanius κατὰ Ἀρειομανιτῶν, et Labra Synagoga loco editiore sita, atque exinde Lubratenu, vel Lubratenum ad Synagogam Aegyptiorum pertinentes. Act.* 6 *qui Libertini vulgo appellantur. Hinc quoque nomen labarum, signum pensile, quod praeferebatur regibus, ex Armeniorum et Persarum usu, quia exemptile erat et de conto suo descendebat, amovebaturque commode.* En Criticum acumen. De Labaro, deque Lubare 283
monte quantum hallucinentur, diximus ad initium operis huius. Caetera non melioris iudicii sunt, quae vitiosa Epiphanii lectione nituntur. Quanquam ne ipsum quidem Epiphanium intellexerunt. Neque enim ille dixit, totam *παροικίαν*, quae uni Synagogae subest, Lubram ab Aegyptiis appellatam. Nec de Synagoga mentionem ullam attigit, sed de Catholicorum Ecclesia. Tum ut *λάβραν*, non *λαύραν* legendum putemus, non eo vocabulo *παροικίαν* universam seu viciniam eidem Titulo contributam significari docuit, sed *ἄμφοδον*, hoc est vicum unum, quae est propria *τῆς λαύρας* notio Hesych. *λαύρα, ῥύμη στενὴ, δι'*

ἧς ὁ λαὸς εἰσέρχεται (ἡ φλόξ)· οἱ δὲ τόπους πρὸς ὑποχώρησιν ἀνειμένους· οἱ δὲ ἄμφοδα, οἱ δὲ στενωποὺς, καὶ δίοδοι. Sic Alexandriae *λαύρα τῶν εὐδαιμόνων*, in qua delicata omnia et ad luxum facta vendebantur, apud Athen. l. 12. Vide Suidam et Eustathium. Hoc vocabulum ad Monachorum *μάνδρας*, sive *μονὰς* translatum norunt vel pueri.

γενομένου υἱοῦ Οὐαλεριανοῦ] Falsum. Constantii Chlori genus Trebellius in Claudio ita describit: *Claudius, Quintillus et Crispus fratres fuerunt. Crispi filia Claudia: ex ea et Eutropio nobilissimo gentis Dardanae viro Constantius Caesar est genitus.* Itaque *Claudii* pro *Valeriani* scribere voluit Epiphanius. Quanquam enim non ipsius Claudii, sed eius fratris nepos fuerit, a plerisque tamen, qui vel Constantio ipsi, vel Constantino, eiusve posteris adulabantur, ad Claudium origo generis refertur. Ecce tibi vel Trebellius ipse paulo ante Constantium Claudii *nepotem* appellat et *Augustae fuisse familiae* scribit. Nam et Eutropius diserte Claudii per filiam nepotem Constantium facit, et Eusebius in Chronico, ac postremo Iulianus *ὁ παραβάτης* in duobus Paneg. Constantii Constantini F. ad quos de Constantii genere disputavimus.

728 b. *σὺν τῇ νῦν κτισθείσῃ*] Huius Ecclesiae meminit Athanasius Apol. 1. Nam illius caussa calumniam ab Arianis passus est, quod Synaxibus illic habitis Encaenia praevertisset, idque Imperatoris iniussu. *ἐπειδὴ δὲ καὶ περὶ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας κατειρήκασιν, ὡς δὴ συνάξεως ἐκεῖ γενομένης πρὶν αὐτὴν τελειωθῆναι.* Postea hunc eundem *ἐπώνυμον* Constantii *τόπον* appellat, nempe quod Caesarea dicta sit: alioqui Constantianam Basilicam nominatam crederem, nisi prius illud nomen indicaret Epiphanius. Sed hanc Basilicam olim *Ἀδρειανὸν* appellatam fuisse testatur, forte quod ab Adriano erecta. Cuiusmodi Templum illud fuit Tiberiade ab eodem Imperatore conditum, quod *Ἀδριάνειον* vocabant; quodque Iosepho Comite in Ecclesiam mutatum scribit Haer. 30, 12. Ex quo videri potest etiam hoc loco *Ἀδριάνειον* legendum. Caeterum Adrianum titulos in operibus non amasse prodit in eius vita Spartianus.

Γρηγορίου τοῦ Μελητιανοῦ] Gregorium Cappadocem intelligit, qui ex Antiochena Synodo Alexandriam missus et Atha-

nasio deposito successor datus est. Sed idem postea in Sardicensi Concilio redactus in ordinem, Athanasius vero sedi suae restitutus. Quanquam Socrates et Sozomenus Gregorium, quod Arianorum caussam parum strenue promoveret, ab Arianis ipsis remotum asserunt.

728 c. *ἄλλαι δέ εἰσι πλείους*] Theonae dictam Ecclesiam condidit Alexander, cui successit Athanasius, ut Apol. prima testatur ipse. At praeter istas, quas Epiphanius recenset, 284 alia fuit *ἡ καλουμένη κυρίου*, *Domini*; pro quo Latinus Interpres *Quirini* reddidit, quasi esset *Κυρίνου*. Locus est in Epist. ad Solitarios p. 632.

ἕκαστος δὲ τούτων δῆλον] Legendum forte *δῆλον ὅτι*. Porro in singulis iis Ecclesiis quilibet Presbyter privatas Synaxes agebat. Sed cum Athanasii opera magna in dies ad Ecclesiam accessio fieret, arctiora illa templa esse coeperunt: adeo quidem ut in Synaxibus, quae quadragesimae tempore fiebant, plerique in conferta turba propemodum elisi ac praefocati fuerint: *ἐν ταῖς συνάξεσι τῆς τεσσαρακοστῆς*, ubi Interpres aliud agens *Pentecosten* vertit. Ideo in Paschali celebritate pervicit populus, ut in maiori illa Ecclesia, quam Caesaream vocabant, tametsi dedicata nondum esset, Synaxis fieret, ad eamque ex omnibus Ecclesiis fideles concurrerent. Narrat id Athanasius Apol. 1.

728 d. *ἄλλοι δὲ Καρπώνῃ*] Qui ab Alexandro ob Arianam perfidiam eiectus ab Ecclesia a Gregorio in Athanasii locum intruso ad Iulium Papam missus est, ut ipsemet Iulius in Epistola testatur, quam in Apol. 2 descripsit Athanasius.

καὶ γὰρ ὁ Κόλλουθος τινά] Meminit huius Epistola Synodalis ab Alexandrino Concilio in caussa Athanasii scripta, apud eundem Athanasium Apol. 2. Hic cum Presbyter esset, pro Episcopo sese gessit et ordinationes instituit. Sed ab Hosio et Alexandrino Concilio pristinum in ordinem compulsus est. Idem et Haeresin peculiarem tenuit, *ut Deum malorum factorem non esse diceret*, ut Augustinus et Philastrius docent. Quod de iis malis accipiendum est, quae per sese bona, ideo mala dicuntur, quod ad malorum poenas infliguntur.

729 a. *ἡμιφόριον γὰρ ὁ τοιοῦτος ἀεί*] *ἡμιφόριον* idem est quod Hesychio ac Suidae *ἡμιφάριον*, hoc est *ἥμισυ ἱμα-*

τίον. Palladius in Historia Lausiaca, quem citat Meursius: πάντα αὐτῆς (de Melania Iuniore) τὰ σηρικὰ ἡμιφόρια καλύμματα τοῖς θυσιαστηρίοις ἐδωρήσατο. Utraque voce dimidiata vestis exprimitur. Colobium *curtam tunicam* interpretari possis. Proprie quidem quae manicis careat, ac decurtata sit. De qua nonnihil ad Themistium diximus. Sed non minus apte sic appellari videtur, quid non ultra pectus atque humeros pateret, quasi dimidiatum esset pallium. Siquidem κολοβιῶνα latum clavum nominari censet Acro, cui respondere dicit indumentum illud ex purpura, quod a cervice ad pectus extentum gestabant Principes. Ergo propterea κολόβιον et ἡμιφόριον vocatum est, quia iustae vestis more nequaquam extendebatur. Aliud est ὠμοφόριον Episcoporum, de quo Germanus Constantinopolitanus.

729 b. Σεκοῦνδον γὰρ τὸν Πενταπολίτην] Fuit iste Ptolemaidis Episcopus, qui cum Theona, quod Arium damnare nollet in Nicaeno Concilio damnatus est, homo teterrimus. Cuius sparsim Athanasius meminit.

730 a. εὐθὺς τελευτᾷ ὁ ὁμολογητής] Tanto ante Alexandri mortem et Nicaenum Concilium decessisse Meletium putat. In quo vehementer errat, ut supra demonstratum est in Meletianorum Schismate.

730 d. ἅμα Λουκιανῷ ἐν Νικομηδείᾳ] Luciano sanctissimo Martyre, quem nihilominus Ariani patronum autoremque suum iactabant. De quo paulo post.

285 731 b. καὶ πᾶν κακὸν κινεῖ] Leg. ex Theodoreto 1, 5 ubi haec eadem epistola continetur, πάντα κάλων κινεῖ. *Omnem movet rudentem.* Notissimum est Proverbium.

731 c. καὶ Θεοδόσιος καὶ Παυλῖνος] Leg. Θεόδοτος, non Θεοδόσιος, ex Theodoreto 1, 5 et Niceph. 8, 9. Fuit hic Laodiceae Episcopus, Paulinus Tyri, Athanasius Anazarbi, Gregorius Beryti, Aëtius Lyddae.

732 a. σὺν Λουκιανιστᾷ, ἀληθῶς Εὐσέβιε] Emendandum συλλουκιανιστά. Nam Luciani Martyris discipulos se esse gloriabantur. Alexander Episcopus Alexandrinus in Epist. ad Alexandrum Constantinop. Lucianum perstringit, quasi Pauli Samosateni dogma secutus esset, ob idque a tribus deinceps Antiochenis Episcopis ab Ecclesia reiectum asserit. Hunc Arianı

certatim asciscere sibi ac vendicare studebant, adeo quidem, ut in Antiochena Synodo fidei formulam tanquam ab illo conceptam ediderint. Sed Lucianum ab ea calumnia purgat Baron. in Notis ad Martyrolog. et in Annal. Eccles. A. 311 et 318. Ubi Lucianum docet in confutanda Sabellianorum Haeresi longius progressum contrariam in partem paulo vehementius incubuisse et, ut personarum discrimen adstrueret, nonnulla iecisse, quae Ariani postmodum exorti suum in usum transtulerunt. Quod idem plerisque veterum Patrum cum in hoc negotio, tum in aliis fidei Christianae capitibus usuvenit: ut ante errorum atque Haereseon, quibus ea singillatim oppugnabantur, originem, nondum satis illustrata ac patefacta rei veritate, quaedam suis scriptis asperserint, quae cum orthodoxae fidei regula minime consentiant. Ne ab hoc Trinitatis Mysterio ac quaestione discedam, observavimus iamdudum Iustinum Martyrem Dialogo cum Tryphone de filio Dei idem propemodum cum Arianis sentire. Nam pag. Edit. Paris. 119. Verbum Dei, ac Filium, etiam antequam carnem susciperet, inferiorem esse Patre censuit, quem et veteribus apparuisse dicit et subinde commemoratis exemplis ita colligit: *δι' ὧν ἀποδέδειχται ὑπὸ τῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ τεταγμένος, καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ αὐτοῦ.* Deinde quoties in Scriptura legitur: *Ascendit Deus ad Abraam*, vel *Locutus est Dominus ad Moysen*, vel *Descendit Deus, ut videret turrim*, vel *Clausit Dominus arcam deforis*, ac reliqua id genus; negat de Patre ipso debere accipi, qui neque moveatur loco, neque locutus cuiquam fuerit, sed ad Filium pertinere. Nam si eius ipsius, quem miserat, Filii splendorem Iudaei ferre minime potuerunt, quomodo Patris ipsius maiestatem gloriamque sustinerent? Proinde neque Abraam, neque Isaac, neque Iacob, neque mortalium ullus Patrem ipsum ac rerum omnium Dominum vidit: *ἀλλ' ἐκεῖνον τὸν κατὰ βουλὴν τὴν ἐκείνου καὶ θεὸν ὄντα υἱὸν αὐτοῦ, καὶ ἄγγελον ἐκ τοῦ ὑπηρετεῖν τῇ γνώμῃ αὐτοῦ.* Sed illum, qui ex ipsius voluntate Deus est, eiusque filius et Angelus, quod illius voluntati morem gerat.

Quae Iustini verba Tertullianus imitatus est l. 2 contr. Marc. c. 27. Mirum est Arianos, cum insaniam suam veterum Patrum testimonio corroborare cumprimis cuperent, Iustinum praeteriisse. Sed ab omni, uti dixi, culpa tam hic, quam Lu-

cianus, aliique liberandi sunt, qui nondum agitata explicataque controversia, parum de ea commode pronunciasse videntur. Simile quiddam de Dionysio Alexandrino tradit Basilius Epist. 41 et alibi.

286 732 d. *οὐδ' ὡς Οὐαλεντῖνος προβολήν*] Hieron. Apol. 2 in Ruff. *Habetur Dialogus apud Graecos Origenis et Candidi Valentinianae Haereseos defensoris, (in) quos duos Andabatas digladiantes inter se spectasse me fateor.* Dicit *Candidus, Filium de Patris esse substantia, errans in eo, quod προβολὴν asserit. E regione Origenes iuxta Arium et Eunomium repugnat, eum vel prolatum esse, vel natum, ne Deus Pater dividatur in partes.* Marianus Hieronymi Scholiastes *προβολὴν* hic esse credit *excellentiam* et *ἐξοχὴν*, et errare propterea Candidum, quod Patrem excellentiorem Filio diceret. Sed aliud est *προβολὴ* quam *excellentia*. Neque enim recte quispiam *προβολὴ* dici potest, hoc est excellentia maiore praeditus. Itaque *προβολὴν* Valentinus productionem eiusmodi vocabat, qua procreatum ab Aeonibus Iesum asserebat. Nimirum composito ac constituto Pleromate et Aeone restituto, de communi omnium voluntate, cum unusquisque quod habebat praestantissimum conferret, novum quendam prodiisse foetum, videlicet Iesum, sive Christum et Salvatorem. Vide Haeres. 31, 13, ubi Aeonas omnes ait *προβαλέσθαι πρόβλημα εἰς τιμὴν καὶ δόξαν τοῦ Βυθοῦ*. Haec est Valentiniana *προβολή*. Alioqui *προβολὴν Verbi productionem* appellare nihil prohibet. Et a Gregorio Nazianz. caeterisque Patribus Verbi *προβολεὺς* Pater nominatur.

733 d. *Ἄρειος Ἐθάλης*] Scribe *Ἀειθαλὴς* et *Ἀχιλλᾶς*. Apud Theodoretum 1, 4 in fine Epistolae Alexandri ad *ὁμώνυμον* Constantinopolitanum subiiciuntur eorum nomina, qui ob Haeresin excommunicati sunt, atque ex Presbyteris solus Arius nominatur: Diaconi vero 9 *Ἀχιλλᾶς, Εὐζώϊος, Ἀειθαλᾶς, Λούκιος, Σαρμάτης, Ἰούλιος, Μηνᾶς, Ἄρειος ἕτερος, Ἑλλάδιος.*

Θεωνᾶς Λίβυς] Fuit hic Episcopus Marmaricae. De Pisto mentio est in Epistola Iulii Papae, quam Apologiae 2 Athanasius inseruit. Ubi damnatus esse dicitur ab Alexandro Episcopo Alexandrino et Nicaena Synodo, atque a Secundo Pentapolitano restitutus: neque cuius ordinis fuerit exprimitur.

Episcopum fuisse docet Epiphanius, quem etiam Alexandriae collocatum esse ab Arianis scribit. Verum nullus eo nomine Alexandrinam Ecclesiam tenuit. Et quidem *κατέστησαν* simpliciter idem esse potest atque *ordini suo ac dignitati restituerunt*. Ita Iulius Papa *οὐδὲ ἠρνοῦντο τὸν Πιστὸν ὑπὸ Σεχούνδου ἐσχηκέναι τὴν κατάστασιν*. Sed quod inter Episcopos ab Epiphanio referatur, excusari non potest.

734 a. *ὡς οὖν οὕτω παρεκινεῖτο*] Multum in historia Meletii lapsum esse supra vidimus. Largius in Arianae Haeresis descriptione peccavit vir alioqui diligentissimus. Nam quae deinceps exponit, ea post Nicaenum Concilium acciderunt, anno undecimo, hoc est Christi 336. At Epiphanius Arium ante Nicaenum Concilium excessisse putat. In quo Scriptorum omnium consensu refellitur. Nimis illud notum est, viventem adhuc Arium a Synodo damnatum et post aliquot annos Eusebii opera restitutum Constantinopoli mortuum esse. De quo Socrates, Ruffinus, Theodoretus, Sozomenus et ante omnes Athanasius. Ex quibus corrigendus Epiphanius, qui ex falsissimis quibusdam actis, aut historiis ista descripsit. Sane cum primum Alexandrinos illos tumultus et Arii damnationem optimus Imperator 287
accepit, literas ad Alexandrum et Arium acriores dedit, et Hosium Cordubensem Alexandriam misit, qui orientem illam procellam componeret. Quod ubi minime processit, tum demum Nicaenam Synodum coëgit, ac postremo anno, uti diximus, undecimo a peracta Synodo Arium Constantinopolim per literas evocavit. Haec temporibus discreta confudit ac permiscuit Epiphanius.

734 b. *ὁμοῦ δὲ ζήλῳ ἐπαρθείς*] Edita est haec Constantini ad Arium et Arianos Epistola a Federico Morello anno 1595. Ex qua emendandus hic Epiphanii locus. Leg. itaque hunc in modum eius initium. *Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς μέγιστος Ἀρείῳ καὶ Ἀρειανοῖς*, quae est inscriptio. Deinde *Κακὸς ἑρμηνεὺς αὐτόχρημα* etc.

734 c. *ἄγε δὴ ἄδδες Ἄρειε*] Corr. ex eadem Epistola *Ἄρες Ἄρειε*.

735 a. *ἀποδοὺς αὐτοῦ τὰ τέλη*] *τέλη* hic pro *intestinis* sumuntur.

735 d. *ἐν τῷ αὐτῷ ἔτει παύεται*] Quinque mensibus

post Nicaenam Synodum, ait Athanas. Apol. 2 et Theodoretus. Sed quae de Alexandro successore tam hoc loco quam in superiore Haeresi cap. 6 narrat Epiphanius, cum historia nullo modo consentiunt. Hoc enim constat, mortuo Alexandro nullum alium successisse praeter Athanasium, idque communi omnium ordinum voluntate ac suffragio, uti Synodica Alexandrini consessus Epistola testatur apud Athan. Apol. 2. Frustra igitur Epiphanius Achillam Alexandro subrogatum dicit. Nam post Petrum sedem illam tenuit et successorem habuit Alexandrum, seditque annum duntaxat unum, ut Nicephorus in Chronico scripsit. At Epiphanius Achillae, qui post Alexandrum a Catholicis substitutus est, menses tribuit tres: eodemque tempore Theonam a Meletianis ordinatum asserit, quod nemo alius prodidit.

736 a. *ἐπεὶ οὖν ἐλθόντος Ἀθανασίου*] Nimis impudenter et proterve Camerarius in Appendice ad Nicephori Chronicon de Athanasio suum interponit iudicium, et quanquam ingenti animo veritatis patrocinium suscepisse fateatur, plus illum tamen, quam oporteret, suis indulsisse cupiditatibus et sacra profanis aliquando miscuisse docet. Quis Lutheranas istas faeces tantum sibi audaciae sumere miretur potius quam communi pietatis nomine succenseat?

737 a. *καὶ αὐτοῦ δὲ τοῦ Κωνσταντίου*] Simile huic, ac longe etiam honorificentius et uberius eiusdem Imperatoris elogium extat apud Nazianzenum in priore *στηλιτευτικῷ*, quod oratorio more ac dicendi impetu et calore profusum magis quam ex rei veritate profectum videtur.

737 c. *δεύτερον ἔτι ἐνίσχυσε*] Non ab Eusebio, sed ab Eudoxio, qui Constantinopolitanam sedem occuparat, baptizatus est Valens. Quare pro *Εὐσεβίου* leg. *Εὐδοξίου*.

741 a. *καὶ οὐχ ὅτι ἄγγελοι ὑπάρχουσι*] Scrib. *ὑπερέχουσι*.

745 d. *μετὰ ἑξήκοντα δύο γενεάς*] Ab Adamo ad Abrahamum *γενεαὶ* sunt 20. Ab Abrahamo ad Christum 42 hoc est ter quatuordecim.

747 b. *τοῦ ταύτης ὁρμαστοῦ*] Leg. videntur *ἁρμοστοῦ*. Nisi forte *γλωσσηματῶδες* quoddam vocabulum sit. Quippe

Haer. 78, 13 ὁρμασθῆναι eadem in significatione dixit et c. 16 288 Theclae ὁρμαστὸν, hoc est *sponsum*, appellat.

749 d. ἐν δὲ τῷ Ἑβραϊκῷ λέγει] Latissime hic locus expenditur in Ancorato. Hebraica vox קנה *possidere* significat. Ideo Aquila ἐκτήσατο vertit. At exemplaria Graeca vulgo ἔκτισε iam tum olim, ut hodieque praeferunt. Quam lectionem haud probat Hieron. ad 26 cap. Esa. com. 13, ubi ait quaedam exemplaria male in Proverbiis pro possessione habere creaturam. Verum antiquissima est Graecorum codicum illa lectio, quam plerique omnes Patres agnoscunt, etiam illi, qui ante Arianos extiterunt, uti Clem. Alexandr. in Protreptico. Ignatius Epist. 4 ad Tarsenses. Tertullianus l. contr. Hermog. c. 9, Cyprianus l. 2 Testimon. adversus Iudaeos c. 1, ut Athanasium, Gregorium Nazianz. ac caeteros omittam. Quorum alii de creata sapientia locum illum accipiunt, alii ad increatam referunt. Quae nos Sacrarum literarum Interpretibus enucleanda relinquimus. At Epiphanius novam quandam Hebraico verbo notionem affingit, ut idem sit קננני atque ἐνόσσευσέ με, quasi scriptum sit קננני a duplicante Aiin. Nam קנן est *nidificare*, sive *nidos construere:* quod non idem est ac *foetus excludere*, vel *producere*, ut arbitratur Epiphanius. Ideo nullus huic argutiae locus est.

751 a. ἀλλὰ πάντως ἐρεῖς μοι] Observanda haec Epiphanii ad Arianorum obiecta responsio, cum ait οὔτε θέλοντα, οὔτε μὴ θέλοντα Patrem genuisse Filium. Nam vetustissimos Patres satis constat hac in parte non sine cautione legendos, qui nonnunquam Patrem asserunt voluntate sua Filium produxisse. Ita Iustinus, ut supra monuimus, κατὰ βουλὴν θεὸν ὄντα υἱὸν αὐτοῦ dixit. Caeterum Augustinus Sophisticae illi Arianorum cavillationi ingeniose ac subtiliter occurrit. Tract. contr. serm. Arian.

755 d. ἀλλ' ἐρεῖς μοι· πῶς εἶπεν] Vide Concilii Aquileiensis Acta, ubi Ambrosii opera Palladius et Secundianus Ariani Episcopi damnati sunt, qui inter caetera Dei filium verum Deum fateri compulsi miris tergiversationibus eludunt.

763 d. εἰ δὲ ἐν κόσμῳ ἦν] Nova quadam ratione Ioannis illa verba declarat: ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονε, *qui ante me factus est;* ut interpres noster reddidit, quasi γέγονεν idem significet ac *fuisse;* sive profectum aut alicubi versatum esse.

Quo sensu prius Ioanne Dei filius extitit, propterea quod saepius, vel antequam humanam carnem indueret, veteribus Patriarchis apparuit. Tertull. 2 contra Marc. c. 27. *Nam et profitemur Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum Patriarchis et Prophetis*, et caetera, quae caute, uti dixi, legenda sunt; ut et Iustini locus ille, ex quo Tertullianus ista sumpsit. Idem porro, sed longe prudentius, docet Augustinus contra Adiman. c. 9. *Quia ipse Filius,* (inquit) *qui est Verbum Dei, non solum novissimis temporibus, cum in carne apparere dignatus est, sed etiam prius a constitutione mundi cui voluit de Patre annunciavit; sive loquendo, sive apparendo, vel per Angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam* etc. Sed eam quaestionem uberius exponit l. 2 de Trinit. Redeo ad Epiphanium, qui *ἐγένετο* (sic enim legit, pro *γέγονεν*) idem esse
289 putat atque *accessit* et *advenit*. Quod mihi quidem non probat. Ac si Graeci vocabuli vim consideres, *γέγονε* idem esse potest ac *productus*, vel *genitus est*, quod Dei filio convenit. Nam ante Ioannem genitus est, aut certe idem est atque extitit. At noster Interpres alio sensu, *factus est*, vertit. Quasi id velit Ioannes, ante me factus est, id est maiori quadam in excellentia ac dignitate constitutus. Potest et ad Divinam praedestinationem ac *προορισμὸν* revocari, de qua Paulus Rom. 1 com. 4.

766 a. *φασὶ γὰρ πάλιν*] De hoc Marci testimonio disserit Athanasius Orat. 4 adversus Arianos, August. de Trinit. 1, 12, Hilar. 9 de Trin. et alii complures.

772 a. *τὸ δὲ ἀληθὲς καὶ ἁπαρεμφάτως*] Leg. *ἀληθῶς*. Porro *ἁπαρεμφάτως* idem est ac simplici, non allegorico sensu, sed proprie et sine alterius rei significatione.

786 c. *καὶ μετ' οὐ πολλὰ εἰπών*] Comma istud in Hebraeo non reperitur, sed in Graecis duntaxat Editionibus, Deut. 32, 43: aliter tamen expressum quam hic ab Epiphanio concipitur, hoc scilicet modo: *Εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ*, quod est comma 42. Tum 43: *εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ καὶ ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ θεοῦ*. Epiphanius vero sic invertit: *προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ θεοῦ·*

ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. Communem lectionem confirmat Apostolus ad Hebr. 1, 6. Augustinus in Locutionibus tam hanc quam Epiphanianam commemorat. Nos hanc ipsam, prout ab Epiphanio reddita est, in vetustissimo Bibliorum Graecorum Codice manu exarato reperimus ex Bibliotheca Christianissimi Regis: ut minime dubitandum sit eam quorundam exemplarium lectionem fuisse. Nam et Theodoretus in Quaestionibus eam agnoscit, et Sixtianarum Editionum Scholia in aliis Codicibus illam ipsam inveniri testantur. Quorum tamen insignis hallucinatio est, dum vulgatam alteram ab Epiphanio hac in Haeresi comprobari dicunt. Quod secus se habet.

Quod ad sententiam attinet, sic ea verba interpretatur Epiphanius, ut *ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ* sit idem ac *roborent, vel confortent ipsum.* Sed nullus Hellenismus patitur *ἐνισχύειν τινὶ* transitive sumi, pro eo quod est roborare aliquem. Quare Sixtiana et Complutensia melius: *Et confortentur, vel roborentur in ipso.* Quomodo autem Epiphanius exponit, legendum videatur *ἐνισχυσάτωσαν αὐτόν.* Sane Theodoretus *ἐνισχυσάτωσαν αὐτοὺς* in suis codicibus habuit, eiusque loci sensum ad Epiphanii mentem accommodat, cum de Angelis exponit, quorum ea functio est, uti sanctos viros, cuiusmodi erant Apostoli ac Patriarchae, ope ac praesidio suo tueantur. Quin et Christo Domino nascenti ac morienti praesto fuerunt. *καὶν τῷ πρὸς τὸν διάβολον ἀγῶνι παρῆσαν τῶν ἀγγέλων οἱ δῆμοι· προσελθόντες γὰρ, φησὶν, ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ· καὶ τῷ πάθει δὲ παρῆσαν καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν τῷ τάφῳ προσήδρευον.*

789 b. *ὁρῶσα ἤδη τὴν Θεότητα*] Prudenter hic locus explicandus est. Non enim soluta est post mortem corporis cum Divinitate coniunctio: sed quod anima vitaque destitutum est, ab ipsa quodammodo divinitate corpus est relictum.

796 d. *οὐκ ἴσασι δὲ ὅτι καὶ ὑπόστασις*] De his voci- 290
bus *ὑποστάσεως* et *οὐσίας* accurate disputatur in Annal. Eccles. 62 a n. 187.

798 c. *λέγουσι γὰρ πάλιν*] De hoc Apostoli loco vide Hilarium l. 11 de Trinit.

803 c. *πάλιν λέγουσι*] Vide eundem Hilar. l. 7 de Trin.

AD HAERESIN LXX AUDIANORUM.

821 a. *φάσκοντες ἀπὸ Κωνσταντίου*] Imo *Κωνσταντίνου*. Iactabant Haeretici ac *Τεσσαρεσκαιδεκατῖται* Nicaenos Patres in Constantini gratiam legitimam Paschatis celebritatem nova sanctione perturbasse. Quos refellit Socrates 5, 23: *καὶ οὐχ ὥς τινες ἐπεθρύλλησαν ἡ ἐπὶ Κωνσταντίνου σύνοδος τὴν ἑορτὴν ταύτην παρέτρεψεν.*

ὅτι ὅτε τὰ γενέθλια] An nativitatis diem, an Imperii natalem intelligat, dubitari potest. Incidit enim Nicaenum Concilium in eum annum, quo Constantinus Vicennalia celebravit, adeoque natalem imperii diem exquisitiore pompa et apparatu coluit.

821 d. *ἔν τε χρόνοις Ἀλεξάνδρου*] Quaenam sub Alexandro Alexandriae Episcopo Paschales istae turbae fuerint, nusquam a me lectum, vel auditum. Sed neque quis Crescentius ille fuerit. Quaerant amplius eruditi.

822 a. *εἰς τοῦτο δὲ οἱ αὐτοὶ Αὐδιανοί*] Constitutiones Apostolicas ad erroris sui patrocinium adferebant Audiani. Quo in libro statutum erat uti Pascha eodem tempore celebraretur, quo illud fratres obirent, qui e circuncisione in Christum crediderant. Cuius dicti sententiam eiusmodi esse volebant, ut Iudaico ritu, hoc est 14 Luna, Christiani Pascha facerent. Contra quos Epiphanius aliter decretum exponit: nimirum pacis et concordiae studio constitutum ab Apostolis, ut quandiu *οἱ ἐμπερίτομοι* Christiani Hierosolymis praesiderent (quod ad Adriani usque tempora perseveravit) ab iis ne dissentirent reliqui, ac vel aberrantes sequerentur potius quam Ecclesiae concordiam solverent. Addit et alia quaedam ex eodem Constitutionum libro, quae paulo post viderimus. De Apostolicis iisce Constitutionibus dubitatum a nonnullis praefatur Epiphanius. Quo eodem nomine circunferuntur hodie in octo libros distinctae, quae a prioribus illis, ac nihilominus dubiis, quarum meminit Epiphanius, diver-
291 sae videntur. Etenim quinque ex illis sententiae hoc et sequenti capite citantur, quae in vulgatis nusquam reperiuntur, imo vero contraria quaedam in iis leguntur. Nam 5, 16 de Paschatis celebritate Catholicum dogma propalam edicitur, uti post Aequinoctium instauretur. Tum ne cum Iudaeis agatur.

οὐδεμία γὰρ κοινωνία ἡμῖν νῦν πρὸς αὐτούς· πεπλάνηνται γὰρ καὶ αὐτὴν τὴν ψῆφον, ἣν νομίζουσιν ἐπιτελεῖν, et alia quaedam, quae aut a superiori sanctione discrepant; aut si in antiquis illis Constitutionibus legebantur, mirum est hoc tam praesenti ac diserto testimonio usum non esse contra Audianos Epiphanium, qui Iudaeorum more celebrandum Pascha iisdem ex Constitutionibus affirmabant. Apparet igitur aliud fuisse constitutionum genus quam quibus hodie Clementis nomen inscribitur.

822 b. *ἵνα δείξωσι τοὺς ἀπὸ τῆς περιτομῆς*] Falsum est decrevisse unquam Apostolos ut Iudaico ritu Pascha celebraretur, aut cum iis etiam Christianis atque Episcopis, qui Iudaice ac minime legitimo tempore fungerentur. Quae enim est ista ratio, aut quid in mentem Epiphanio venit, ut ab Apostolis constitutum istud assereret, oportere Christianos omnes, ac *τὸν πάντα κόσμιον* cum recutitis Pascha facere? Nimis hoc absurdum decretum fuisset. Non negamus aliquot saltem Apostolos initio ad Iudaeorum se tempus accommodasse, quod de Ioanne Polycarpus et Polycrates, Asiaticique omnes contra Romanos Pontifices excipere solebant: ut Eusebius aliique veteres testantur. Verum id ulla constitutione definitum ab Apostolis negamus omnino. Quin potius contrarium ab iisdem illis constat fuisse traditum. Cuius *παραδόσεως* meminit Eusebius Hist. 5, 23. Nam cum dixisset Asianos *ἐκ παραδόσεως ἀρχαίας* 14 Luna Iudaico more Pascha peregisse, *ὁποίᾳ δ' ἂν ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος περιτυγχάνοι*, subdit mox, in caeteris omnibus per orbem Ecclesiis *ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως* contrariam fuisse consuetudinem. Socrates vero 5, 22 scribit Tessaresdecatitas iactare se celebritatis suae formulam a Ioanne didicisse: contra Romanos et Occidentales omnes suam sibi ab Apostolorum Principibus traditam asserere. *ἀλλ' οὐδεὶς μὲν τούτων ἔγγραφον ἔχει παρασχεῖν τὴν περὶ τούτων ἀπόδειξιν*. Quam eandem Petri ac Pauli traditionem Catholici in Britannia contra Scotos urgebant. Vide Bedam l. 3 Histor. Angl. [Ex iis castiganda Scaligeri sententia, qui l. 2 de Emend. Temporum non solum Apostolos, sed etiam eos, qui centum post illos annis vixerunt asserit Iudaico more Pascha peregisse. Tum alia nonnulla subiicit, in quibus, more suo, pugnantia ac plane contraria loquitur, quod paucis hoc loco declarandum, ut qui

illius librum recudunt, videant qua ratione tam foedam labem eluant, quod aliter quam toto illo, quantum quantum est, deleto Opere consequi non poterunt. Sunt enim capitis illius dogmata ex ipsius doctrinae visceribus deprompta et cum ea prorsus implicata. Sed iam paucis illius *παρεγχείρημα* perstringamus. Ex Addendis p. 458.]

[Sequitur Excursus VII. *De Tessarescaedecatitarum Cyclo* p. 458—463.]

823 a. *κἂν τε πλανηθῶσι*] Si vel aberrantes illos, qui Iudaice celebrabant, imitari iubent Apostoli, recte id ab Audianis allatum est ad sui ac Iudaici Paschatis praesidium. At Epiphanius *κατ' οἰκονομίαν* et ad tempus duntaxat institutum hoc fuisse censet.

ἐξ αὐτῶν δὲ τῶν ἐκεῖσε εἰρημένων] Quae sequuntur, mirum in modum implicata sunt et obscura. Suspicabar hactenus *ἀντίθεσιν* illam, de qua loquitur, de Audianis intelligendam, quibus Constitutionum istarum Decreta refragantur. Quid enim aliud facerem in tam abrupta inconditaque sententia? Verum attentius in eum locum incumbens ex consequentibus didici alium esse sensum, quem tibi paucis exponam. Cum Audiani ad Iudaicam Paschatis consuetudinem adstruendam locum quendam ex Apostolicis Constitutionibus proposuissent, qui hoc
292 ipsum disertis conceptisque verbis testificari videretur: Epiphanius adversus legis verba legis sententia pugnavit et ad tempus duntaxat ac tuendae concordiae gratia, *κατ' οἰκονομίαν* decretum illud extitisse docuit. Cuius defensionis illustrandae caussa alteram iisdem in Constitutionibus *ἀντινομίαν* et conflictum inesse demonstrat, quatenus diversae sanctiones sibi invicem repugnare videntur, cum revera non discrepent, si non tam verba quam sententiam spectes. *νοήματι δὲ πᾶσα ἡ ἀλήθεια ἔστιν τοῦ κηρύγματος*. Sic enim haec interpretanda credimus. Est autem legum ille conflictus eiusmodi. Iubent Apostoli Azymorum ipso die ieiunia et pervigilia a Christianis obiri. Item: quo illi tempore conviviis et hilaritatibus vacant, lugere ac ieiunare Christianos et contra lugentibus illis epulari, ac laetitiae se dedere. Alia porro lex Dominicis diebus ieiunare prohibet. Quamobrem si in Dominicam primus apud Iudaeos Azymorum dies inciderit, ex posteriori lege ieiunare nefas fuerit, quod prior tamen constitututio praescribit. Vides manifestam *ἀντιλογίαν*.

Eiusmodi est illa de Paschate Iudaice celebrando sanctio, in qua, perinde ut in altera, Legislatoris mentem ac sententiam considerare debemus. Ea vero sic interpretanda est. Quoties ante vernum Aequinoctium quartadecima Iudaici Nisan incidit, atque illi Pascha suum celebrant, Christiani solennia ieiunia prosequi debent. Sin, ut saepe fit, post Aequinoctium festum illum diem obeant, eodem die Christianis Pascha suum agere ac laetari licet. De quo ad sequens caput plura dicemus.

φάσκουσι γὰρ τὴν ἀγρυπνίαν φέρειν] *ἀγρυπνίας* interpretor *vigilias* et *stationes*, quae a ieiunis obiri solebant, de quibus alibi. Iam *μεσαζόντων τῶν ἀζύμων* nihil aliud est quam ipso die Azymorum, sive, ut Hebraei dicunt, בעצם היום. Sic enim usurpare solet Epiphanius. Ita cap. 12 *μέσον ἄγεται τὸ θῦμα.* Et *μεσαζούσης τῶν δύο δρόμιων νυκτός τε καὶ ἡμέρας*, ut suo loco dicemus. Chronologi nostri labentem diem, aut annum appellant.

ἐκ τριῶν γὰρ συνέστηκεν] Atqui duo tantum hic aperte ac distincte commemorat: Solis cursum, propter Dominicum diem, et Lunarem ob 14 Lunam. Quae et Ambrosius Epistola ad Episcopos Aemiliae complexus est. *Duo sunt,* inquit, *observanda in solennitate Paschae, Quartadecima Luna et primus mensis, qui dicitur Novorum.* Verum in solari cursu duo continentur, primus mensis, sive Aequinoctium, et feria. Quare tria haec celebritatis illius velut *οὐσιώδη* discernit explicatque Haeresi 50, cap. 3. Quartamdecimam Lunae diem, Aequinoctium vernum et Dominicam.

823 b. *ὅπερ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις οὐ φυλάσσεται*] De quo frequentes Catholicorum partim querelae adversus Christianos Iudaizantes, partim in illos ipsos Iudaeos insultationes. Vide Constantini Augusti Rescriptum ad Christianos ex Nicaena Synodo. Extant et veteres Canones, quibus nominatim istud vetitum est. De qua re ad Haeresin 51 in Diatriba de Iudaeorum anno copiose diximus.

καὶ μετὰ τῶν ἐχθρῶν] Fortasse leg. *καὶ εἰ μετὰ* etc. Sententia vero ex Latina interpretatione perspicua est.

823 c. *ὅταν αὐτοὶ πενθῶσιν*] Non quod 14 Nisan ieiu- 293
naverint: neque enim inter dies תענית, sive Angariarum refertur: sed quod exacto illo ipso die Paschalem agnum cum

Azymis et lactucis agrestibus comederent, Exod. 12, 8 et 18. Erant enim Azyma moeroris ac luctus indicium. Itaque Deuteron. 16, 3 vocatur לחם עני, *panis afflictionis*. Epiphanius autem 14 Nisan *πένθιμον* diem facere videtur, qui dies *συνεκδοχικῶς* Pascha dicebatur, quod sub eius vesperam agnum immolarent, eodemque, occaso iam Sole, vescerentur; *ἐπιφωσκούσης*, id est ineunte iam 15. Quem quidem diem Azymorum primum nominabant, et hunc ipsum laetum ac genialem illos habuisse testatur Epiphanius, ut postea videbimus. Atenim Azymis septem totos dies vescebantur, Deuter. 12, 19. Ea vero moerorem ac tristitiam significant. Nihilominus tamen 14 diem ad vesperam, aut ineuntem 15 huic doloris significationi eximit Epiphanius, reliquum diei, adeoque caeteros omnes, Azymorum usu consecratos hilaritatibus et conviviis attribuit. Cuius ea caussa reddi potest, quod epulum Paschale cum reliquo omni apparatu, tum lactucis agrestibus ad Azymos panes adhibitis, luctuosum quiddam et acerbum repraesentabat. Quod a primo die Azymorum et insequentibus aberat. Eodem et illa Magistrorum observatio pertinet, septenos quidem totos dies fermentato vesci nefas fuisse, at ineunte duntaxat 15 et exacta 14, hoc est in Paschali convivio, Azyma vi ac necessitate legis usurpasse. Extra hoc tempus neglectis Azymis, aliis seminibus, aut fructibus vesci potuisse. R. Mose ben Maimon Tomo 1 Iad. Tractatu de Fermentato et Azymo cap. 6 §. 1. אבל בשאר הרגל אבילת מצה דשות רצה אובל מצה רצה אובל אודז או דודן או קליות או פירות אבל בליל חמשה עשר בלבד חובה. *Veruntamen in reliquo celebritatis tempore Azymorum esus duntaxat permittitur, ut qui velit Azymo vescatur; qui malit, oryzam vel milium edat, aut polentam, aut fructus. At in nocte* 15 *duntaxat Azymis uti oportet.* Quod de 7 die Azymorum, quam עצרת, sive collectam vocabant, potissimum observant, eo freti Scripturae testimonio, quod cum Exodi 12, 19 scriptum sit: *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam, comedetis Azyma, usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis, ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris*, idque Deuter. 16, 3 repetatur, tamen eiusdem capitis commate 8, sex tantum diebus azyma comedi iubeat. Unde R. Selomo ad eum locum ista scribit

למד על אבילת מצה בשביעי שאינה חובה מכאן אתה למד לששת ימים שהרי שביעי בכלל היה ויצא מן הכלל ללמד שאין אבילת מצה בו אלא רשות ולא ללמד על עצמו יצא אלא ללמד על הכלל כלו יצא מה שביע רשות אף כלם רשות חוץ מלילה הראשון שהבתוב קבעו חובה. Hoc est: *Docet de manducatione azymorum in die 7, quemadmodum non debita ac necessaria sit. Inde igitur disce, quod ad 6 dies attinet, quoniam ecce septimus dies cum in summa comprehenderetur, ab ea exceptus est, ut ostenderet azymorum in illo die manducationem permissam duntaxat fuisse. Neque vero ut de hoc solo die doceret istud, ideo exceptus est, sed ut idem de tota dierum summa intelligendum relinqueret, nimirum uti septimo die permissum est solum azymis vesci, ita reliquis omnibus permissum est* (non imperatum) *excepta nocte* 294 *prima, quam scriptura azymorum usu obligari voluit.* Haec ille. Quod ex eodem R. Selomone Glossa c. 7 Tractatus Kidusch hachodesch evidentius his verbis affirmat: שהרי מחצות הלילה הראשון של פסח עד יום האחד ועשרים אבילת מצה רשות ובלבד שלא יאבל חמוץ. *Quoniam ecce a media nocte prima Paschali usque ad 21 diem manducatio azymorum permissa, ea lege duntaxat, ut fermentato non vescantur.* Ex iis liquet, cur Paschalis coena luctus et solicitudinis argumentum habuisse, reliqui dies azymorum hilares ac laeti ab Epiphanio fuisse dicantur.

823 c. *μετὰ γὰρ ἑσπέραν παρελθόντος*] Negationem expungendam esse censueram, ut ita scripserit Epiphanius, *παρελθόντος τοῦ σαββάτου δύνανται ἔργον ἐπιτελεῖν.* Nam illud *οὐ* ex superiori genitivo repetitum videtur. Et vero caussam eius, quod proxime dixerat, posteriore hoc membro reddi statueram: nimirum cur appetente Dominicae vespera immolare Pascha liceat, quoniam iam Sabbatum praeterierit, quo evoluto iam ad opus fas sit aggredi. Atqui haec sententia falsam et absurdam rationem continet, quasi Sabbato sacrificare vetitum fuerit. Fateor. Sed eam tamen Epiphanii verba ipsa prae se ferunt. Cuius erroris suspitionem ab eo removere ita poterimus, si recepta negationis particula sensum hunc eliciamus: Dominicae appetente vespera, Pascha immolari licuisse. Nam post vesperam, desito iam Sabbato, opus istud, nempe macta-

tionem agni, non licebat exequi, propterea quod immolandus agnus fuit בין הערבים *inter duas vesperas*, id est ab hora 9 ad 11, ut Iosephus exponit ἀλώσ. 7, 45 vel 17.

823 d. ἆρα γὰρ αὐτῶν θυσάντων] Postridie scilicet ac post epulum Paschale.

νοήματι δὲ πᾶσα ἔστη ἡ ἀλήθεια] Iam horum verborum paulo ante declarata sententia est. Vult enim in Apostolicis illis Constitutionibus Legislatoris mentem potius quam verba ipsa spectari. Quod ut ostenderet, ἐναντιοφανὲς quiddam attulit, quod in iisdem Constitut. praescribitur. Nimirum quod in una sanctione iubent, quo die Iudaei primum azymis vescuntur et lugent, epulari Christianos; cum autem epulantur illi, vicissim ieiunare istos ac lugere. Altera vero lege praecipitur ut ne Dominico die ieiunetur unquam. Quae duo invicem repugnant, si ad verba duntaxat respicias. Interpretatione igitur adiuvanda sunt. Eadem itaque ratione prius illud decretum, de celebrando cum Iudaeis Paschate, si in verbis ipsis haereas, absurdum et ab Ecclesiastico ritu prorsus abhorrens videtur. Ideo mens eius ac sententia magis quam voces attendendae sunt. Sententiam ergo deinceps explicat. Quam priusquam attingimus, observabis priorem illam ἀντινομίαν et contrariarum legum conflictum, quem in exemplum allatum esse diximus, minime hoc loco dissolvi. Non enim explicat quomodo ab generali illa de ieiunio constitutione Dominica dies excipienda sit, sed κατὰ τὸ σιωπώμενον eximi Christiano more significavit. De quo nemo dubitabat. Quocirca quae sequuntur ad ἀντινομίαν alteram, ac quaestionis caput ipsum attinent, atque illud
295 explanant, quo sensu Apostolicum illud decretum accipiendum sit, cum Iudaeis Pascha esse celebrandum. Non enim perpetuo cum illis peragendum est, sed tum videlicet, cum post Aequinoctium illi suum Pascha celebrant. Alioqui, si, uti saepenumero faciunt, Aequinoctium antevertant, imitandi non erunt. Est igitur legis ista sententia, ut Aequinoctio commisso cum Iudaeis Pascha celebretur. His, quae hactenus dicta sunt, subductis omnibus, ea de Apostolico illo decreto Epiphanii sententia colligitur: primis Ecclesiae temporibus, praesertim quandiu Episcopi ex Circuncisione Hierosolymis praefuerunt, statutum esse uti Pascha cum Iudaeis obiretur, hoc est Luna 14 quam-

cumque in diem inciderit, dummodo confecto iam Aequinoctio contingat. Ita enim illud, quod eaedem Constitutiones iubent, accidet, ut lugentibus Iudaeis, hoc est, quo die azyma cum lactucis agrestibus comedunt, epulentur Christiani. Alterum autem, ut illis vicissim epulantibus, lugeant isti, obtineri non potest, nisi postridie Paschatis Christiani, sive primo die Azymorum Iudaicorum, ieiunatum per illud tempus in Ecclesia fuisse velimus. Quod est falsissimum. Certum enim est totis illis quinquaginta diebus, qui ad Pentecosten intercedunt a Paschate, ieiunium ab Ecclesia esse sublatum. Tunc igitur solum evenire illud potuit, ut epulantibus Iudaeis Christiani ieiunarent, quoties ante vernum Aequinoctium a Iudaeis Pascha perageretur, quia nondum Christiani ieiunium solvebant. Verum nulla tam enucleata huius et superioris capitis declaratio potest excogitari, quin plurimum adhuc difficultatis supersit. Quis enim Pseudodiataxes istas inter se conciliare possit, cum alias Pascha Iudaice celebrandum esse definiunt, quamvis aberrent Iudaei, alias Iudaeis Azyma peragentibus, ieiuniis ac vigiliis operari Christianos? ac reliqua ad eum modum, quae nulla interpretatio ab errore mutuaque contentione vindicare potest.

824 b. *παρ' ἡμῖν δὲ οὐ μία*] Sex dies hebdomadem faciunt, adnumerata Paschatis celebritate, quae hebdomadem terminat.

824 c. *τουτέστι τῆς σελήνης*] Haec est glossa, quam ex communi sententia ad scripturae locum adtexuit. Neque enim Lunae scriptura hoc in negotio meminit, sed mensem duntaxat nominat. Nos de Iudaeorum anno supra disseruimus.

καὶ ἐὰν μὲν ἦν τεσσαρεσκαιδεκάτη] Non unius diei Paschatis, sed totius hebdomadis rationem habet Ecclesia, quam ***Xerophagiae***, aut ***sanctam***, aut ***Pascha*** etiam appellarunt, ut ad finem huius operis adnotamus. Si igitur 14 Luna in feriam secundam inciderit, aut in reliquos hebdomadae dies ad Sabbatum usque, hebdomas Xerophagiae celebratur et a feria secunda eius initium ducitur. Totam hanc hebdomadem *θῦμα προβάτου*, ***mactationem agni***, nuncupat, quia in apparatu celebritatis et immolationis dies aliquot a Iudaeis olim positi. Nam *μέσον ἄγεται*, ut supra docuimus, nihil aliud est quam ***celebratur, peragitur***. Sic illud Ioan. 7, 14 *ἤδη δὲ τῆς ἑορ-*

τῆς μεσούσης accipi potest. Caeterum Dominicae, sive feriae primae hoc loco non meminit, quod ab ea nunquam Xerophagiae hebdomas inire possit, cum Dominico die ieiunare non liceat. Et tamen si in eam 14 Lunae dies inciderit, postridie
296Xerophagiam inchoabant. In Tessarescaedecatitarum Haeresi, quae est quinquagesima, cap. 2 de diebus agit, quos ante Paschatis solenne tam Iudaei quam Christiani celebrabant. Reprehendit enim Haereticos, qui ad unum diem respectum haberent, cum a decimo die agnum deligi asservarique Lex praeceperit. Unde quinque ab illis dies observari debuerant. De Iudaeis enim ac Iudaizantibus Quartadecimanis loquitur. Porro Iudaei cum decima quarta die ad vesperam Pascha peragerent et decima die agnum caperent, 5 solidos dies religioni Paschatis attribuebant. Imo vero cum exeunte 14 agnum immolarent, ineunte vespera 15, huius hoc est 15, partem libabant, adeoque 6 dies observabant, non unam duntaxat. Quare nos eo loco, id est p. 421 v. 2 ἡ αὐτὴ πεντεκαιδεκάτη ἐπιφώσκουσα pro τεσσαρεσκαιδεκάτη rescribendum putamus. Quam emendationem sententia ipsa postulat.

824 d. οὔτε γὰρ ἐξ ἑκκαιδεκάτης] Multum implicatus ac salebrosus hic locus est, quinetiam superiori doctrinae minime consentaneus videtur, qua definitum est, si in aliquam e sex hebdomadae feriis 14 Luna ceciderit, hebdomadem Xerophagiae inire ab secunda feria. Fingamus itaque Lunam 14 in Sabbatum incurrere: incipiet Xerophagiae, sive Paschatis hebdomas ab anteriore feria 2, ut dictum est. Atqui haec ipsa 9 est Luna, non 10. Quodsi, ut Scaligero, Calvisio, aliisque visum est, diffundendum sit Xerophagiae initium in feriam 2 alterius hebdomadis, itidemque Pascha a Luna 15 in 22 transferendum, Xerophagia a 16 Luna inchoanda fuerit, quod legitimum esse negat Epiphanius. Quare vix est ut expedire nos ex his laqueis possimus. Sive enim Xerophagiae prima dies in illa hypothesi sit feria secunda, ab Luna 9 hebdomadem sanctam auspicabimur, sive in sequentem feriam secundam differatur illius initium, in Lunam 16 incidet. Haesimus hic aliquandiu, donec certam viam ac rationem invenimus, qua conciliari haec inter se explicarique possent. Hoc igitur ad eum nodum dissolvendum occurrit. Epiphanius Lunam ἡμερινὴν ἀπὸ νυκτερινῆς

discernere solet, ut in Haer. 51, 26. Nam illic quae *νυκτερινὴ* exempli caussa *ἐνδεκάτη* fuerat, sequenti luce *ἡμερινὴ δωδεκάτη* dicitur, et quae *ἡμερινὴ δωδεκάτη* dicitur post vesperam *νυκτερινὴ τρισκαιδεκάτη* nominari incipit. Nam a vespera diem exorsi sunt Iudaei: ideo prius nocturna quam diurna Luna censetur. Quamobrem etsi *νυκτερινῆς* atque *ἡμερινῆς* vocabula non expresserit, *ὁμωνύμως* usus videtur *σελήνης* vocabulo. Nam cum negat a 9 Luna Xerophagiae principium deduci, sed a decima, ne sibi contrarius ipse sit, de *νυκτερινῇ* interpretandus est. Nunquam enim Paschalis hebdomas a feria secunda inchoari potest, quae sit *ἐνάτη νυκτερινὴ* et *ἡμερινὴ ὀγδόη*. Contra vero cum a 16 Luna eiusdem hebdomadis initium repeti negat posse, Lunam *ἡμερινὴν* intelligit, quae sit *νυκτερινὴ* 17. Nam in superiore illa hypothesi, in qua Luna 14 in Sabbatum convenit, Xerophagiae hebdomas init a feria 2 anteriore, quae est *ἡμερινὴ ἐνάτη, νυκτερινὴ δωδεκάτη*. Quod si 14 Luna Dominicae conveniat, sequenti die, qua est Luna 15 *ἡμερινὴ* et *νυκτερινὴ* 16, initium erit hebdomadis sanctae. Vides igitur necessario in Luna 9 *νυκτερινὴν*, in 16 *ἡμερινὴν* accipiendam esse. In quo illud animadvertendum, licet in Haeresi 51 ita *νυκτερινῆς* et *ἡμερινῆς* vocabula sumpserit, ut a *νυκτερινῇ* semper ordiatur, ac tametsi Luna *ἡμερινὴ* a sequente *νυκτερινῇ* nunquam appelletur, hoc in loco tamen Epiphanium 207
sive errore, sive de industria *ἐνάτην* illam vocare, quae sit octava *ἡμερινὴ* et in *ἐνάτην νυκτερινὴν* desinat. Ad summam hebdomadis sanctae prima dies a Luna 9 diurna ad 15 diurnam inchoari potest, aut, quod idem est, a Luna 10 nocturna ad nocturnam 16. Quae caussa fortasse fuit, cur ita concipere*t, ἀπὸ δεκάτης, ἕως ἐπιφωσκούσης πεντεκαιδεκάτης*. Ubi *ἐπιφώσκουσαν* non iam simpliciter accipio pro *ineunte, appetente,* aut ut ad Lunae lucem, quae sub vesperam oritur, pertineat, sed pro *ἡμερινῇ*. Nam cum dicit *ἀπὸ δεκάτης*, nec *ἐπιφωσκούσης* adiecit, significat non illam diurnam, sed nocturnam intelligendam. Ac merito videtur Epiphanius primam Xerophagiae diem *δεκάτην νυκτερινὴν* fecisse, quod functio ipsa Xerophagiae, id est aridorum esus, exeunte iam die, ac sub vesperam usurparetur, commodum illucescente 10 Luna.

μεσαζούσης τῶν δύο δρόμων] Mira est horum verborum

obscuritas. Nam hoc prima specie sonant, quod ne intelligi quidem potest, 15 Lunam, vel cum ea decimam, inter duo noctis ac diei curricula interceptam esse: aut certe τὸ νυχθήμερον inter duos, Solis videlicet ac Lunae, cursus interiici. Quae nullus Oedipus divinare possit. Nos pro eo ac superiora interpretati sumus, μεσαζούσης hoc loco non interiectum quiddam, sed labentem noctem ac diem accipimus. Constitutum enim est ex Epiphanii sententia, hebdomadem Xerophagiae a Luna 10 νυκτερινῇ ordiendam esse, ita ut citimus eius terminus sit dies illa, cuius in nocte 10 Lunae principium est, remotissimus vero terminus sit Luna 15 ἡμερινή. Itaque spatium illud, quod hebdomadis caput percurrit, a nocte incipit, hoc est a Luna 10 nocturna, et die terminatur, nempe Luna diurna 15. Proinde nox et dies impenduntur, et μεσάζουσι, quae quidem utriusque sideris propria sunt. Nox enim σεληνιακῷ, dies ἡλιακῷ δρόμῳ tribuitur.

825 a. καὶ συναναλαμβανομένου τοῦ αὐτῶν] Collectis superioribus numeris summa fit dierum 14. Sed ad eam 15 dies accensetur, ob caussarum concursum, quae sunt solennitatis illius συστατικαὶ, praesertim ob Dominicam diem, qua Christianum Pascha celebratur. Hic ἐπίφασις πεντεκαιδεκάτης est 15 dies, sive diurna Luna 15, quemadmodum paulo post ἐπιφώσκουσα ἑκκαιδεκάτη Luna diurna 16, ut ex superioribus necessario colligitur.

825 c. τοῦ γὰρ ἐνιαυτοῦ] Paschalis diei varietas et ἀνωμαλία ex Solis et Lunae, ut ante dixit, inaequali cursu proficiscitur. Nunc utriusque modum ac dispositionem explicat et ad fontes ipsos digitum intendit, proposito annorum orbe, in quem dissimiles illi motus inclusi aequabili varietate temperantur. Ea est Octaeteris Lunaris, Syzygias complexa novem ac nonaginta, in quibus tres sunt embolimaeae in annis 8, nimirum 3, 6 et 8. Numerus dierum 2922, qui est Octaëteridis Iulianae, sive duorum Iulianorum lustrorum modus. Annus Lunaris communis 354 diebus praecise definitur. Itaque ab Solari diebus 11 et quadrante superatur. Antiquissima est Octaëteris ista et a Graecis olim usurpata, quam eadem plane ratione, qua hic Epiphanius, exponit Geminus, vetus et eruditus scriptor p. 129. Cuius inventorem Cleostratum Tenedium Cen-

sorinus facit. Sed eadem, utpote vitiosa, castigata saepius et interpolata fuit. Etenim octo anni Lunares dies colligunt fere 2923 1/2. Quare Octaëteris illa abest a Lunari modo solido die et horis fere 12. Nam Syzygia Lunaris dies habet 29, hor. 298
12. 44′. Annus Lunaris dies 354, hor. 8. 48′. 38″ etc. Itaque Octaëteris Lunaris dierum est 2923, hor. 11. 51′ etc. Quam ob causam post Heccaedecaëteridem, sive duas Octaëterides, appendices dies tres intercalari solebant, quo sequentis Octaëteridis Neomeniam attingerent. Sed cum totidem diebus a Solis rationibus aberrarent, in vigesima Octaëteride mensem unum tricenarium expungebant, ita ut Octaëteris illa nonnisi duos embolimaeos menses haberet. Haec Geminus, quae alibi fusius et opportunius tractabimus. Ubi Lunarem apud Graecos anni popularis formam contra Scaligeri coniecturas affirmabimus.

Comperta iam octaëteridum labe, Graeci ad Enneadecaëteridas et longioris anni spatia confugerunt. Sic apud Christianos in negotio Paschali primum usurpari caeptae Octaëterides tam simplices quam geminatae, sive Heccaedecaëterides. Etenim Dionysius Alexandrinus Octaëteridis Canonem instituit. Hippolytus vero Heccaedecaëterida, quam in libris de Emendat. Temp. Scaliger exponit. Quas omnes methodos postremo Enneadecaëteris exclusit, ab Alexandrinis et Anatolio non illa quidem excogitata, ut parum prudenter plerique scripsere, multo vero minus ab Eusebio Caesariensi reperta, sed ab iis omnibus ad usum Paschatis translata. Ita Octaëterides aliaeque Cyclorum inutiles formae paulatim obsoleverunt. Quanquam nonnullos adhuc Bedae temporibus Octaëteridas retinuisse testatur ipse lib. de Temp. ratione c. 44. Sed pauci illi erant et obscuri. Quamobrem satis equidem mirari non possum, Epiphanium hoc loco ad Paschalem methodum explicandam solius Octaëteridis mentionem fecisse, eamque tam diligenter exposuisse, quasi hac una Paschalium Neomeniarum disciplina contineretur. Nam Enneadecaëteridem hoc loco ne commemoravit quidem, tametsi Nicaenum illud decretum de celebrando Paschate tantopere praedicet et ab Haereticorum inscitia impudentiaque vindicare studeat. Atqui nihil ad festi illius ordinationem insignius ab illa Synodo profectum est quam quod 19 annorum Circulo constituto dissidium omne sustulit: quod his verbis testatur Am-

brosius: *Inter illa fidei, ut vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem et novem annorum collegere rationem et quasi quendam constituere circulum etc.* Nihil erat igitur, quod inanem et absurdam Octaëteridis periodum a situ revocaret Epiphanius, dum communem Cycli Paschalis methodum et a Catholicis receptam adversus Haereticos declarat. Nec accuratior est Sozom. 7, 18, qui eandem Octaëteridem ad Paschatis negotium sic accommodat, quasi utriusque sideris ratiociniis cumulate satisfaciat.

826 a. *καὶ συμβαίνει κατὰ τὸν ὄγδοον*] Deest Octaëteridi secundum medios motus ad solidum mensem complendum biduum fere. Nam Epactae anni octavi sunt 28. Octaëteris Lunaris accurata dierum est 2923. 11. 51′, hoc est horarum fere 12, ut ait Geminus. Itaque minor est Octaëteris Epiphanii Lunari Octaëteride sesquidie. Et tamen praecipitatur Embolismus, quod minimum absit ab integra Syzygia. Quod etiam in Enneadecaëteride servatur. Nam Embolismus tertius ab Alexandrinis et Latinis, et in omni adeo Cyclo, octavo anno collocatur. Octavo, inquam, non nono, etsi contrarium Mathematici quidam eruditissimi ac Computorum Scriptores asserant. Quod adversus illos breviter hoc loco demonstrandum est.

299

De duplici Cyclo et Embolismorum ratione.

Duplex apud veteres Computi magistros olim Cyclus extitit, cum Aurei Numeri fastis adscriberentur, alter decemnovennalis, alter Lunaris. Decemnovennalis, ut Beda saepius inculcat, ad methodum Quartadecimarum Paschalium inventus est, ut stato die quolibet anno per orbem redirent. Huius initium est, authore Beda, a Paschali mense, hoc est a citimo Termino, qui est XII Kalend. Apr. Martii 21. Cuius primus annus aureum Numerum habet 19 initque ex A. D. Prid. Non. Apr. sive Aprilis 4, cui in vetere Kalendario adscriptus est aureus Numerus 19. Quippe Cyclum Decemnovennalem non ab aureo Numero 1 ac 23 Martii, sed a 19 inchoatum fuisse et ab Aprilis 4, erudite probat Petrus Pitatus Veronensis Canonum Paschalium cap. 6 et ante illum docuit Paulus Forosempron. primae partis l. 6. Nec aliter Beda cum aliis in locis, tum libro de Temp. ratione

c. 54, ubi Cyclum Lunarem cum Decemnovennali proponens annum illius primum cum Decemnovennalis Cycli quarto coniungit et a Kalend. Ianuariis inchoari dicit. Est autem Ianuariis Kalendis affixus Aureus Numerus 3. Igitur primus est 19, a quo quartus est tertius. Quod in sequentibus Cyclorum numeris constanter tenet. Exempli caussa annus Cycli Lunaris 16 Bedae est decemnovennalis 19, qui a XVI Kal. Ianuar. incipit, Dec. 17, a quo incipit annus cui Numerus aureus convenit 18. Proinde aureus numerus 18 est 19 Cycli Decemnovennalis. Postremo cum Decemnovennalis Cycli primo anno Lunaris 17 componitur, eiusque initium statuitur Nonis Decembris (Corrige VIII Id. Decemb. Nam ex compendio notarum profectus est error, cum scriptum esset VIII. ID. quod Nonas Dec. librarius esse credidit). At qui annus ab VIII Id. Dec. auspicatur, Numerum aureum exigit 19. Satis igitur constat Cyclum Decemnovennalem ab aureo Numero 19 initium capere. Cuius haec afferri caussa potest. Romani aureorum Numerorum ac Cycli Decemnovennalis methodum ab Alexandrinis acceperunt. Qui cum Thoth suum, adeoque anni principium ab Augusti 29 ducerent, aureos numeros indidem inchoabant. Hos imitati postea Latini, qui a Paschali mense, hoc est Martio vel Aprili, sacrum annum ordirentur, aureos Numeros, quos cum Alexandrinis ad usque exeuntem Augustum communes habuerant, toto anno pertexebant. Igitur anno Dionysiano 284, Cyclo Decemnovennali 19, Alexandrini ab Augusti 29 die Cyclum primum numerare coeperunt, Romani vero totum annum Iulianum aureo Numero 19 consignarunt. Post anno 285 cum Alexandrinis aureum numerum 1 exorsi sunt. Ex quo factum apparet, ut Cycli 19 primus annus fuerit aurei numeri 19. Nam quod doctissimi quidam aureum Numerum 3 initium Decemnovennalis Cycli constituunt, propterea quod Kal. Ian. affixus est, contra Bedae aliorumque veterum id authoritatem asserunt; neque illud animadvertunt, Cycli 19 initium non a Ianuario, sed ab Aprili, hoc est ab ea Luna, quae in Aprilem desinit, ex illorum sententia deduci. Hinc annum primum ex Dionysii instituto veteres illi dicunt a Prid. Non. Apr. inchoari et in Martii 22 desinere, eique 353 dies duntaxat competere, quod in eum Lunae, sic enim vocant, saltus incurrat, quae est unius die superflui ἐξαίρεσις. Tum

secundum annum inire Martii 23 et dierum esse 354 atque ita deinceps, ut Beda, Pitatus locis citatis, aliique definiunt.

Alter Cyclus Lunaris appellatur, qui ad Lunam Epactarum ac regularium beneficio indagandam accommodatus est, quod Aurei Numeri praestare non possunt. Qui cum ex Alexandrinorum Kalendario translati sint, ac per contextum Latini anni diffusi, cuius aliud initium, alia mensium dispositio est, quae ex illis Epactae communi methodo consurgunt, eruendis Noviluniis usui esse nequeunt. Quare tria de aureo Numero detrahenda sunt, ut per Epactas ac regulares Novilunia consequamur. Atque in hunc modum diminuti numeri Cyclum Lunarem efficiunt. Veluti Kal. Ian. Aureus Numerus 3 adscriptus est, de quo subductis tribus, respondent e Cyclo Lunari 19, quae undecim additis, 30 Epactas conficiunt. Hae uno regulari addito 31 complent, quae Novilunium indicant. Itaque nulla id inscitia factum est, duplex ut apud Latinos Cyclus esset, quod ridicule sibi persuadet Scaliger 5 de Emend. Temp. ubi de Epocha Lunari Constantinopol. disserit. Hoc enim necessario ab illis instituendum fuit, posteaquam semel Alexandrinorum aureos numeros in Iulianum Kalendarium transtulerunt, ubi Epactae ex illis numeris erutae et ad dies appositae complementa eorundem esse non poterant regularibus adiectis, quod ut obtinerent, tria aureis numeris detrahenda fuerunt. Quam ob caussam Lunaris iste Cyclus est dictus, non ideo quod Decemnovennalis, sive aureus numerus Novilunia non ostenderet. Etenim iisdem illis diebus, quibus adiunctus erat, Nicaeni Concilii tempore, Novilunia committebantur, sed quod indagandae ex methodo computandaeque Lunae, ut vocant, aetati minime esset idoneus, nisi ternario minueretur, propter Romani et Alexandrini anni discrepantem formam, initiaque diversa. De quibus uberior alias instituendus est sermo.

Caeterum Lunaris iste Cyclus a Ianuario mense ducit exordium, ut Beda non uno loco testatur. Qui lib. de Temp. rat. c. 54 illius omnes annos exponit. Quorum primus cum decemnovennali quarto committitur, qui est aureus numerus 3, Kal. Ian. affixus. Secundus a XII Kal. Ian. Dec. 21, atque ita deinceps reliqui ab ea syzygia fere omnes inchoantur, quae in Ianuario desinit. Constat igitur in Cyclo Lunari, perinde ut in

decemnovennali, primum annum esse numerum, ut ita dicam, Lunarem 19, qui ad Kal. Ian. adnotatur.

His animadversis annum Enneadecaëteridis octavum intercalarem fuisse defendimus, qui aureum numerum habuit 7, qui est a primo, sive 19, uti dictum est, octavus, quod de Cyclo 301 decemnovennali, quo de agitur, potissimum asserimus. Fuere quippe Enneadecaëteridis anni isti septem embolimaei, 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19, quibus aurei Numeri in Kalendario respondent, 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18, quoniam, ut saepe docuimus, numerus 19 Cyclum ducebat, a quo secundus erat tertius. At insigni Mathematico placet hunc embolimaeorum ordinem esse, 3. 6. 9. 11. 14. 17. 19, quibus aureos istos numeros attribuit 2. 5. 8. 11. 13. 16. 19, quoniam Cycli decemnovennalis initium ab aureo numero 3 et Kal. Ian. arcessit. Atqui decemnovennalis ab Aprili, non a Ianuario, ex Veterum praescripto repetendus est. Et ille ipse embolimaeorum ordo mensium, quem proposuimus, Bedae, Pitati, Pauli Forosempr. aliorumque Computi artificum authoritate nititur. Vide cap. 43 de Temp. ratione apud Bedam Tomo 2. Idem et certissima ratione ad hunc modum colligitur. Embolimaeum, opinor, annum in Cyclo Paschali eum omnes intelligunt, qui, ut primus sequentis anni mensis intra Paschales terminos coërceatur, mense uno fit auctior. Eiusmodi autem anni illi sunt 7, quos enumeravimus, hoc est aurei in Kalendario numeri 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18, non autem 8. 11. 19. Etenim cum aureus Numerus 7 in usu est, quem Cycli decemnovennalis octavum esse volumus, primus mensis incipit Martii 17, ideoque embolimaeus esse debet: alioqui sequens annus a Martii 6 inchoandus erit, cui aureus Numerus 8 affixus est, anno decemnovennalis Cycli nono. Hoc autem Paschali Canoni ac Nicaenis decretis repugnat, ac Latinorum, hoc est Iudaizantium, peculiaris error ille fuit, quem ut evitemus, decimus tertius nempe mensis ad annum 8 accedat oportet, uti nonus, cui numerus aureus 8 tribuitur, in Aprilis 5 summoveatur, a quo primus Paschalis mensis incipiat. Eadem et undecimi ratio est, cui Numerus aureus convenit 10. Hic enim cum a 14 Martii ineat, decimi tertii mensis Neomeniam in Martii 3 conferet. Quare intercalandus hic erit, ut annus 12 a 2 Aprilis incipiat. Denique 19 annus cum a quarto die Aprilis exor-

diatur, embolimum mensem non continet, sed eundem sequitur. Siquidem 18 aureus numerus, quem Cycli decemnovennalis decimum nonum statuimus, Martii 16 competit, a quo annus incipiens necessario tertiumdecimum mensem sibi vendicat, cuius Neomenia Martii 5 minime Paschalis est, ac proinde primi mensis et anni Neomenia in Aprilis 4 diffundetur. Ita enim existimandum est: Embolimaeos menses in Paschali Cyclo eos esse, qui in finem anni coniecti Neomeniam sequentis anni proxime praecedunt, ut et Pitatus ad idem negotium observat cap. 6. Quanquam aliter apud Computorum artifices dispensari menses Embolimaeos didicimus ex Beda cap. illo 43 lib. de ratione temporum, ac per varios anni Iuliani menses dissipari: verum in Paschali hoc instituto embolimus ille mensis procul dubio censendus est, qui primum mensem Cycli ἀμέσως antecedit. Quo quidem statuto, nullum iam dubium est, quin embolimaeorum series eiusmodi sit, qualem a veteribus Computistis accepimus, in qua octavus annus, non nonus intercalaris mensis appendicem excipiat. Nam et propterea Enneadecaëteridem in Ogdoadem et Hendecadem partiri solent, uti Beda facit lib. de ratione temp. cap. 44 et Ogdoadi tres embolimos menses, hen-
302 decadi quaternos attribuunt. Hinc Africanus apud Hieron. in cap. 9 Dan. *Graeci*, inquit, *et Iudaei per octo annos trium mensium ἐμβολισμοὺς faciunt.* Ac tametsi mensis integer non octavo anno, sed nono ex diebus residuis consurgat, nihilominus quod et proxime solidam ad Syzygiam appendices illae dies accedant et quod ex superiorum annorum ratiocinio semper aliquid supersit, quo defectus ille compensetur, octavo anno intercalaris adiungitur.

Quod autem nondum iusto dierum numero ex Epactis collecto nonnunquam embolismos anteverti ac praecipitari diximus, illustrari potest ex Iudaici Cycli dispositione, qualem Glossa primae partis Iad R. Mose Tractatu Kiddusch hachodesch describit cap. 1 §. 2. Nimirum Epactas anni 1 et 2 in Cyclo Iudaico cum Epactis 5 mensium anni tertii ad 27 dies accedere, ideoque ad complementum embolimi mensis triduum ex annis sequentibus mutuo accipi. Postea ex residuo anni 3 et ex quarto ac quinto una cum mensibus 5 anni sexti, colligi dies fere 33, ex quibus compensato triduo illo, quod anticipatum fuerat, se-

cundus embolimus inseritur. Deinde ex epactis mensium 7 anni sexti et anni septimi, nec non et 5 mensium anni octavi, 22 fere dies confiunt. Neque tamen differtur embolismus, sed 8 dies ex annis sequentibus repraesentantur, ut solidus mensis intercalari possit. Tum vero ex residuo 7 mensium et annorum duorum, videlicet 9 ac 10, itidemque mensium 5 priorum anni 11, dies colliguntur 33, quibus octo detractis, quos superior embolismus exhauserat, quinque et viginti restant, ad quos complendae syzygiae 5 alii dies anticipantur et undecimo anno Adar inseritur. Eadem est anni 14 ratio. Confiunt enim dies 33, ex quibus 5 diebus exemptis, qui in antecessum usurpati fuerant, relinquuntur 28 dies, et biduum ad embolismum cumulandum a sequentibus sumitur. Deinde anno 17 Epactae ad dies 33 perveniunt restitutoque biduo illo mutuatitio, ex 31 reliquis intercalatur Adar, et unus dies superest. Itaque in fine Cycli 27 dies restant, et nihilominus 7 intercalatur embolimus, anno 19. Haec Glossa de Cycli Iudaici contextu. In quo nondum expleta Syzygia versuram fieri et anticipari dies aliquot vides, contra quam Scaliger lib. 7 de Emendat. in Comp. Iudaico Cyclo embolismos praecipitari nimis imprudenter negat. Quanquam Glossa ista Lunarem annum praecise dierum 354 constituit, neque appendices horas ac minutas complectitur, quae toto Cyclo collectae dies conficiunt 6 cum horis 21 et minutis 51′, quibus primi ac postremi embolismi defectus compensatur. Quamobrem rudis est et adumbrata Cycli Iudaici ista descriptio et ad faciliorem methodum ac popularem captum apposita, cum interim alia sit apud Iudaeos Epactarum annorumque conformatio. Quod idem de Epiphanii Octaëteride pronunciare licet, quam vel nulli, vel, si forte, paucissimi, post Nicaenum Canonem conditum ad Paschalem usum adhibuerunt. Hanc nobis de embolismis disputationem peperit Octaëteridis Epiphanianae dispositio. Quae tandiu hic habere locum debuit, dum uberiore a nobis Commentario, quem de temporum doctrina 303
meditamur, eadem illa pertractetur.

γίνονται ἐπακταὶ ιη′] Corr. *ιζ′*.

826 b. *ἐν τούτοις τοῖς τρισὶν ἐμβολίμοις*] Ne hoc quidem verum, aut satis accurate dictum, dissensionem omnem, quae Christianos inter ac Iudaeos et caeteros intercesserat, hoc

est Haereticos Tessarescaedecatitas, aut qui in primi mensis epocha a Nicaeno canone discedebant, quales Latini et Occidentales plerique, atque imprimis Scoti fuerunt, in tribus Octaëteridis embolimis consistere. Duplex apud Christianos Paschatis depravatio fuit. Altera plane Iudaica et Asiaticorum olim propria, qui 14 Luna, quamcunque in feriam incurreret, Pascha celebrabant. Altera, quae in primi mensis Neomenia contra Canonem committeret, dum illam citius antevertebat, adeo ut 14 Luna Aequinoctium praecederet. Quam *διαστροφὴν* novo errore cumulabant, ut in termino ipso, si in Dominicam incideret, celebritate fungerentur. Posteriores isti cum decemnovennali Cyclo, Iudaeorum instar, uterentur, in duobus duntaxat annis ab Alexandrinis et Nicaena sanctione dissidebant, Cyclo nimirum 8 ac 19. Nam Lunari Cyclo, non aureis numeris utebantur. Itaque tribus Cyclis ab Alexandrinis discrepabant. Ut exempli caussa, Alexandrino numero 1 respondebat aliorum 17. Item Alexandrinorum 8 istorum 5, decimonono Alexandrinorum Iudaicus 16. Indeque cum Alexandrini anno Cycli decemnovennalis octavo, cui numerus aureus 7 ad Aprilem usque convenit, mensem intercalarem adtexerent, qui a 6 Martii exorsus in Aprilis 4 desineret, ac postridie, hoc est Aprilis 5, annum nonum inchoarent, Iudaizantium factio pro embolimaeo communem usurpans annum, primum mensem inchoabat Martii 6, cuius 14 Paschalis Martii 19 competebat. Idem anno 19 contingebat, quem Alexandrini Pridie Non. Apr. inchoabant, alii III Non. Martias. Nam Alexandrini 19 annum, cui Numerus aureus 18 respondet, embolimaeum constituebant, eique mensem illum arrogabant, a quo Iudaei annum suum ac primum mensem auspicabantur. De qua re et antea disseruimus et agetur alibi copiosius. Quocirca non in tribus Octaëteridis embolimaeis annis, sed in uno solum Iudaei et Haeretici a Catholicis discrepabant, hoc est in octavo.

827 b. *ἔστι γὰρ τῷ ὄντι*] Haec Epiphanii fortasse temporibus. At aetate Theodoreti Audianorum ista disciplina in licentiam ac libidinem desciverat.

AD HAERESIN LXXI PHOTINIANORUM.

829 a. *οὗτος δὲ ὡρμιᾶτο*] *ὁρμιᾶσθαι* saepissime apud Epiphanium et alios idem valet atque *oriri*, quod et nos hoc loco verum existimavimus. Sed cum Photinus non Sirmio, sed ex Gallograecia oriundus fuerit, ut in lib. de Script. Eccles. scribit Hieronymus, consultius arbitror *prodeundi* vocabulo uti quam *oriendi*. Quare ita potius interpretandum fuit. *Hic Sirmio prodiens etc.* Sic enim Hieronymus: *Photinus de Gallograecia Marcelli discipulus, Sirmii Episcopus ordinatus etc.*

ἀπὸ τῆς ἐν Σαρδικῇ] Bis condemnatum esse Photinum tradit Epiphanius, primum in Sardicensi Synodo, tum in Sir- 304
miensi, cum Imperatori Constantio libellum obtulisset. Utrunque sub Constantio celebratum. Ideo corrigendus Hieronymus, qui a Valentiniano Imper. pulsum ab Ecclesia Photinum affirmat. Nisi post Sirmiensem Synodum occultos conventus habuisse dixerimus et a Valentiniano proscriptum fuisse. Quod ex eo deduci potest, quod in Epistola Synodica Concilii Aquileiensis ad Gratianum, Valentin. et Theodosium Imp. Ambrosius ac caeteri Episcopi ita sub finem scripserunt: *Photinianos quoque, quos et superiori lege censuistis nullos facere debere conventus, prout iam et Sacerdotum Concilio sententia in eos lata est. Petimus insuper, ut quoniam in Sirmiensi oppido adhuc conventus tentare eos cognovimus, clementia vestra etc.*

829 d. *Ἀννσίῳ Διακόνῳ τοῦ βασιλέως*] Videtur *Βασιλείου* leg. Sed nonnihil suspensos nos tenet, quod hic Basilii Diaconus appelletur, nimirum Ancyrani, qui actoris partes sustinebat, ac proinde suspectus esse Photino Diaconus illius poterat.

Καλλικράτει Ἐξσκέπτορι] *Ἔπαρχος* Praefectum Praetorio significat. Cornarius vero *Praesidem* reddit. Crediderim Praefectum Praetorio Illyrici fuisse.

830 a. *καὶ Βασιλείῳ Μεμοραδίοις*] Fortasse *Μεμορατίοις*, quasi *Memorarios* vocet qui sunt *Memoriales*, quorum proprium munus erat leges et rescripta excipere ac perscribere. Aliud est *Μεμοροφύλαξ* et *μεμορίτης* in Concilio Chalced. Act. 4, hoc est *ὁ ἐν μεμορίοις κατοικῶν*. Qui ad Memorias Martyrum et in Ecclesiis ibidem collocatis habitat.

νοταρίοις τοῦ Βασιλείου] Cor. *βασιλέως*. Habuerunt tamen in Conciliis et Episcopi notarios suos, atque Exceptores, ac ferme Diaconos, ut ex Chalced. Conc. constat. Sed et apud August. lib. 3 contra Crescent. cap. 29 in Actis Consularibus sub Zenophilo, Nundinarius Silvani Cirthensis Donatistae Diaconus Exceptor dicitur.

AD HAERESIN LXXII MARCELLIANORUM.

869 b. *εἰς τὴν ἐκτεθεῖσαν πίστιν*] Haec vel ab Epiphanio ad superiorem Semiarianorum Commentariolum addita, vel ipsius Commentarioli sunt, in quo praeter expositionem fidei Acta nonnulla Basilius ac Georgius praescripserant, quod posterius magis arridet. Sciendum est autem *πίστιν* illam, de qua loquitur, esse Professionem illam tertiam, quae Sirmii est edita, quam Socrates et Sozomenus falso in Sirmiensi Synodo conscriptam asseverant. Nata est enim anno demum 359, Eusebio et Hypatio Coss. XI Kal. Iunias, ut Athanasius lib. de Synodis docet. Qui dies Prid. Pentecostes fuit, quod Epiphanius hoc in loco testatur. Vide quae Nicolaus Faber Praef. ad Hilarii fragmenta disputat p. 375. Igitur post Ancyranum Concilium Basilius aliique Semiarianorum legati Sirmium ad Imperatorem profecti literas ab eo contra Eudoxium et Anomoeos expresserunt. Tum de eorundem consilio Imperator ad res Antiochenae Ecclesiae componendas, quam Eudoxius praeter Canones occuparat, simul ad Aëtii et Anomoeorum profligandam impietatem novam Synodum congregare statuit, quod supra in annorum Synopsi declaravimus. Postea cum de urbe, in qua consessus haberi posset, nequaquam Episcopi convenirent, Basilius anno 349 rursus ad Imperatorem Sirmium advolat. Prior enim profectio in annum superiorem, quo et Ancyranum Concilium celebratum est, incurrit. Ibi cum Ursacium, Valentem, Marcum Arethusium, Georgium Alexandrinum, Germinium, aliosque factionis Arianae principes offendisset, cum illis congressus est, ac post longam altercationem, demum allaborante Constantio, in eam fidei professionem consensum ab omnibus est, ut *οὐσίας* et *ὁμοουσίου* abolitis vocibus, Filium Patri per omnia similem affirmarent: cui Valens invitus subscripsit, Basilius vero, quod impetrare minime potuisset, ut in formula ipsa *substantia similis* diceretur Filius, in subscriptione sua quid sentiret testatum voluit, ut hoc loco narrat Epiphanius. Valens cum hac formula fidei statim ad Ariminense Concilium perrexit. Inter Hilarii fragmenta extat Epistola Germinii, ex qua illud praeterea

cognoscitur: cum praesente Constantio longius ad noctem usque prolata esset de fide disputatio et ad certam regulam perducta, Marcum Arethusium ab utraque parte esse delectum, a quo Sirmiensis illa formula dictata, cui Coss. praefixi sunt. Ex quibus apparet, Germinium, cum hactenus Anomoeorum perfidiae cum Valente et Ursatio fuisset, quibuscum etiam Hosium ad ὁμοούσιον et ὁμοιούσιον tollendas e medio voces adegerat, 324
ut 4, 11 scribit Sozomenus, ab illis paululum dissensisse et suppressa τῆς οὐσίας mentione, Filii per omnia cum Patre similitudinem agnovisse.

870 a. *Γερμιανοῦ, Ὑπατιανοῦ*] Alii *Γερμανίου*. Sed *Γερμινίου* leg.

870 b. *διηνέχθησαν οὖν οἱ αὐτοί*] Basilius Ancyranus post Sirmiensem Synodum, in qua strenuam adversus Photinum operam navaverat, apud Imperatorem gratia plurimum et auctoritate valuit. Nam ab Ancyrano Concilio ad illum allegatus nihil non obtinuit, adeo ut Eudoxium, eiusque suffragatores Imperatoris edicto percelleret. Mox in Ariminensi et Seleuciensi Synodo congregandis praecipuas partes egit. Verum paulo post Acacii factione deiectus non modo Imperatoris gratia, sed Episcopatu insuper excidit. Flagrabant per illa tempora non solum inter Arianos et Catholicos, sed inter ipsos Arianos dissidia. Quorum duae potissimum factiones erant. Quidam enim ex illis meri dogmatis fautores nihil, quod ad *οὐσίαν* et substantiam pertinet, commune esse Filio cum Patre sentiebant, ideoque tam *ὁμοιούσιον* quam *ὁμοούσιον* repudiabant, nec ullam omnino *τῆς οὐσίας* mentionem admittebant, pro eo ac pluribus in illorum Conciliabulis decretum fuerat, maxime in secunda Sirmiensi formula, quam Osii et Potamii blasphemiam Hilarius appellat. Horum principes erant Eudoxius, qui Antiochenam sedem occuparat Aëtii patronus, Georgius Alexandrinus, Euzoius, qui Antiochiae post exauthoratum Meletium suffectus est, nec non Acacius Caesariensis, Uranius Tyri Episcopus, in Occidente vero Ursacius et Valens, Germinius, aliique innumeri. Quod enim Aëtianam perfidiam cum Eudoxio Acacius caeterique propugnaverint testatur Sozomenus 4, 11. Alii vero ex eodem Arianorum grege a magistri sui impietate paululum desciscentes *οὐσίας* vocabulum et Filii in omnibus, adeoque in sub-

stantia, similitudinem agnoscebant. Quorum signiferi ac duces erant Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Silvanus Tarsensis, Sophronius Pompeiopolitanus, Eleusius Cyzicenus, Macedonius Constantinopolitanus et, ut Socrates ac Sozomenus volunt, etiam Cyrillus Hierosolymitanus. Haec duo Arianae sectae capita fuerunt, quorum in dogmate ipso dissensio versabatur. Tertia deinde non tam ex erroris varietate quam ex odiis et offensionibus exorta factio est, Acacianorum videlicet. Etenim Acacius Caesariensis cum Meletio et Uranio Tyrio, Eutychio Eleutheropolitano et aliis quibusdam suas ipse partes constituit, ac Semiarianorum ducibus acerrime restitit in Seleuciensi Concilio. Qui in eo, ut opinor, ab Eudoxio aliisque praefractis Aëtianis discrepabat, quod Filium creaturam esse, aut Patris dissimilem etsi perinde atque illi sentiret, non tamen libere audacterque profiteretur. De his consule Socratem 2, 31 et sequentibus, Theodoret. 2, 27, Sozom. 4, 21 ac deinceps.

τῶν περὶ — Σιλουανόν] Hunc ipsum Silvanum refert Theodoretus 2, 27 *τὸ ὁμοούσιον* coram Imperatore defendisse. Quod valde miror. Nam in Seleuciensi Conciliabulo hoc unum adversus Acacianos pertendit, ut Antiochena formula retineretur, ait Socrates 2, 32. Quid autem in animo habuerit is, qui *οὔσιον* apud Theodoretum pro *ὁμοούσιον* reponendum censuit, docere ipse debuerat. Nam vox illa *οὔσιος* non est nauci.

οἱ περὶ Εὐδόξιον] Corrupta sine dubio, neque satis integra ista sunt. Neque enim Eudoxius ac Georgius Alexandrinus a Basilii, aut Semiarianorum partibus stetere, quibuscum vehementissime contendebant. Nos quae desunt in Latino supplevimus. [Vertit Petavius, ***Constantium imperatorem intelligo. Obtinuere tamen postmodum Eudoxius et Georgius Alexandrinus et Euzoius Antiochenus.***]

870 c. *καὶ Οὐρανίῳ τῷ Τυρίῳ*] Apud Socratem saepius ***Ursatius*** pro ***Uranio*** perperam substitutus est.

870 d. *κατασταθέντων*] Leg. ut est in margine, *κατασταθέντα*. Nam deposito in Seleuciensi Concilio a Basilio et Semiarianis Eudoxio, suffectus est Anianus, qui ab Acacianis per Lauricium et Leonam in exilium eiectus est. Socrates 2, 32.

871 b. *διὰ τὴν πρὸς τὸν Κύριλλον ἔχθραν*] Expungenda omnino negandi particula. Nam Eutychius pro suo in

Cyrillum odio sese ad Acacium aggregavit, quocum Cyrillum Hierosolymitanum de Episcopatu dimovit.

872 b. *οἱ συνελθόντες ἐπίσκοποι*] De Seleuciensi Conciliabulo, quod Ariminensis *ἀντίμιμον* appellat Socrates, vide cum Socratem ipsum, tum reliquos omnes Ecclesiasticarum rerum et Annalium Scriptores.

Celebrata est Seleuciensis Synodus anno Christi 359, Eusebio et Hypatio Coss. coram Lauricio et Leona Comitibus, quos ei moderandae Constantius praefecerat. Primus consessus celebratus est Sept. 27, quo die altercationes extiterunt, quod iubente Leona ut de fide sententiam ferrent, negarent absentibus Basilio, Macedonio, Patrophilo ac caeteris, qui male sibi conscii tum aberant, quicquam posse decerni. Sed instante nihilominus Leona, cum de quibusdam, qui accusati erant, cognitionem habendam ante Episcopi statuerent quam de fidei dogmatibus ageretur (delati enim erant Cyrillus Hierosolymitanus, Eustathius Sebastenus et alii nonnulli) pervicit tandem Comes, ut de fide quaerendum prius esse videretur. Ibi Acacio novam fidei formulam et Nicaenae penitus contrariam offerenti Silvanus caeterique Semiariani vehementissime restiterunt. Quare Acacianis inde digressis lecta est Antiochena *ἔκθεσις*. Quam postridie in Seleuciensi Ecclesia, occlusis foribus subscriptione sua comprobarunt. Sequenti luce, quae Synodi tertia fuit, cum iam Basilius et Macedonius interessent, Acacius cum Leona ingressus primum obtinuit ut illi ipsi, qui accusati erant, ab eo coetu summoverentur. Deinde novam fidei formulam per Leonam proposuit, quam Epiphanius recitat. Sed reclamantibus caeteris, cum nullus contentionum ac simultatum exitus esset, Leonas ad Concilium redire noluit, ut nec Acaciani, qui ob contumaciam a Semiarianis depositi sunt. At illi Constantinopolin ad Imper. profecti, hunc adversus Basilium, Georgium Laodicenum, reliquamque factionem maiorem in modum concitarunt. Plura de his Socrates etc.

872 c. *πρὸ πέντε Καλανδῶν ὀκτώ*] Post *ὀκτὼ* interpungendum, ut sit dimidiata vox pro *Ὀκτωβρίων*.

872 d. *καθὼς καὶ ὁ λαμπρότατος*] Apud Socratem c. 31 Leonas dicitur *εἷς τῶν ἐν βασιλικοῖς ἐκφανῶν*, Lauricius vero *τῶν κατὰ τὴν Ἰσαυρίαν στρατιωτῶν ἡγούμενος*, Theodoreto 326

ὁ τῶν στρατιωτῶν τοῦ ἔθνους ἡγεμών. Quos cum λαμπροτάτους Synodus appellet, *clarissimos* interpretari malui quam, ut Cornarius, *illustrissimos*. Nam ut de Leona taceam, de quo nihil comperi, Lauricius certe ἔθνους ἡγεμών, hoc est Isauriae Praeses fuit, quem ne clarissimum quidem fuisse, sed perfectissimum potius Guido Pancirolus Notitiae c. 115 putat.

874 a. ὑπέγραψαν οἱ παρόντες] Tam hoc a vero alienum est quam quod maxime. Nunquam Basilius aut Marcus Acacianae isti formulae subscripsit, ut nec Occidentis Episcopi, qui Arimini, non Seleuciae convenerunt. Deinde quorsum bis Georgii ac Pancratii repetita subscriptio? Atqui non aliter Epiphanium scripsisse, aut sensisse necesse est quam ut Professioni illi Basilius, Marcus aliique subscripserint. Nam in fine subscriptionum Episcopos numerat 43, quot revera sunt, si Basilium, Marcum, reliquosque complectimur. Socrates autem c. 31 non plures quam 30 cum Acacio, Georgio Alexandrino, Uranio et Eudoxio conspirasse in eam formulam refert, ut in totum sint 34. Satis igitur constat haec postrema, ὁμοῦ Ἐπίσκοποι μγ', Epiphanii non esse, si hunc ab erroris culpa liberare velimus: neque porro priores illos, Basilium, Marcum, Hypatianum et Occidentales Episcopos Acacianam ἔκθεσιν approbasse. Quare aut eorum inducenda nomina, aut ita legendum est, γνωρίζουσιν οἱ ἐντυγχάνοντες τῇ πίστει, ᾗ ὑπέγραψαν οἱ παρόντες, *Βασίλειος* etc. καὶ οἱ πλεῖστοι Ἐπίσκοποι τῆς δύσεως. Tum Γεώργιος Ἐπίσκοπος etc. Affirmant enim Acaciani editam a se fidei confessionem cum ea consentire formula, in quam Sirmii cum Valente, Ursatio et Occidentalibus convenere Basilius, Marcus, Georgius, aliique, quos Germinius in Epistola, quae inter Hilarii fragmenta reperitur, enumerat: nempe Georgium Alexandrinum, Pancratium Pelusinum, Basilium Ancyranum, Valentem, Ursatium et Marcum. Restituenda enim Pancratii vox est in Germinii Epistola, ubi ita scriptum est: *et Georgio Episcopo Alexandrinorum Ecclesiae * * Pelusinorum.* Imo vero fieri potest ut Hypatiani quoque nomen a Germinio commemoratum exciderit. Nam Epiphanius in calce cap. 22 inter eos, qui Sirmiensi formulae subscripserunt, affuisse narrat cum caeteris Hypatianum, qui Heracleae fuit Episcopus, ut ait Sozom. 6, 7. Ubi obiter emendandus est, dum ait Macedonianos,

qui postea Lampsaci convenerunt, Valentiniano et Valente imperantibus fuisse ὁμοουσίου propugnatores. Legendum est enim ὅσοι ἄλλοι ὁμοιούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν λέγειν ἠξίουν. Est enim non Sozomeni error, sed librarii.

874 b. *Εὐστάθιος Ἐπίσκοπος Ἐπιφανίας*] Scrib. *Ἐπιφανείας*. Quo nomine complures censentur. Est enim ad Orontem una, altera ad Euphraten, alia in Cilicia, ut de reliquis sileam.

Εὐδόξιος Ἐπίσκοπος] Non alium opinor esse quam Antiochenum. Hic enim coniunctam cum Acacio caussam habuit, cum eoque in Seleuciensi conventu a Semiarianis in ordinem redactus, vicissim illos in Constantinopolitano Concilio perculit. Sed si is est, mirum valde, quomodo non post Georgium saltem Alexandrinum subscripserit, qui utique ante Orientales et 327
Syros Episcopos nominandus fuit.

874 c. *Παγκράτιος Ἐπίσκοπος Πηλουσίου*] Qui et Sirmiensi tertiae Professioni cum Marco, Basilio ac caeteris subscripserat.

875 a. *οἱ νουνεχεῖς ταύτην*] Variae sunt ab Arianis diversis temporibus editae professiones fidei, quarum novem omnino ad Constantinopolitanum usque Conciliabulum, quod a Seleuciensi proxime est habitum, recenset Socrates, sed et Athanasius lib. de Synod. ex quo tamen decem colliguntur. Quas hoc loco attingam breviter.

Prima fidei ἔκθεσις Antiochiae Encaeniorum tempore scripta Marcellino et Probino Coss. A. 341, ubi de *οὐσίᾳ* verbum nullum. Secunda in eodem conciliabulo edita, paulo longior, ubi Filium *μονογενῆ θεὸν* ac *τῆς οὐσίας εἰκόνα* nominarunt. Tertia ibidem a Theophronio conscripta, quae et *οὐσίας* vocabulum supprimit. Quarta paucos post menses per Narcissum, Marim, aliosque in Gallias ad Constantem missa. In hac damnati qui dicerent *ἐξ οὐκ ὄντων τὸν υἱὸν, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως καὶ μὴ ἐκ τοῦ θεοῦ γενέσθαι*, aut fuisse aliquando tempus cum non esset. Quinta post triennium in Italiam missa *μακρόστιχος*, hoc est longior appellata. Quam quidem Antiochiae contextam in Annalibus reperio. Sed hoc neque Socrates ac Sozomenus, neque Athanasius referunt. In qua *τῆς οὐσίας* mentio nulla. Sexta in Concilio Sirmiensi contra Photinum edita,

anno 351, de qua in superioribus abunde dictum est. Septima Sirmii anno 357 Latine scripta est, de qua, ut et de octava, quae Ariminum perlata est, conscriptaque anno 359 satis antea disputavimus. Nona est Acaciana Seleuciae proposita, quam cum Sirmiensi tertia consentire authores illius asserunt. Decima Constantinopoli ab Acacio, Eudoxio aliisque conflata. Quae *οὐσίας* et *ὑποστάσεως* nomina commemorari vetat, similem tamen Patri Filium esse definit. His undecimam addit Athanasius Antiochiae ab iisdem istis publicatam, ubi superiorem emendarunt ac dissimilem Patris Filium audacter pronunciarunt. Unde Anomoei et *ἐξουκόντιοι* appellari coeperunt.

882 c. *καὶ νύκτωρ φυγαδεύεται*] Bis Antiochia pulsus est Meletius. Primum a Constantio, quod Arianum dogma minime, uti spes erat, foveret. Inde a Valente. Nam sub Ioviano Antiochiae Concilium habuit, in quo Macedoniani et Acaciani Nicaenam fidem amplexi sunt. Socrates 3, 21. Post Ioviani obitum a Valente relegatur, ut idem 4, 2 caeterique produnt. Quamobrem quod scribit Epiphanius, *ἕως τούτου τοῦ χρόνου*, non sic intelligendum est ut perpetuum a Constantii tempore fuerit exilium. De Meletio vero ac triplici Antiochenae Ecclesiae divortio eosdem rerum Ecclesiasticarum Scriptores consules.

328 883 c. *πλὴν ἐν ἑνὶ μέρει*] Non propterea damnandus est Meletius, quod locum illum ex Proverb. c. 8 *ὁ θεὸς ἔκτισέ με* etc. de increata Sapientia ac Dei Verbo interpretatus fuerit. Hoc enim plerique Patres fecerunt, ut Ignatius Martyr Epist. ad Trall. Athanas. de Decretis Nicaenae Synodi et alii complures.

885 c. *ἐξ αὐτῶν γὰρ Εὐζωΐος*] Caesariensis iste *κατ' ἀντιδιαστολήν* dicitur, ut ab altero discernatur, qui cum Diaconus Alexandrinae esset Ecclesiae, cum Ario pulsus postea Antiochenam sedem obtinuit. At Caesariensis Acacio succedens successorem ipse Gelasium habuit, ut Hieron. lib. de Script. Eccles. testatur. Quo in libro Euzoii insuper istius meminit, eumque scribit cum Gregorio Nazianzeno Thespesii Rhetoris auditorem Caesareae fuisse. Cuius urbis Episcopatum adeptus *plurimo labore corruptam bibliothecam Origenis et Pamphili in membranis instaurare conatus est, ad extremum sub Theodosio principe Ecclesia pulsus est.*

886 b. *τοῦ ὑπὸ Γεωργίου τοῦ Ἀλεξανδρέως*] Socrates 2, 28 et Sozom. 4, 11. Aëtium scribunt a Leontio evirato Antiochiae Diaconum ordinatum, quod et Suidas ac Nicephorus sequitur.

AD HAERESIN LXXIV PNEUMATOMACHORUM.

De Pneumatomachis eorumque principe Macedonio agit Socrates 2, 35, Sozom. 4, 19.

AD HAERESIN LXXV AERIANORUM.

905 c. *ὅπερ ἐν τῷ Πόντῳ καλεῖται*] Vide Nazianzeni elegantem illam Orat. *περὶ φιλοπτωχίας* et Nicetae ad eam scholion.

καὶ τοὺς λελωβημένους καὶ ἀδυνάτους] Proprie *ἀδυνάτους* appellant *caussarios*. Vide Harpocrationem et Lysiam Orat. *περὶ τοῦ ἀδυνάτου*.

906 a. *νομίσειε δ' ἄν τις*] De Eustathio Sebasteno adi praeter Ecclesiasticarum rerum Scriptores Basilium Epist. 74 et aliis quibusdam sequentibus. Hunc ab altero eiusdem nominis Eustathio, qui in Gangrensi Synodo condemnatus est, diversum esse probat adversus Socratem, Sozomenum et caeteros, in Annal. Baronius ad A. 319.

906 b. *ἔδοξε δὲ καὶ πρὸς Λιβέριον*] Macedoniani sub Valente Imperatore ab Arianis oppressi Legatos ad Liberium Papam destinant, Eustathium Sebastenum, Silvanum Tarsensem et alios, per quos *εἰς τὸ ὁμοούσιον* consentientes recepti sunt. Sed ea consilia ab Eudoxio postea disturbata sunt. Vide Socratem 3, 11. Eustathius porro Liberii Pontificis literis fretus in Tyranensi Concilio restitutus est. Basilius in Epist. 72 et 84.

906 d. *καί φησι, τί ἐστιν Ἐπίσκοπος*] Habes in Aërianis expressam huius temporis Haereticorum imaginem. Quare cum illorum dogmata, quibus recentiores isti patrocinantur, damnat ac refellit Epiphanius, plenum gravitatis authoritatisque iudicium in eosdem ipsos pronuntiat.

τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας] Quid sit dicetur ad Expo- 329
sitionem fidei.

908 a. *καὶ ὅτι μὲν ἀφροσύνης ἐστίν*] Disputavit de ea quaestione copiosissime Baronius ad annum 58, ubi difficillimum ex Hieronymi authoritate nodum dissolvit, qui in Epistola 85 ad Euagrium nihil olim Episcopos inter ac Presbyteros fuisse discriminis affirmasse videtur.

908 d. *οὕτω τῆς ἐκκλησίας λαβούσης*] Qui ad Epiphanii mentem diligenter animum adiecerit, non dubitabit quin *οὔπω* pro *οὕτω* huic loco sit aptius.

909 d. *μασμαρὼθ, ἅτινά ἐστι δινλιστήρια*] Nullum eiusmodi vocabulum in scripturis reperio. Proxima vox huic est מזמרות inter templi vasa, quae a Babyloniis direpta commemorantur Hierem. 52, 19. Sed non *δινλιστῆρας* significat, verum *φιάλας*, apud LXX Hieron. *Psalteria*. Alii *emunctoria*. Sane שמרים *faeces* sunt. Sed ab ea voce haud scio an משמרות derivari possint pro *colis*, quibus vinum defaecetur. Ita *μιδεκὼθ* idem esse ac *κνάθους* nondum comperi, quam vocem lib. de mens. et Pond. repetit p. 182, ut et antecedentem, sed *κνάθους* vocat *μεδεκώθ*. Nam מנקיות a LXX *κνάθοι* redduntur.

Luculentus est hic Epiphanii locus, ex quo variorum rituum, quos Catholica ac Romana Ecclesia hodieque retinet, vetustas asseritur. Cuiusmodi sunt certorum dierum ieiunia, preces pro mortuis et sanctorum perinde ac caeterorum fidelium commemorationes. De quibus aliisque compluribus agit in calce huius operis, in Expositione Fidei Catholicae. Quamobrem in illum ipsum locum opportunius conferetur, si quid ad illustrandam Catholicorum dogmatum antiquitatem adnotandum videbitur.

AD HAERESIN LXXVI ANOMOEORUM.

912 a. *προαχθέντα διὰ τὴν αὐτοῦ*] Constans est in ea opinione, quam supra proposuit, ut Aërium, quem a Leontio Antiocheno caeteri Diaconum ordinatum asserunt, a Georgio Alexandrino id dignitatis consecutum existimet.

913 a. *πῶς μὲν τὴν νίτρον ἅπασαν ἐξέλαβε*] *Nitrariae egregiae Aegyptiis*, ait Plinius 31, 10. Hinc Nitria Aegypti Praefectura, a nitri copia, ut refert Sozomenus 6, 30. Horum igitur ac reliquorum vectigalium redemptor fuerat Georgius, quod

ἐκλαβεῖν appellat Epiphanius. Neque enim aliter interpretari ista possumus.

913 b. *ὡς καὶ κλίνας ἐπενόησε*] Quod a Catholicis Imperat. proba ac laudabili lege constitutum, Constantinopoli quidem maxime a Constantino. Nam a Decanis et lecticariis publice elata sunt corpora, quos et *κοπιατὰς* et *vespillones* nominant, de quibus in calce operis huius. At Georgius Arianus mortalium omnium sordidissimus ex ea re lucrum ac compendium captabat.

913 c. *καὶ σιωπῶ τὰ ἄλλα λέγειν*] Verbum *κομίζεσθαι* aliter fortassis interpretandum quam ut in Latinis nostris exprimitur: nimirum quaestum ex re qualibet fecisse Georgium, utputa ex lautitiis et cupediis, quae Alexandriae vendebantur, maxime in *εὐδαιμόνων λαύρᾳ*, de qua ad Arian. Haer. dictum est, tum caeteris ex rebus. Quibus accedunt quae per summam crudelitatem exigebat. Nam Alexandrinorum Episcoporum magna Alexandriae potestas fuit. De Dioscori Alexandrini itidem Episcopi iniquis ac tyrannicis exactionibus multa sparsim extant in Chalced. Synodo.

915 c. *γεγονότες ἅμα Ἀστερίῳ τινί*] De quo Socrates 330
1, 36, Sozom. 2, 31. Meminit et Athanasius lib. de Synodis. Hic quod in persecutione sacrificasset, ordinari, quod apprime cupiebat, non potuit.

916 a. *ὕστερον ὑπ' αὐτῶν τῶν Ἀρειανῶν*] Ab iis videlicet Episcopis, qui ex utroque Concilio, Ariminensi ac Seleuciensi, Constantinopolim ad Constantium missi erant, quibuscum disputavit Aëtius. Sozomenus 4, 22.

919 d. *ἀπὸ μὲν τοῦ Ἑβραϊκοῦ οὕτως*] Hebraice ita concipitur: פתחו שעדים ויבא גוי צדיק שומר אמגים יצר סמוך התצור שלום שלום בי בך בטוח בטחו ביהוה עדי עד בי ביה יהוה צור עולמים. Ex quibus Hebraicâ Graece scripta corrigenda sunt. Velut pro *οὐϊαβωτῶν* leg. *οὐϊαβὼ γωΐ*. Mox pro *βετοὺβ* leg. *βετού*. Pro *ἀδδὼθ*, *ἀδδὲ ὠδ*. Item pro *σωδωλεμεὶμ* leg. *σωρολεμείμ*. In Graeco vero Aquilae pro *φύλαξις εἰρήνης* forte scribendum *φυλάξεις εἰρήνην*.

924 a. *ἐπειδὴ ἐν καιρῷ τοῦ ἐπενεχθέντος*] Ex hoc Aëtii Opusculo verissimum esse senties quod de eodem Socrates, Sozom. et paulo ante Epiphanius noster asseverabat, nempe

Sophisticis argutiis et cavillationibus fretum Aëtium fucum veritati fecisse. Sed cur χρονίτας vocat eos, a quibus damnatus est, nimirum Arianos ipsos? Epiphanius quidem in Responsione, dum χρονιτῶν vocabulum in ipsos retorquet Anomoeos, aitque Catholicam Ecclesiam temporalem dici non posse, quod ab aeterno fuerit, ita videtur accepisse, quasi χρονίτας adversarios suos Aëtius appellaverit, quod illorum fides nova esset ac nupera. Hoc utrum intellexerit Aëtius, non facile dictu est. An potius χρονίτας dixit, hoc est temporarios, minimeque stabiles, neque in suscepta fide constantes, qui ad Imperatoris nutum et gratiam sese ac credulitatem suam accommodarent? Cuiusmodi Acacius, Eudoxius ac caeteri fuerunt, qui Aëtium, cui hactenus faverant, metu Imperatoris damnarunt. Sane πρόσκαιρος, *temporalis*, Matt. 13, 21, appellatus ille, qui suscepto Dei verbo in persecutione desciscit.

941 c. ἔν τε ταῖς Σοφίαις] Ex hoc loco discant Haeretici quod Epiphanii de iis libris iudicium fuerit, quos illi a Canone reiiciunt, quos quidem tam hic quam alii veteres Patres inter scripturae libros et θείας γραφὰς recipiunt.

957 b. κἄν τε πνευματικῶς ἀναχρινόμενοι] Quae Parenthesi includi iussimus, ὁ πνεῦμα ὢν καὶ μονογενής, ea loco suo dimota sunt et in tertio versu ad hunc modum reponenda: κἄν τε εἴποι ὁ πνεῦμα ὢν καὶ μονογενής.

AD HAERESIN LXXVII DIMOERITARUM.

997 a. δι' οὓς ἀνάγκη γέγονε] Duplex illis temporibus habita Synodus est, in qua error Apollinarii damnatus est. Prima Alexandriae ab Athanasio et Eusebio Vercellensi, postquam Iuliano imperante, Georgio ab Alexandrinis occiso, sedi suae restitutus est Athanasius, anno Christi 362. Altera Romae, sub Damaso, anno Christi 373. Vide Annales Eccles. De hoc posteriori Concilio cuius recens, cum haec scriberet Epiphanius, memoria erat, eundem intelligendum existimo.

331 1009 a. οὐκοῦν χρείαν ἔσχε] Fuit haec Valentini opinio, Christum tanta frugalitate ac parsimonia usum esse, nihil ut egereret. Testatur idipsum Clemens Alexandr. 3 Strom. qui ex Haeretici illius ad Agathopodem Epistola ista profert: ἤσθιεν

καὶ ἔπινεν ἰδίως οὐκ ἀποδιδοὺς τὰ βρώματα· τοιαύτη ἦν αὐτῷ ἐγκρατείας δύναμις, ὥστε φθαρῆναι τὴν τροφὴν ἐν αὐτῷ.

1014 c. *ἐν οἷς καὶ Βιτάλιος ὁ Ἐπίσκοπος*] Hic est Vitalis ille Meletii Antiocheni Presbyter, qui a Flaviano desciscens se ad Apollinarem aggregavit et, quod insigni pietate praeditus esset, plerosque eundem in errorem impulit. Postea vero sectae suae Episcopus est factus. De quo Sozomenus lib. 6. Vide et Gregorium Nazianz. Orat. 52 ad Cledonium, ubi et huius et Apollinaristarum omnium versutiam detegit.

1022 a. *ἀνθρωπίνη ὑποδοχή*] Scriptum erat *ἀνθρωπίνης*, pro quo *ἀνθρωπίνη* nescio quis substituit. Leg. est autem *Ἄννης*, ut est in Regio. Ex quo librarius *ἀνθρωπίνης* verum esse credidit. Nam *ἄννης* pro *ἀνθρωπίνης* scribi assolet.

AD HAERESIN LXXVIII ANTIDICOMARIANITARUM.

De Antidicomarianitarum dogmate, quod Iovinianus propugnabat, accurate disputat Hieronymus. Vide et Ambrosium cum aliis in locis, tum Epist. 5 et 7 lib. 1.

1039 a. *οὗτος μὲν γὰρ ὁ Ἰωσήφ*] De hac Epiphanii sententia et quinam Domini fratres illi fuerint, copiosam habes disputationem in Apparatu ad Annales Eccles. n. 60 ac deinceps.

1039 b. *ὠβλίαν ἑρμηνευόμενον τεῖχος*] Melius quam Hegesippus apud Euseb. 2, 23, unde haec desumpta sunt, qui *ὠβλίαν* interpretatur *περιοχὴν τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνην*. Sed est Hebraice עפלית *arx*, sive *munitio Dei*.

1041 c. *τοῦ δὲ Ἡρώδου ἦν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ*] Falsum est Herodem illum, quo regnante passus est Dominus, Archelai fuisse filium, multoque magis quod et paulo post et initio operis huius, in calce Tomi prioris, affirmavit, Herodem Agrippam fuisse. Fuit enim Herodes Antipas Herodis magni filius, ut ad illum locum observatum est.

1043 a. *ἀλλὰ μὴ τοῦτο στραφῇ εἰς βλάβην*] *συνεισάκτους*, hoc est contubernales Clericorum foeminas, quas *extraneas* Latini vocant, damnarunt veteres PP. ac saepius veteres Synodi, ut Nicaena Can. 3, Carthaginensis 3, Can. 17, Arelatensis 2, Can. 3, Toletana 4, Can. 42, Basilius Epist. ad Greg. quae Canonica a Balsamone censetur, p. 1022. Antiochena Sy-

nodus in Epistola contra Paulum Samosat. apud Euseb. 7, 24: *τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι* etc. Easdem et insequitur Noster in Haer. 63, 2: *τὰς ἀγαπητὰς λεγομένας συνεισάκτους γυναῖκας*. Hieronymus passim traducit, maxime ad Eustochium Epist. 22: ***Unde in Ecclesias Agapitarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus?*** Cavenda vero Mariani Victorii ad hunc Hieronymi locum observatio, qui Agapetas a Christianis conviviis, quas *ἀγάπας* nominant, derivatas censet, quod est ridiculum.

332 1044 b. *φασὶ τὴν λέαιναν*] Fabulam hanc plerique refellunt. Aristoteles ecce Histor. 6, 31: *ὁ δὲ λεχθεὶς μῦθος περὶ τοῦ ἐκβάλλειν τὰς ὑστέρας τίκτοντα, ληρώδης ἐστί· συνετέθη δὲ ἐκ τοῦ σπανίους εἶναι τοὺς λέοντας, ἀποροῦντος τὴν αἰτίαν τοῦ τὸν μῦθον συνθέντος*. Sed et Philostratus et alii.

1045 d. *μόνον τούτῳ τῷ Ἰακώβῳ*] Idem narrat Haer. 29, 4, ubi et totam Iacobi historiam recenset, cuius author Hegesippus apud Eusebium 2, 23, qui id veteribus persuasit, ut Hieronymo lib. de Script. Eccles. Sed multa sunt in historia illa, quae nonnullis displicent. Scaliger vero in Animad. ad annum 2077 tanquam inanem fabulam respuit. Reprehensionis capita haec fere sunt. Quod Iacobo soli scribit Hegesippus in sancta sanctorum ingredi licuisse. Atqui uni summo Pontifici, idque semel in anno, concessum erat. Iacobus autem ne Levita quidem erat. Deinde quia caussa cur *εἰς τὰ ἅγια* permissus sit aditus, haec affertur, quod lineis vestibus, non laneis uteretur. Hoc autem solis Sacerdotibus, cum sacris operabantur, licitum fuit. Tertio Gentes ait cum Iudaeis convenisse, quod absurdum est: neque enim Gentiles ad ullum Iudaeorum festum confluebant. Quemadmodum et illud falsum, quod 12. Tribus adfuisse dicit, cum per illud tempus duae tantum forent, reliquae 10 pridem in captivitatem abductae. Quarto Osanna refert a Iudaeis acclamatum, quod in Scenopegia solum clamabant, cum ramos ex arboribus defringerent. Quinto Iacobum Nazaraeum extitisse dicit, ideoque carnibus ac vino temperasse. Ergo neque Paschalem agnum, neque poculum extrema illa coena sumpsit. Caetera nihil moror. Nec diffiteor nonnulla vel ab Hegesippo prodita vel ab aliis inserta, quae parum probabilia videantur.

Sed totam ipsam historiam nego propterea damnandam esse. Nam pleraque in illa vera sunt, aut veris certe simillima, quaedam subabsurda, praesertim quae ab aliis addita fuerunt. Quae autem opponuntur a Scaligero non magnum momentum ad illius infringendam authoritatem afferunt. Primum illud est de Sanctis Sanctorum, quae apud Hegesippum tantummodo sunt *ἅγια. τούτῳ μόνῳ*, inquit, *ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι. Licebat*, inquit, *illi soli in sancta ingredi*, non utique Sancta sanctorum, sive arcana illa sanctioraque penetralia, quae soli Pontifici semel quotannis patebant, sed quae sancta simpliciter nominantur, in quibus mensa et panes propositi, ac candelabrum et altare suffitus: quem in locum Sacerdotes quotidie ingredi solebant. Huc igitur si Iacobus admissus est, qui nec Levita, nedum sacerdos esset, singularis honor est sanctitati illius habitus. Cum autem factum esse tam vetusti et graves authores asserant, cur factum sit mirandum, vel quaerendum magis est quam de praestantissimorum virorum authoritate dubitandum. Ac cum Hegesippus *ἅγια* sola commemorasset, caeteri *τῶν ἁγίων* addiderunt; ut Epiphanius hoc loco et doctissimus Hieronymus in Catalogo. Sed *τὰ ἅγια τῶν ἁγίων* saepe pro *ἁγίοις* et exteriori domo, hoc est הֵיכָל usurpantur, nec solum pro דְּבִיר, sive intimis adytis. Sic apud Epiphanium lib. de 12 gemmis, cap. de Adamante: *τοῦτον δὲ ἐφόρει ὁ Ἀρχιερεὺς ὅτε εἰσήρχετο εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων· τρὶς δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰσήρχετο, τῇ ἑορτῇ τοῦ Πάσχα, τῆς Πεντηκοστῆς καὶ τῆς Σκηνοπηγίας.* Hoc loco *τὰ ἅγια τῶν ἁγίων* primam illam Templi interioris ac tecti partem significant. Quia neque ter 333
quotannis penetrale illud sacrosanctum adibat, sed duntaxat semel, et cum ingrederetur, pectorale gemmatum, ac reliquum omnem ponebat ornatum, et tunica linea, lineisque femoralibus, zona, cidari lineis utebatur. Non aliter *τὰ ἅγια τῶν ἁγίων* appellat Chrysostomus Orat. 62. Tomo 6. Edit. Savil. p. 644: *ἐνεδύσατο ὁ ἀρχιερεὺς εἰσιὼν εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ποδήρη, τουτέστιν ἱμάτιον ἀπὸ κεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἀπεωρισμένον, ἐπωμίδα, ζώνην, περισκελῆ, πέταλον χρυσοῦν, τιάραν, τουτέστι κυρβασίαν, τὸ λόγιον ἐπὶ τοῦ στήθους* etc. Ita Fronto noster emendavit. Nam pro *τιάραν* perperam legitur *τί ἄρα* et pro *κυρβασίαν, κορυβάντιον.* Ob eam,

quam dixi, caussam τὰ ἅγια τῶν ἁγίων Chrysostomo non alia sunt quam τὰ ἅγια, quomodo et apud Hegesippum et Hieronymum. Epiphanius vero hac excusatione uti non potest, quia de suo perperam adtexuit, ἅπαξ τοῦ ἔτους, quod summo Sacerdoti peculiare fuit, ut semel in sancta sanctorum ingrederetur. Iacobo vero ob excellentem vitae sanctimoniam concessum est ut ad sancta perveniret, cum alioqui vulgo linea stola vestiretur. De Gentilibus absurdum est negare illos cum aliis temporibus, ac Iudaeorum solennibus, tum azymorum diebus, quod festum longe apud Iudaeos celeberrimum fuit, Hierosolyma confluxisse. Ne longe exempla petamus, Ioan. 12, 20. Gentiles illis ipsis solennibus adorandi caussa conveniunt. *Erant autem quidam Gentiles ex iis, qui ascenderant, ut adorarent in die festo.* Nam de 12 tribubus quam inepte praescribit Scaliger! imo propemodum impie. Si enim vere colligit, eadem ratione hallucinatum Iacobum Apostolum excipere potest, qui Canonicae Epistolae ita praefatus est: *Iacobus Dei et Domini nostri Iesu Christi servus, duodecim Tribubus, quae sunt in dispersione, salutem.* Item Act. 20, 6. Paulus ita loquitur: *Et nunc in spe, quae ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto iudicio subiectus, in quam duodecim Tribus nostrae nocte ac die deservientes sperant pervenire.* Quamvis enim abductae decem Tribus essent, non pauci tamen ex illis vel duabus aliis Tribubus immisti, vel utcunque liberati manserunt. Quod ad acclamatum Osanna pertinet, fieri potest uti ramos ad publicam testificandam laetitiam poposcerint et ad eos defringendos sese invicem hortati sint. Postremum de Nazaraeorum instituto levissimum est. Neque enim Nazaraei illi perpetui carnibus sic abstinuerunt, ut non Paschali agno vescerentur, cum idipsum Lex tam accurate praeciperet, sed in communi scilicet quotidianoque victu illis abstinebant, ut et vino ac sicera.

[ὁρμασθῆναι αὐτὴν αὐτῷ] Conieceram ἁρμοσθῆναι pro ὁρμασθῆναι legendum esse: unde et ἁρμοστὴν pro ὁρμαστὸν p. 1048 c. rescribendum foret. Verum nihil omnino mutandum. Apparet enim vocem quandam fuisse Graecis illius temporis usitatam. Quam et in illa Oratione postea reperi, quae ψευδεπιγράφως Epiphanio tribuitur, de laudibus B. Virginis p. 292 c. 5: ὡρμάσατο τὴν παρθένον εἰς τὸν μονογενῆ υἱόν: *despondit coele-*

stis Pater filio suo Virginem. Igitur ὁρμιάσασθαι idem erit ac *despondere*, ὁρμιαστὸς, *sponsus*, quod alibi non legeram. Ex Addendis p. 463.]

ἐπειδήπερ αἱ β' φυλαί] Hoc alibi refutatum a nobis est.

1046 a. οὗτος ὁ Ἰάκωβος καὶ πέταλον] Ita Haer. 29, 4: ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν. Quod de summi Pontificis πετάλῳ accepisse videtur. Perperam id quidem, quod alioqui de Christianorum Pontificum insigni credibile est, et de Ioanne Evangelista testatum reliquit Polycrates apud Euseb. 5, 23: ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον φορεκώς. De Iacobo haud scio an quispiam prodiderit. Nam quos Haer. 29 citat Epiph. de Ioanne, non Iacobo ista scripserunt.

1046 c. ἔτεσιν κδ'] Eusebius in Chronico Iacobum scribit anno Neronis 7 lapidibus obrutum fuisse, quod et Hieron. in Catalogo sequitur, qui 30 annis illum sedisse refert. Non igitur accuratus est annorum apud Epiphanium numerus. 334

1047 c. τί δὲ ὠφέλησεν ἡμᾶς] Leopardus 19, 2 pro περὶ τοῦ ζητεῖν, περιττὸν legit.

1055 c. τὴν Θέρμουτιν τὴν θυγατέρα] Amenophin regem illum Aegypti nominat, sub quo Moses natus est, in quo Eusebii Chronicon secutus est.

1056 c. ὁ κλῆρος αὐτῶν ἐν μακαριότητι] Ex hoc loco manifestum est Sanctorum, ubi ex hac vita discesserint, animas coelesti felicitate perfrui, neque supremum Iudicii tempus expectare.

AD HAERESIN LXXIX COLLYRIDIANORUM.

1058 b. φανερᾷ] φανερὸς idem est ac certus. Qua in significatione saepe in Chalcedonensi Concilio usurpari solet.

1060 c. Διακονισσῶν] De Diaconissis in fine Operis agetur.

1064 c. οὐ τὴν καλουμένην] Huius Rufi matris meminit Paulus ad Rom. 16, 13: *Salutate Rufum electum in Domino et matrem eius et meam.*

1065 c. οἴδασιν οἱ τόποι Μαγδούλων] Cornarius inepte: *Noverunt loci horum aedificiorum corpora suscipere ad putrefactionem.* Loci enim proprium nomen est Μάγδουλα. Atque hoc iampridem Leopardus animadvertit Emend. 19, 2. Qui quidem nescio quid cogitans pro σῆψιν, mavult σέψιν, hoc est

adorationem et *cultum*. Quod ab huius loci sensu tam alienum est, nihil ut magis esse possit.

AD HAERESIN LXXX MASSALIANORUM.

1067 c. *Μασσαλιανοὶ δὲ οὗτοι καλοῦνται*] Theodoretus Histor. 4, 10 et l. 4 contra Haereses *Μεσσαλιανοὺς* Graece *Εὐχίτας* appellari scribit et *ἐνθουσιαστὰς*, quod afflatu daemonis correpti vim illam esse Spiritus sancti mentirentur. Iidem et *Adelphiani* ab Adelphio, quem Flavianus Antiochenus damnavit et *Εὐφημῖται*. Vide Theodoretum et Photium n. 52. Qui in Concilio Side in Pamphylia celebrato condemnatos esse dicit, pluraque ad idem institutum refert. Origo vero appellationis illius ab Hebraica voce deducitur. Nam צלא est orare, preces fundere. Unde מצליין *οἱ εὐχόμενοι*. Ac proinde *Μεσσαλιανὸς* per ε, quae est forma Benoni.

ἦσαν δὲ πρὸ χρόνου τινός] Duplex Massalianorum genus distinguitur. Nam alii erant antiquiores, merique gentiles. Alii ab istis propagati Christianum nomen usurpabant. De superiorum vetustate certo pronunciari non potest. Nam Epiphanii locus iste ambiguitate non vacat, quae in interpunctione consistit. Etenim suspicari possumus ita haec esse continuanda: *ἦσαν δὲ πρὸ χρόνου τινὸς ὡς ἀπὸ τῶν καιρῶν Κωνσταντίου καὶ δεῦρο ἄλλοι πάλιν Εὐφημῖται.* Atque hoc pacto priores, qui et Gentiles, Constantii fere temporibus prodierint, alteri vero, tanquam istorum propagines, paulo ante quam haec
335 Epiphanius commentaretur, emerserant. Verum cum non modo Frobeniana Editio, sed etiam calamo exarati codices, atque ipsa Cornarii interpretatio ante vocem *ἄλλοι* et post *δεῦρο*, interpunctionem adhibeant, existimandum est alteros istos, qui inter Gentiles potius numerandi sunt, quorumque ad similitudinem posteriores expressi sunt, vetustiores extitisse, ac tum demum sub Constantii tempora semichristianos illos exortos fuisse. Theodoretus in Histor. Eccles. Imperatoribus Valentiniano et Valente Messalianos prodiisse scribit: in quo ab Epiphanio non discrepat. Hic enim *ὡς ἀπὸ τῶν καιρῶν Κωνσταντίου, πλατυκῶς· καὶ ἀποῤητικῶς* scribit, quod ad initia Valentiniani potest extendi. Quod si prior illa interpungendi ratio magis arri-

deat, tum ita conciliari ista poterunt, ut Messaliani superiores Constantii, posteriores Valentiniani temporibus ortum habuerint.

Iosephus Scaliger Elenchi c. 28 Massalianos *Essaeos* appellatos esse putat et ab iis Massalianorum propagatam Haeresin. Nam Esseni *ἱκέται* apud Philonem et Eusebium nominantur. At מצליין Iudaice est *ἱκέτης, εὐχίτης, προσευχόμενος*. Coniecturam adstruunt pleraque Massalianorum instituta cum Essenis communia, ut praeter assiduitatem orandi, Proseucharum usus et in eas stati conventus. Tum *ἀντίφωνα* et *ᾠδαί*. Accedit, quod Messaliani, ut et Essaei, suis se bonis abdicabant. Igitur partim Iudaeos fuisse statuit, quod ab Essenis oriundi, partim quod Pseudochristiani se illis admiscuissent, negat fuisse. Nam inter caetera mendici erant, quales veri Iudaei non erant, propter *τὸ φιλάλληλον* eorum, quod divites non patiuntur tenuiores mendicare, aut esurire. Haec Scaliger, quae a Serrario nostro in Minervali merito confutantur. Est enim fallacissima nominis coniectura, caetera vero leviora quam ut nos ab Epiphanii authoritate dimoveant. Sed illud sane ridiculum, quod mendicos negat fuisse Iudaeos, cum in Evangeliis et Actibus Apostolorum exempla mendicorum sint plurima, interque caeteros mendici Lazari, quem verum Iudaeum extitisse inficiari nemo potest. Sed de his copiose Serrarius.

1067 d. *μηδενὶ μηδὲν προσκυνοῦντες*] Forte *μνδενὶ δέ. τινὰς δὲ οἴκους ἑαυτοῖς κατασκευάσαντες*] *φόρος* a recentioribus Graecis forum appellatur, sive ampla et ingens area subdivalis et *ὕπαιθρος*. Cuiusmodi Proseuchas fuisse docet Epiphanius. Erant loca quaedam aperta ac sine tecto, in quae orandi caussa conveniebant. Tritus est Iuvenalis ille versus e Sat. 3: *Ede ubi consistas, in qua te quaero Proseucha.* Ad quem vetus Scholiastes locum esse memorat, ad quem *convevenire solebant mendici ad stipem petendam, alii tabernam, in qua pauperes vivant.* Addit: *et Proseucha locus Iudaeorum ubi erant.* Extat ea vox multis in locis apud Philonem in Flaccum et Caium, Iosephum lib. de vita sua. Romae quidem, ubi frequentes erant Iudaei et vero mendicantes, Proseuchae complures fuerunt. Nam et eadem in Satyra Iuvenalis occupata illorum habitationibus et, ut credibile est, Proseuchis sacra quondam fuisse loca conqueritur.

336 *Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur*
Iudaeis, quorum cophinus foenumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor et eiectis mendicat silva Camoenis.

Mendicitatem ergo Iudaeorum exagitat, utique verorum. Quod ne dubium sit, vel hic Martialis versus argumento esse potest. *A matre doctus nec rogare Iudaeus.* Adeo falsum est non mendicasse Iudaeos. Idem Iuvenalis Sat. 6:

Cum dedit illa locum, cophino foenoque relictis
Arcanam Iudaea tremens immurmurat aurem
Interpres legum Solymarum et magna sacerdos
Arboris.

Quem locum enarrans vetus ille Scholiastes multa suo more nugatur, et nescio quid de hortis garrit, quod a cophino foenoque nimis alienum est. Nec melioris notae est quod adiicit, supellectilem hanc esse, ubi pulmentaria sua et aquam calidam die Sabbati servare consueverant. Est illud quidem verum, Iudaeos Sabbati religione prohibitos ne cibaria coquerent, ea pridie sub vesperam praeparasse, unde Parasceue dicta. Verum aquam ab illis calidam in sequentem diem in foeno potuisse servari, id vero ridiculum est. Quin et illud observavimus, Iudaeos Sabbatis calidis potionibus abstinuisse. Indicat hoc Iustinus Dialogo cum Tryphone, quem ita compellat: *μεθ' ὅτι θερμὸν πίνομεν ἐν τοῖς σάββασι δεινὸν ἡγεῖσθε. Neque quod aquam calidam Sabbatis bibamus succensete.* Irasci vetat Iudaeum, quod per Sabbata calidam potionem adhiberent. Ergo Iudaei aliter instituerant. Verum reclamat Ignatius, qui Epist. 3 ad Magn. contrarium indicat: *ἀλλ' ἕκαστος ἡμῶν σαββατιζέτω πνευματικῶς, μελέτῃ νόμου χαίρων, οὐ σώματος ἀνέσει, δημιουργίαν θεοῦ θαυμάζων, οὐχ ὕλῃ ἐσθίων, καὶ χλιαρὰ πίνων, καὶ μεμετρημένα βαδίζων, καὶ ὀρχήσει καὶ κρότοις νοῦν οὐκ ἔχουσι χαίρων.* Ergo Iudaeorum et Sabbatariorum erat *χλιαρὰ πίνειν*, cum tamen ignem nisi aegrorum caussa non liceret accendere, ut in Tract. de Sabbato Thalmudistae docent et R. Maimon 1 Parte Iad de Sabbato.

1068 a. *ὅτι, φησὶν, ἐδόκει τόπος προσευχῆς εἶναι*] Apud D. Lucam, *ὅπου ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι.* Ubi *προσευχὴν* pro loco ipso plerique accipiunt.

1068 b. *τροπάριά τινα κατασκευάσαντες*] Non aliam vocabulo huic notionem attribuere potuimus quam ut *ἀπὸ τῆς τρόπιος*, quae vox carinam significat, derivaretur. Nisi forte *τοπάρια* pro angustis parvisque locis legendum fuerit.

καταλεγμάτιά τινα] Cornar. *καταληγμάτια*. Est enim *κατάληγμα* carmen, sive canticum aut celeuma. Hieron. in c. 25. Hieremiae com. 30 *celeuma* scribit a Symmacho verti *κατάληγμα*, ab Aquila *ἰασμόν*, nempe a pausa, unde pausarii dicti sunt *οἱ κελευσταὶ*, symphoniaci pueri. Seneca Epist. 56: ***Sed iam me sic ad omnia ista duravi, ut audire vel pausarium possim voce acerbissima remigibus modos dantem.***

1072 c. *καὶ γὰρ ἐξ αὐτῶν*] Imo nonnunquam id Clericis veterum Conciliorum Canonibus praescriptum, ut Carthag. 4, Can. 51: ***Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificio*** 337 ***victum quaerat.*** De Monachis vero multo idipsum magis affirmat Augustinus libro singulari de ea re scripto.

1073 a. *ἀλλὰ καὶ ἄλλῳ τύπῳ*] Meminit in Ancorato.

1073 c. *καὶ περὶ μὲν οὖν τοῦ γενείου*] Locus est l. 1, Constitut. Apost. c. 3. Notus est Concilii Carthag. Canon 44: ***Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.*** Vide quae in Annal. Eccles. ad A. 58 fuse disseruntur.

AD FIDEI EXPOSITIONEM.

1082 a. *ἐπειδὴ γὰρ δι' ἓξ δεκάδων*] De numeri senarii perfectione agit Vitruvius 3, 1. Idem numerus decies multiplicatus in 60 reginarum numero comprehenditur, quod hoc loco vult Epiphanius. Sed nonnihil, ut ad oram adnotatum est, desiderari videtur.

1082 b. *ἔνθεν γὰρ τὸ ἑξαγωνιαῖον*] Boëthius lib. de Arith. cap. 15 de Hexagonis, eorumque generationibus agens, scribit hunc in modum produci, si numeros naturali ordine disposueris:

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Tum intermissis tribus eos coniungas, qui se quaternario transeunt, et erunt quidem eorum radices et fundamenta. Ex quibus iunctis omnes Hexagoni nascuntur.

1. 5. 9. 13. 17. 21.

Et ad eundem ordinem consequentes, atque ab his sexangulorum formae nascuntur.

6. 15. 28. 45. 66.

διὰ τὸ τετραχῆ ἔχειν] Haec ex sequente figura perspicua sunt.

Nam quadrangulus medius inter duas unitates interceptus est.

1086 d. *Ἀναξιμένης ὁ τοῦ Εὐρυστάτου*] Corn. ex Laërtio *Εὐρυστράτου*.

1087 a. *Σωκράτης ὁ τοῦ Ἐλμάγλου*] Barbara vox.

1090 a. *καὶ τὴν ψυχὴν ἐνδελέχειαν*] Ita apud Aristotelem Cicero legerat, non *ἐντελέχειαν*.

1090 c. *ἔλεγε δὲ καὶ μετὰ χωρισμόν*] Mutila ac suspensa est oratio. Forte illud voluit, animas ex opinione Stoicorum corporibus solutas aliquandiu perseverare ac paulatim evanescere.

Κλεάνθης τὸ ἀγαθόν] Itane Stoicae sectae columen veluti Circaeo poculo repente factus est Epicuri de grege porcus? Non opinor. Quare aut falsus est Epiphanius, aut horum verborum iste sensus est: ***Nullam nisi in honestate voluptatem inesse dicebat.*** Eodem modo castigandum quod sequitur, Chrysippum finem *ἐν τῷ ἡδυπαθεῖ* posuisse.

1091 a. *πάλιν ἔλεγε μὴ εἶναι θεούς*] Imo esse Deos
338 quidem minime negabat, sed rerum humanarum securos ac feriatos esse iubebat. Lucretius lib. 1:

> *Omnis enim per se Divum natura necesse est*
> *immortali aevo summa cum pace fruatur*
> *semota ab nostris rebus, seiunctaque longe.*
> *nam privata dolore omni, privata periclis*
> *ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,*
> *nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

1091 b. *ἑβδομήκοντα δύο μὲν ἀηδεῖς φιλοσοφίαι*] Mirum tot apud Indos Philosophorum sectas extitisse, quod nescio an alius prodiderit. Strabo l. 15 de Indorum sectis agit accurate, quas ad duo capita revocat, Brachmanas et Germanas.

Sciendum est autem Epiphanium *αἱρέσεις* sive sectas appellare instituta vivendi ac diversos gentium ritus, cuiusmodi innumerabiles confici potuerunt.

1091 d. *ἢ ὁπόσοι ἐν τοῖς Δαύνιοι*] Quos hic Daunidas intelligat divinandum est. Non enim ad Daunos, opinor, Italiae populum par est referri. Iam Zinchi, sive Zicchi ad Pontum Euxinum in Sarmatia Asiatica collocantur ab Ariano. Geli utrum Geloni sint non liquet. Gelli quidem in Mamertini Panegyr. ad Maximianum populi quidam censentur, ut observat Ortelius.

1092 a. *ὅσα τε ἄλλα, τά τε ἐν Ἐλευσῖνι*] Pauca ex infinitis Eleusiniorum ritibus ac ceremoniis expressit e Clemente in Protrept. quem tu consule, ut et Arnobium, aliosque tam veteres quam recentiores, qui de Cereris Mysteriis diligentissime scripserunt. Et nos in Themistianis Notis haud pauca contulimus. Quae adeo nonnullis persuasimus, ut sine ulla cuiusquam mentione tanquam vulgata et in confesso apud omnes posita, quae sine dubio ex nostris illis hauserant, suis Commentariis illigarint. Quod tantum abest ut moleste feramus, ut gratiam illis etiam ultro debeamus, quod quae primum a nobis comperta timide ac diffidenter proposita illic erant, ea pro veteribus ac receptis habuerint, observationique nostrae pondus et authoritatem adiecerint. Inter ea porro non minimum illud fuit, quod adversus Scaligerum validissime probavimus, Mysteria Cereris non quinquennalia, sed annua fuisse. Cuius rei fidem a nuperis illis Scriptoribus expressam esse non mediocriter gaudemus. Paulo ante quid sint *Μεγαρίζουσαι γυναῖκες* amplius quaerendum. Caelius Rhodig. 15, 9 certaminis cuiusdam Megarensis meminit, sed quod inter pueros, non mulieres, peragebatur, quinam suavius amantem esset osculatus. Cogitent eruditi.

ὅσα τε ἄλλα ἐν Πυθοῖ] Pythia certamina, quemadmodum Olympica, quinquennalia erant, ut Pindari Scholiastes docet. Celebrabantur autem ineunte vere, non praecipitante, ut falso Scaliger lib. 1 de Emendat. Temp. scripsit. Hoc est Elaphebolione mense, qui Martio fere respondet, non Thargelione, quod alio in Opere confirmabitur, ut et illud, commissos eosdem esse ludos anno secundo Tetraëteridis Olympicae, non, ut Scaliger putat, anno tertio.

339 1092 b. *καὶ ὅσοι τὸν φαλλὸν ἀναστρέφοντες*] Quod ab Aegyptiis manavit et Osiridis sacris. Diodorus l. 1. Sed pro *φαλαρίζουσαι* forte *φαλλίζουσαι* reponendum. Vide sis Euseb. l. 2 de Praepar. qui cum de plerisque, quae hoc loco commemorantur, superstitiosis veterum ritibus agit uberrime, tum quas plerique latere sub illis allegorias asseverabant, erudite refellit. Quae dum forte percurro, locus quidam incidit coniectura, ut opinor, nostra luci ac verae sententiae restitutus. Is est p. 53, ubi ita loquitur: *ὡς ἄρα καὶ ἡ θαυμαστὴ καὶ ἀπόρρητος φυσιολογία τῆς Ἑλληνικῆς θεολογίας θεῖον μὲν οὐδὲν, οὐδέ τι μέγα, καὶ θεοπρεπὲς, καὶ τῆς ἀναστάσεως ἄξιον ἐπήγετο.* Scribo *καὶ τῆς ἀνατάσεως ἄξιον*, hoc est promissione dignum, translatione a praeconibus ducta, aut iis omnibus, qui verba facturi elata manu silentium indicunt. Sic mythologi isti multa et praeclara minantes ineptissimi sunt, neque quicquam tanto dignum hiatu promissores isti ferunt.

καὶ τὴν κρεωνομίαν μυοῦντες] In sacris et initiis Cereris multa certis ritibus adumbrari solebant, quae ad Bacchum pertinebant. Cuiusmodi erat illius laniatio. De qua Clemens Alex. agit in Protrept.

εὐάζοντες τὸ οὐὰ οὐά] Acclamationes istae in laetitia et hilaritate frequenter usurpatae. Unde Ovatio deducta. Xiphilinus in Nerone scribit Romae Olympionicae Neroni acclamatum esse: *Ὀλυμπιονίκα οὐὰ, Πυθιονίκα οὐά.*

Εὖα γὰρ κατὰ τὴν ψιλήν] Mihi nulla vox occurrit eiusmodi, quae mulierem Hebraice significet. At חיה idem est ac serpens, quod vocabulum per densissimam aspirationem effertur, nimirum ח, ut et Euae nomen חוה. Verum LXX *Εὔα* tenui spiritu reddiderunt. Quo nisi fallor respexit Epiphanius. Unde et *κατὰ τὴν ψιλὴν ἀπόδοσιν*, id est, *tenui spiritu redditum* dixit, nempe ad LXX. Seniorum *ἀπόδοσιν* et translationem alludens. Egregius est autem hic Epiphanii locus ad earum vocum explicandam originem, quae in Bacchi sacris usurpabantur: Euan, Euoe, Euhye etc. Quarum interpretationes sane ridiculas Critici ac Mythologi solent afferre. Vera autem haec est ratio, quam hic noster innuit, a serpentibus, qui illis in sacris colebantur, ea derivata vocabula. Quod quidem ex Eusebio transtulit, qui de Praepar. l. 2 p. 39: *αὐτίκα γοῦν,*

inquit) *κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν Ἑβραίων φωνὴν τὸ ὄνομα τὸ Εὖα δασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις θήλεια.*

1092 d. *καὶ τῶν καταλιζόντων*] Cornarius *πατταλιζόντων* in codice suo legisse videtur. Vertit enim *perticas gestantium*, quomodo in Regio invenimus. Sed quinam sunt *οἱ πατταλίζοντες*? An idem ac *φαλλοφόροι*?

1094 a. *παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις προφῆται*] De triplici Sacerdotum apud Aegyptios genere, vide quae ad Synesium in Encomio Calvitii et libris de Provid. olim observavimus.

ἱεροφάνται τε καὶ νεωκόρων] Distinguenda hoc modo ista sunt, *ἱεροφάνται τε καὶ νεωκόροι· κυνικῶν τε πλῆθος* etc.

1094 b. *ἄλλοι τε πάλιν ἐν τῇ Ἑλλάδι*] Non magis inter Haereses ac sectas referri merentur Abii ac Mysi quam omnes orbis totius populi, quorum vel absoni, vel a caeteris discrepantes sunt ritus institutaque vivendi.

1095 a. *ἕτεροι δὲ δοκοῦντες νεανιεύεσθαι*] De Haereticis cum Ecclesia reconciliandis varie a Conciliis ac Patribus pronunciatum accepimus. Nam qui Baptismi formam, quam ab 340
Ecclesia Catholica traditam acceperant, integram retinerent, horum baptismus pro vero ab Ecclesia receptus est, neque qui ab illorum grege ad communionem Catholicae fidei reverterentur denuo baptizati sunt. Caeteri, qui usitatam ab Ecclesia formam corruperant, pro Ethnicis habiti sunt, nec sine baptismo, qui ex illorum partibus transfugerant, inter Catholicos admissi. Ita Paulianistas, hoc est Pauli Samosateni *στασιώτας* rebaptizari Nicaena Synodus iussit, Can. 19, quod et Augustinus Haer. 44 decretum ideo refert, *quod regulam baptismatis non tenerent*. At Catharos, id est Novatianos, eadem Synodus rebaptizari non iussit, Can. 8, sed illorum Clericos *χειροθετουμένους* in Clero manere. Constantinopolitanum vero primum et Oecumenicum secundum Can. 7 Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartadecimanos, sive Tetraditas et Apollinaristas rebaptizari vetat: Eunomianos iubet, *τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους*. Iubet et Montanistas, sive Cataphrygas et Sabellianos, caeterosque omnes Haereticos. De Cataphrygibus consentit et Laodicena Synodus Can. 8. De Arianis vero Concilium Arelat. 1 ita sanxit, ut *ex iis, qui propria lege sua utun-*

tur, denuo baptizentur, quod si in Patre et Filio et Spiritu sancto baptizati fuerint, manus tantum eis imponantur, ut accipiant Spiritum sanctum. At August. l. 3 de Bapt. contra Donatistas c. 15: *Quamobrem si Evangelicis*, inquit, *verbis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, non solum Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiae, de quibus dicebat Apostolus: non potui loqui vobis, quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis quot homines numerarentur.* Postremo Basilius in Epistola ad Amphilochium Can. 47 Encratitas, Saccophoros et Apotactitas denuo baptizandos esse censet ipse quidem. Sin est, ut Amphilochius, perinde ac Romani, *οἰκονομίας τινὸς ἕνεκα, τὸ τοῦ ἀναβαπτισμοῦ* respuat, nihilominus rationem suam valere pronunciat. Qua de re Synodi decretum expectandum. Idem autem Can. 1 eo propendere videtur, ut Haereticos omnes iterato baptizandos esse decernat. Nam aliud esse dicit Haeresin, aliud Schisma, aliud *παρασυναγωγήν*. Haeresis est quae contrarium aliquem fidei tuetur errorem. Schisma vero dissidium est ob Ecclesiasticas quasdam controversias exortum. At *παρασυναγωγὴ*, cum contumaces Presbyteri, aut Episcopi, aut etiam Laici non legitimos conventus habent, Iam qui ex Schismate aut *παρασυναγωγῇ* ad Ecclesiam revertuntur, ex maiorum traditione sine baptismo recipiendos esse definit, Haereticos autem denuo baptizandos. Quanquam, inquit, Cyprianus et Firmilianus omnes tam Haereticos quam Schismaticos rebaptizandos esse censuerant, quod, cum se ab Ecclesiae communione seiunxerint, interrupta sit in illis Spiritus sancti gratia, nec eam in caeteros amplius possint transfundere: *διὸ ὡς παρὰ Λαϊκῶν βαπτιζομένους τοὺς παρ' αὐτῶν ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀνα-*
341 *καθαίρεσθαι. Propterea sic illos tanquam a Laicis baptizatos, denuo iusserunt, cum ad Ecclesiam redirent vero Ecclesiae*

baptismo repurgari. Mox subiicit: *ἐπειδὴ δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν. Quoniam autem Asianis quibusdam placuit, pacis ac concordiae gratia id remitti oportere, ut eorum Baptisma reciperetur, esto receptum.* Sed Encratitas rebaptizandos esse nominatim statuit: *ἐὰν μέν τοι μέλλῃ τῇ καθόλου οἰκονομίᾳ ἐμπόδιον ἔσεσθαι τοῦτο, πάλιν τῷ ἔθει χρηστέον καὶ τοῖς οἰκονομήσασι τὰ καθ' ἡμᾶς πατράσιν ἀκολουθητέον. Sin est ut iteratus ille baptismus paci Ecclesiae administrationique obsit, altera illa consuetudo omittendi Baptismi retineatur.* Haec uberius ex decreto illo Basilii commemorare visum est, quod multa in eo mirifica et, si verum quaerimus, parum Catholica continentur. Nam quod rebaptizandos, si sine scandalo fieri possit, Haereticos omnes affirmare videtur, quodque sine Baptismo plerosque recipiendos ob eam unam caussam existimat, quia idipsum *οἰκονομίας ἕνεκα* fieri placuit, parum cum Ecclesiastico dogmate convenit. Quod quidem Haereticorum baptismum ex Catholico ritu ac praescripto susceptum approbat, nec iterari ullo modo patitur. Quod si aliter quam ut in Ecclesia receptum est, hoc est ex legitima formula, Baptismus non modo ab Haereticis, sed vel ipsis Catholicis tribuatur, nulla pacis concordiaeque specie potest adduci ut citra novum Baptismum quempiam admittat. Quare de Encratitis parum consentanee sentit Basilius, ut et Cyprianus olim, qui, ut Augustinus adversus Donatistas saepius inculcat, praesertim libro 2 et 3 de Baptismo, tametsi nullum esse Baptismum Haereticorum censeret, tamen qui rebaptizari nollent, ab Ecclesiae communione nequaquam ideo repellendos censebat. Atqui sine vero Baptismo Christianus esse nemo potest. Ut autem qui Christianus non sit, pacis ac concordiae gratia inter Christianos habeatur, eique ad divina mysteria permittatur aditus, quod in Encratitis aliisque, quos alioqui rebaptizandos esse statuerat, sed ut non fieret pacis caussa remiserat, praestandum esse eodem in Canone decernit. Hoc, inquam, ab Ecclesiae usu ac moribus et a Nicaeni Concilii aliorumque Veterum sanctionibus abhorret. Quinetiam baptismum a Laicis collatum irritum ac nullum esse Basilius idem arbitratus videtur, cum ex Cypriani, Firmiliani aliorumque sententia

baptizatos ab Haereticis perinde ἀληθινῷ baptismo expiandos esse dicit ac si ab Laicis id obtinuissent. Quasi Laicorum baptismus ἀληθινὸς non esset. Quod secus se habet, ut inter caeteros August. l. 2 contra Epist. Parm. c. 13 declarat. Tametsi eodem illo loco dubitat utrum ab eo, qui nunquam Christianus fuerit, baptismus possit conferri: *Et haec quidem alia quaestio est*, inquit, *utrum et ab iis, qui nunquam fuerint Christiani, possit Baptismus dari. Nec aliquid inde temere affirmandum est, sine authoritate tanti Concilii, quantum tantae rei sufficit.* Sed mirum est quod in Eliberit. Concilio Can. 38 sancitur: *Ut peregre navigantes ingruente necessitate a quocumque fideli, qui non sit bigamus, baptizari possint.* Ergone a bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?

1100 a. καὶ συνηυλίσθη μετ' αὐτῶν] Act. 1, 4: καὶ συναλιζόμενος παρήγγειλεν αὐτοῖς etc. Pro quo legisse videtur Epiphanius, καὶ συναυλιζόμενος. Nam in Anacephalaeosi
342 p. 137 idem vocabulum usurpat: καὶ συνεσθίων, inquit, καὶ συναυλιζόμενος οὐ δοκήσει, ἀλλ' ἀληθείᾳ. Quanquam lib. 1, Panarii p. 50, unde locum illum in Anacephalaeosin transtulit, communem lectionem expressit: καὶ συναλίζεται οὐ δοκήσει, ἀλλ' ἀληθείᾳ. Verbum συναυλίζεσθαι eandem fere potestatem habet quam τῷ συναλίζεσθαι quidam attribuunt, nimirum *convenire cum aliquo, congregari.* Atque ita nonnullos legere Beda testatur. At Interpres noster συναλιζόμενος vertit *convescens.* Quo sensu Chrysostomus accepit, et Theophylactus, ut idem sit ac τῶν ἁλῶν καὶ τραπέζης μετέχειν. Sed et Hieronymus Epist. 150 ad Hedibiam, Quaest. 7 *convescens* legit.

1103 b. περὶ θεσμῶν δὲ τῆς αὐτῆς] Egregia deinceps ac singularis disputatio sequitur de praecipuis Ecclesiae ritibus, quem velut characterem ac notam adhibet, quo ab adulterinis conventiculis Catholica Ecclesia dignoscitur. Quibus nos argumentis ac signis perinde hoc tempore veram ac Romanam Ecclesiam a faece novissimarum Haereseon secernimus. Nam plerique omnes illi veteris Ecclesiae mores in Romanae usu ac consuetudine resederunt. Quocirca pauca illa, quae supersunt, capita magno Catholicis omnibus usui esse possunt, ut adversus novorum hominum insaniam atque inscitiam opponantur. Ac si de singulis illis ritibus paulo accuratius verba facere vel-

lem, ingentibus Commentariis opus esset. Ne nihil vero dicam, praecipua quaedam ex iis libare placuit, quae in Adversariis nostris, proinde ut authorem quemque in manus ceperam, promiscue adnotata reperi.

De veteribus quibusdam Ecclesiae ritibus.

1103 c. *καὶ πρῶτον μὲν κρηπίς*] Primum Ecclesiae veteris institutum, quod hodieque in Romana retinetur, in graduum ordinumque discrimine positum est. Nam princeps omnium ac praestantissimus est Virginum ordo, qui in utroque sexu cernitur, quocum Monasticum vitae genus coniungitur. Proximus huic Continentiae gradus est. Tum Viduitas, ac postremo loco Coniugium.

De Virginibus, praesertim foeminis, nota res est, quam antiquus in Ecclesia, quamque copiosus ille ordo fuerit. Iustinus Apolog. 2: *καὶ πολλοί τινες καὶ πολλαὶ ἑξηκοντοῦται καὶ ἑβδομηκοντοῦται, οἳ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ, ἄφθοροι διαμένουσι.* Hinc Faustus ille Manichaeus apud Augustinum l. 30 cum Catholicos reprehenderet, quod matri- 343
monium damnaret, vicissim infinitum apud illos Virginum numerum opponebat: *Ut pene iam maior*, inquit, *in Ecclesiis omnibus virginum apud vos quam mulierum numerositas habeatur.* Cui plane, ut nos Haereticis hodiernis solemus, respondet Augustinus, ita Virginitatem in Ecclesia commendari, uti nuptiae nequaquam improbentur. Ammianus Marcellinus author ethnicus in calce lib. 18 de Sapore: *Inventas tamen alias virgines Christiano ritu cultui divino sacratas, custodiri intactas et religioni servire solito more, nullo vetante, praecipit.* Pleni sunt Tertulliani, Cypriani, omnium denique vetustissimorum Patrum libri, ut Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, aliosque praeteream, sacrarum mentione Virginum, quas Deo consecratas, et voto etiam obstrictas, Dei atque Ecclesiae se obsequiis addixisse testantur. In Ancyrano Concilio Can. 19: *ὅσοι παρθενίαν ἐπαγγελλόμενοι ἀθετοῦσι τὴν ἐπαγγελίαν, τὸν τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληροῦτωσαν.* Chalcedonense vero Can. 16: *παρθένον ἑαυτὴν ἀναθεῖσαν τῷ δεσπότῃ θεῷ, ὡσαύτως δὲ καὶ μονάζοντα καὶ μὴ ἐξεῖναι γάμῳ προσομιλεῖν·*

εἰ δέ γε εὑρεθεῖεν τοῦτο ποιοῦντες, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι. Epiphanius noster in Angelicis Haer. 60, 7 docet Virgines, a quibus virginitatis sponsio, quam ὁμολογίαν nominat, violata sit, consultius facere, si se legitimis nuptiis illigent, ut post diuturnam poenitentiam Ecclesiae communionem impetrent. Nondum scilicet ea sponsio tantae religionis erat, ut irritum matrimonium faceret. Vide Cyprianum Epist. ad Pomponium, cuius initium est, "legimus literas tuas". Sic Valentinum Concilium sub Damaso Can. 2: *Virgines, quae se Deo voverunt, si ad terrenas nuptias transierint, poenitentiam agere* iubet. Eae porro ab Episcopo consecrabantur. Quod ne Sacerdotes usurparent, saepius interdictum, ut Carthag. 2 et 3, Basilius ad Amphil. Can. 18 illarum ὁμολογίαν excipi iubet anno aetatis 16 vel 17. Severius Agathense Concil. Can. 19: *Sanctimoniales, quantumlibet vita earum et mores probati sint, ante annum aetatis suae* 40 *non velentur.*

1103 d. εἰ δέ τις τελευτησάσης] In Haeresi 59, 4 tolerari nihilominus illos in Ecclesia dixerat, qui post divortium alias uxores sibi copularent. De quo ad illum locum nonnulla scripsimus. Hic autem, cum legitimos scilicet et receptos ab Ecclesia ordines et gradus percenseret, diligenter cautionem illam apposuit, nonnisi post prioris coniugis mortem secundas nuptias approbari, etsi, uti diximus, alterius generis utcunque tolerentur. Quanquam adversus digamos, qui priore mortua, alteram uxorem ducerent, severior apud antiquos disciplina fuit. Nam Conc. Laod. Can. 1 ita sanxit: περὶ τοῦ, δεῖν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα, τοὺς ἐλευθέρως καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις, μὴ λαθρογαμίαν ποιήσαντας ὀλίγου χρόνου παρελθόντος, καὶ σχολασάντων ταῖς προσευχαῖς, καὶ νηστείαις κατὰ συγγνώμην ἀποδίδοσθαι αὐτοῖς τὴν κοινωνίαν ὡρίσαμεν. *Ut secundum Ecclesiae Canonem qui libere ac legitime secundis nuptiis illigati sint, neque clandestinum matrimonium inierint, exiguo tempore interlapso, postquam precibus et ieiuniis vacaverint, communio illis indulgeatur.* Neocaesariense vero Can. 7: Πρεσβύτερον εἰς γάμους διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι· ἐπεὶ μετάνοιαν αἰτοῦντος τοῦ διγάμου, τίς ἔσται ὁ πρεσβύτερος, ὁ διὰ τῆς ἑστιάσεως συγκατατιθέμενος τοῖς γάμοις; Vetat Presbyterum digamorum

nuptiis interesse, ne praesentia sua illis suffragari videatur. Ad haec Ancyrana Synodus Can. 19 iubet, ut qui virginitatem, quam Deo spoponderant, violarint, eadem, qua Digami, poena coër-
344 ceantur. Apparet igitur digamos olim ignominia notatos et ad publicam poenitentiam, sed eam perbrevem ac tolerabiliorem, adstrictos fuisse. Iam supra vidimus quam severa Concilii Eliberitani sanctio fuerit, cum in praesenti naufragii mortisque periculo a quocumque baptizari permittit, digamis duntaxat exceptis. Sed nihilominus in Ecclesiam recepti sunt digami et qui cum iis communicare nollent pro Haereticis habiti. Hinc Nicaenum Can. 8 cum Novatianis Haereticis professionis formulam praescribit, secundum quam receptus illis ad Ecclesiam pateat, *πρὸ πάντων δὲ τοῦτο*, inquit, *ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δόγμασι, τουτέστι καὶ διγάμοις κοινωνεῖν καὶ τοῖς ἐν τῷ διωγμῷ παραπεπτωκόσιν. Ante omnia scripto profiteri illos oportet, consensuros se atque amplexuros Catholicae et Apostolicae Ecclesiae dogmata: nimirum ut cum digamis communicent, iisque, qui in persecutione lapsi sunt.* Sed quinam digami illi fuerint quaeritur. Nam Iurisconsultus quidam, qui in Canonum Ecclesiae codicem Notas edidit, vulgo fere ignotum esse dicit. Ipse autem tres digamiae species explicat. Prima est, cum eodem tempore binas uxores quispiam habet, quod olim Iudaeis licitum, Romanis legibus prohibitum fuit. Altera est cum quis morte prioris coniugis soluto matrimonio, secundas nuptias contrahit. Tertia, quam vulgo ignotam esse statuit, est, cum extra caussam adulterii, repudiata coniuge, altera superinducitur. Cum enim variae divortii caussae citra adulterium saeculi legibus olim receptae fuerint, nunquam Ecclesia illas admisit. Quocirca qui aliis de caussis quam propter adulterium, uxore dimissa, cum alia coniugium sociaret, hic, ait Iurisconsultus ille, digamus censebatur, eique Canonica illa mulcta, cuius Neocaesar. et Laodic. meminerunt, irrogabatur. Ex qua oratione sequitur, digamos illos, qui mortua coniuge alteri se copularent, mulctae huius expertes fuisse. Sed haec digamiae genera tria neque ignota vulgo erant, neque ad rem pertinent. Constatque ad postremos illos digamos tres illos totidem Conciliorum citatos Canones perti-

nere. Nam Laodicenum digamos eos, de quibus loquitur, appellat ἐλευθέρως καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις, *legitime ac libere secundis nuptiis illigatos*, hoc est, qui licentia et facultate sibi a Christo et Ecclesia concessa usi forent, quique id legitime fecissent. In quo ridicula est Iurisconsulti expositio, νομίμως idem esse ac *secundum legis humanae licentiam*. Neque enim Ecclesiasticus ille Patrum concessus νομίμως iniri nuptias illas ediceret, quas nullo modo licitas, neque ratas esse cognosceret. Etenim qui citra adulterium, alias ob caussas, propter quas divortium facere Imperatoris legibus fas est, uxorem dimiserit, aliamque duxerit, in eadem cum adulteris caussa Ecclesiae iudicio decretoque versatur, neque aut levi poenitentia defungi poterat, aut aliter quam dissoluto posteriore illicitoque contubernio, illam ipsam impetrare poenitentiam. Quemadmodum devotae, hoc est, quae se Deo consecraverant, virgines, aut viduae, *si maritum accepissent, non admittebantur ad poenitentiam, nisi adhuc ipso vivente marito caste vivere coepissent, aut postquam ipse decessisset*, ait Toletanum 1, Can. 16 et 19. Atqui Digamos istos Laodicenum Concilium brevi tempore poenitentiam obire statuit, Nicaenum vero Novatianis, ut cum illis nominatim communica-
345 turos se esse profiteantur, edicit. Quod profecto non faceret, si digamorum nomine flagitiosos illos ac iudicio Ecclesiae adulterii damnatos intellexisset. Praeterea, ut quam absurda sit IC. sententia evidentius appareat, si in illo Nicaeni Concilii Canone digami sunt, qui contra Ecclesiasticas sanctiones, hoc est, ut ipse cum Calvinianis existimat, citra caussam adulterii, ob eas caussas, de quibus divortium saeculi leges indulgent, repudiata priore, alteram sibi coniugem asciscunt, non alia puto conditione Novatianos ad iungendam cum illis communionem coëgit quam ut dissoluto posteriore illo coniugio foedissimam illam maculam poenitentia diluerent. Atqui non magis ut cum hoc peccatorum genere, post poenitentiam, quam ut cum caeteris communicarent omnibus, lex ista, cautioque ferri Novatianis debuit, Non enim eiusmodi solum digamos, sed quoscumque delicti gravioris reos ab omni spe communionis excluserant. Cur igitur de digamis illis, utique nonnisi poenitentiam et illiciti coniugii diremptionem admittendis, diserte nominatimque Nicaena

Synodus exceptum voluit? Quid, inquam, in illo criminis adulterii*que* genere inesse potest mysterii, ut cum iis, qui negandam peccatis omnibus atrocioribus poenitentiam communionemque censuerant, Nicaeni Patres de uno illo stipulentur? Nam quod unum afferre potest, saeculi legibus adulterii genus illud fuisse concessum, ideo momentum habet nullum, quoniam, ut ipsemet asserit, nunquam id Ecclesiae persuaderi potuit, ut divortii caussas illas approbaret, aut aliter de digamis istis quam de adulteris statueret. Quare eadem horum, quae et adulterorum caeterorum, et, quod ad Novatianorum negotium spectat, quam peccatorum omnium ratio haberi a Patribus debuit. Itaque dubium nullum est, quin adversus digamorum genus tertium a veteribus Conciliis severitatis aculei illi districti fuerint. Nec aliter Balsamo ac Zonaras aliique Interpretes Canones illos explicant.

στεφάνη δὲ τούτων πάντων, ὡς εἰπεῖν] De Clericorum continentia ac coelibe vita illustris hic Epiphanii locus est. Sed in Catharorum Haeresi 59, 4 longe apertius atque insignius Ecclesiasticam hac in re consuetudinem exposuit. Docet enim imprimis Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum ex digamis ordinari neminem. Tum neque hos, neque Subdiaconum aliter consecrari quam vel priore, eaque unica, coniuge mortua, vel ab eiusdem viventis consortio ac consuetudine distractos, nisi virgines omnino sint: praesertim ubi Ecclesiastici Canones accurate servantur. Nam quod in quibusdam locis Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi liberos adhuc suscipiant, id abusione quadam ac disciplinae corruptela fieri, aut vero necessitate, ubi pro ingenti populorum multitudine ministrorum copia non suppetit. Nam alioqui Ecclesiae decreto Clericorum ordinibus istis continentia praescribitur. Qua Epiphanii authoritate nulla aut expressior, aut sanctior haberi potest. Huic par est ac geminum Hieronymi testimonium illud adversus Vigilantium, qui, ut hoc tempore nostrates Haeretici, Clericorum castimoniam oppugnabat. *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiae? Quid Aegypti et sedis Apostolicae, quae aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes et, si uxores habuerint, mariti esse desierunt?* Atque hoc quidem vel recentiores Graeculi fatentur, post susceptos sacros illos ordines uxorem nemini ducere licuisse. 346

Quod ad Can. Apost. 26 Balsamo et Zonaras agnoscunt. Canonis verba sunt: *τῶν εἰς κλῆρον προελθόντων ἀγάμων κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνους.* Ad quae Balsamo istud observat, ante ordinationem Presbyteros, Diaconos et Hypodiaconos copulare nuptias, atque ita ordinari potuisse: post ordinationem solis hoc Lectoribus et Cantoribus indultum. Addit Zonaras, ante ordinationem interrogari Presbyteros, Diaconos et Hypodiaconos, an continenter et caste vellent vivere. Quod si negaverint, permitti ut ante consecrationem uxores ducant. Sane in Ancyrano Can. 10 de Diaconis ita sancitum legitur, ut qui ipso ordinationis suae tempore contestati sint, se nuptiis carere non posse, ideoque post ordinationem uxores duxerint, de statu suo non dimoveantur, quod ab Episcopo id illis concessum fuerit: *τοῦτο δὲ εἴ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς Διακονίας. Hoc vero,* inquit, *si qui forte tacuerint et in ordinatione permanere in ipso* (continentiae scilicet) *statu consenserint, cum deinde nuptias inierint, a Diaconatu repellantur.* Quo ex Canone illud evinci potest, Clericorum malorum, ad Diaconos saltem usque, consecrationem implicitum, ut aiunt, votum iam tum habuisse continentiae. Nam cum eam conditionem apponit, *εἴ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως*, procul dubio significat, cum ordinatione ipsa implicatam esse tacitam castimoniae legem, quae nonnisi concepta nominatim contestatione devitari posset. Cuiusmodi et in Episcopatu suscipiendo fuisse ex Synesii causatione liquet, qui Epist. 105 cum a Ptolemaensibus in Episcopum posceretur, praedicere se ac testari istud asseverat, nolle a coniuge separari. Sed de Episcopis ridicule a Graecis hodiernis excipitur, quibus solis nuptiis interdicunt. Nec minus inepte 2. Concilii Carthag. Canon ille 3 accipitur: *Placuit Episcopos et Presbyteros et Diaconos, secundum propria* (al. priora) *statuta etiam ab uxoribus continere etc.* In quo Canone iampridem eruditi viri Graecorum atque Haereticorum inscitiam refutarunt, et Balsamonis imprimis, qui ad Can. 4 Synodi Carthag. quae secunda vulgo censetur, nugas meras effutiit. Atqui Canonum 3 et 4 Carthag. illius Synodi, qui ab Episcopis, Presbyteris et

Diaconis continentiam exigunt, tam liquida expressaque authoritas est, ut ludificationem ac fucum omnem respuat. *Placet*, inquit Carthag. 2 Canon 2, *ut Episcopi, Presbyteri et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: placet ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt.* Accedit et Chalced. Canon 14: ἐπειδὴ ἔν τισιν ἐπαρχίαις συγκεχώρηται τοῖς ἀναγνώσταις καὶ ψάλταις γαμεῖν, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος μὴ ἐξεῖναί τινι αὐτῶν ἑτερόδοξον γυναῖκα λαμβάνειν. *Cum in quibusdam provinciis concessum sit Lectoribus et Cantoribus uxores ducere.* Non igitur caeteris licebat Ordinibus, maxime Subdiaconis, ac ne Lectoribus quidem et Cantoribus ubique, sed in certis duntaxat provinciis. Quanquam de Subdiaconis, non ex Canonis ullius decreto, ut ait Epiphanius, sed ex quadam indulgentia et οἰκονομίᾳ, remissum aliquando videtur. Nam et Carthaginiensium Conciliorum Canones, quibus diserte continentia praecipitur, Episcopos duntaxat et Presbyteros ac Diaconos complexi sunt. Quemadmodum et Arelatense 2, Can. 3: *Si quis de Clericis a gradu* 347 *Diaconatus in solatio suo mulierem praeter aviam, matrem, sororem, filiam neptem, vel conversam secum uxorem habere praesumpserit, a communione alienus habeatur.* Nam conversam appellat quae sponte se a viri consuetudine segregarit: uti Canone praecedenti, *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in vinculo coniugii constitutum, nisi promissa fuerit conversio, non oportet.* At Concil. Tolet. 1, Can. 4 decrevit: *Ut Subdiaconus uxorem alteram ducens inter Ostiarios, vel Lectores habeatur. Quod si tertiam duxerit, quod nec dicendum est, abstentus biennio postea inter Laicos reconciliatus post poenitentiam communicet.* Ad haec Siricius Papa in Epistola, quae in Telensi Concilio lecta est, Can. 9; Innocentius Epist. 2 c. 9 et Epist. 3 c. 1. Presbyteros duntaxat et Diaconos coire cum uxoribus prohibent. Quorum decreta confirmat Agathense Conc. Can. 9. Quod ipsum tamen Can. 39. Subdiaconos etiam comprehendit: *Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent consortia.* De tribus Ordinibus accedit et Concil. Eliberit. Can. 33, et Carthag. 2 c. 2 Apostoli-

cam hanc institutionem esse significat: *Ut quod Apostoli docuerunt*, inquit, *et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Haec nos ex infinitis pauca, quae in Adversariis extabant, de Clericorum caelibatu selegimus. Caetera in Annalibus Eccles. ad annum 58 tum ab aliis, qui adversus Haereses scripserunt, ad idem argumentum disputata reperies.

1104 a. *δευτερόγαμον δὲ οὐκ ἔξεστι δέχεσθαι*] Digamus non solum ab Episcopali munere, sed etiam a sacris omnibus Ordinibus exclusos fuisse perpetuo, qui probare velit, is otio et charta intemperanter abutatur. De Episcopis locus est Apostoli 1 Tim. 3: *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, quod idem et ad Titum cap. 1, 7 repetit. Quibus in locis Beza et Haeretici omnes, praesertim Molinaeus in fidei Scuto, nec non et luris consultus ille supra refutatus a nobis, de digamis illis Apostolum interpretantur, qui citra legitimam caussam, hoc est praeter adulterii culpam, repudiata coniuge alteram duxissent. Verum tametsi hoc ipsum digamorum genus eodem Apostoli decreto comprehenditur, absurdissimum tamen est non
71 eos quoque contineri credere, qui, uxore mortua, aliam sibi et quidem legitimam, coniugem adsciverint. De quo luculentissimum hoc in loco testimonium habes Epiphanii, nec non et in Catharorum Haer. 59, 4. Ubi diserte negat sacros ad Ordines illum recipi, qui priore coniuge mortua alteram duxerit. Quod adeo verum est, ut ne Ariani quidem contra communem illam, receptamque consuetudinem venire ausi fuerint. Nam in Ebionitarum Haeresi 30, 5 Iosephus Comes, cum Ariani, ut ad partes suas illum traherent, Episcopatum ei pollicerentur, ne invitus ab illis ordinaretur, priore coniuge defuncta, secundas nuptias iniit. Quaesitum olim fuit, utrum qui ante Baptismum coniugem habuisset, digamus eiusmodi censeretur, qui ab Ecclesiasticis Ordinibus arceretur. Qua de re parum probabilis Hieronymi sententia extat in Epist. ad Oceanum, quae est 83. Cui contraria est Augustini lib. de bono Coniugii, c. 18 aliorumque Patrum opinio, cui Ecclesiastica traditio ac consuetudo
348 suffragatur. Qua de re Valentini Concilii, quod sub Damaso celebratum est, Canon primus ita statuit: *Uti Digami ne ordinentur Clerici, etiamsi gentiles adhuc hac se infelicis sortis necessitate maculaverint.* Vide Innoc. 1. Ep. 2. c. 6. Quin

et Zosimus Papa Epist. 1 non modo Episcopum, aut Diaconum ac Subdiaconum, sed ne Lectorem quidem, aut Exorcistam fieri patitur eum, qui viduae sit maritus. Redeo ad Apostoli locum illum 1 ad Tim. 3. Quem, uti dixi, non negandum est ad illos pertinere quoque Digamos, qui repudiata utcunque coniuge novas nuptias copularint, quo sensu Chrysostomus interpretatus est. Qui et ipse tamen alterius Digamorum generis et quidem eorum, qui post priorum obitum alias duxissent, meminit: *τινὲς δὲ*, inquit, *ἵνα ἐκ μιᾶς γυναικὸς ᾖ, φασὶ τοῦτο εἰρῆσθαι. Quidam ideo dictum hoc ab Apostolo censent, ut ab una uxore sit* (mortua scilicet). Clarius in Comment. ad Titum Hom. 2, ubi caussam hanc Apostolicae sanctionis affert: *ὁ γὰρ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν μηδεμίαν φυλάξας εὔνοιαν, πῶς ἂν οὗτος γένοιτο προστάτης καλός; Qui defunctae uxori benevolentiam nullam servasse deprehenditur, quonam pacto hic Ecclesiae praeclare praeesse poterit? ἀπελθοῦσαν* appellat mortuam, non eam, quae *repudiata discessit*, ut imperite Iurisconsultus vertit. Nam et apud Theophylactum eadem Chrysostomi verba ita reddunter: *Qui enim nullam servavit benevolentiam erga eam, quae obiit etc.* Quare posterius illud ac legitimum Digamorum genus ab Apostolico illo decreto nunquam Chrysostomus exclusit. Unus Theodoretus, quod valde miror, solos digamos, qui plures simul uxores haberent, ab Apostolo repudiatos sentire videtur. In quo audiendus non est, multoque minus Haeretici, uti Beza caeterique, qui in Apostolicis verbis praeceptum contineri putant, quod nullum ad Episcopatum, nisi uxore ducta, promoveri permittat. Quod iamdudum Theophylactus refellit.

1104 b. *εἰ δὲ εἶεν ἱκανοί*] Quemadmodum e Monachis eligendi sint Clerici, docet Augustinus Epist. 76.

καὶ Διακόνισσαι δὲ καθίστανται] Diaconissarum usum et institutum uberius in Collyridianorum Haeresi declarat quae est 79, 3 et 4. Ubi ad mulierum, quae baptizantur, obsequia, aliasque id genus functiones deligi idque e viduarum potissimum ordine, scribit. Unde et *Viduae* et *Presbytides* appellantur. Hoc vero loco non solum viduas, sed etiam perpetuas capi virgines significat. Zonaras et Balsamo Comment. ad Can. 19. Nicaenae Synodi virgines praecipue delectas esse docent: *Παρθένοι* (inquit Zonaras) *τὸ παλαιὸν προσήγοντο τῷ θεῷ*

ἀγνεύειν ὁμολογοῦσαι, ἃς οἱ Ἐπίσκοποι καθιέρουν κατὰ τὸν ς' κανόνα τῆς ἐν Καρθαγένῃ συνόδου καὶ τῆς τούτων ἐφρόντιζον φυλακῆς κατὰ τὸν μδ' κανόνα τῆς αὐτῆς συνόδου· ἐξ ὧν δὴ παρθένων καὶ Διακόνισσαι ἐχειροτονοῦντο κατὰ τὸν καιρὸν τὸν προσήκοντα, ἤγουν ὅτε ἐτῶν ἐγένοντο μ'· αἱ δὲ τοιαῦται καί τι σχῆμα ἐνεδύοντο παρὰ τῶν Ἐπισκόπων ἐν τῷ κέ ἐνιαυτῷ τῆς ἡλικίας αὐτῶν. Tertullianus vero lib. de velandis Virgin. c. 9 viduas ad eiusmodi ministeria constitutas fuisse ex Apostoli authoritate significat, et queritur ab Episcopo quodam *alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam.* Carthaginense 4 Can. 12 de harum officio ita loquitur: *Viduae, vel sanctimoniales, quae ad ministerium baptizandarum mulierum eligantur, tam instructae sint ad officium, ut possint apto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore quo baptizandae sunt, qualiter baptizatori interrogatae respondeant et qualiter ac-*
349 *cepto baptismate vivant.* Concilium Chalcedonense Can. 15: *Διακόνισσαν μὴ χειροτονεῖσθαι γυναῖκα πρὸ ἐτῶν τεσσαράκοντα καὶ ταύτην μετὰ ἀκριβοῦς δοκιμασίας.* De 40 annis idem Agathense decrevit Can. 19. Ignatius Epist. 9: *ἀσπάζομαι τὰς φρουρὸς τῶν ἁγίων πυλώνων, τὰς ἐν Χριστῷ Διακόνους.* Epaunense porro Can. 21. Diaconissas sustulit: *Viduarum,* inquit, *consecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus, solam eis poenitentiae benedictionem, si converti ambiunt, imponendo.* Imo et Laodicenum ex ea parte saltem, ut aliis mulieribus minime praeessent, nec earum docendarum munus usurparent, ut Zonaras et Balsamo declarant ad Can. 11. Cuius haec verba sunt: *μὴ δεῖν τὰς λεγομένας πρεσβύτιδας, ἤτοι προκαθημένας ἐν ἐκκλησίᾳ καθίστασθαι.* Quae ita vetus editio Latina concipit: *Mulieres, quae apud Graecos Presbyterae appellantur, apud nos autem viduae seniores, univirae et matriculariae nominantur, in Ecclesia, tanquam ordinatas, constitui non debere.* De Diaconissis nugatur Pseudodiataxis Clem. 2, 26. Ubi *Episcopum* Dei Patris instar esse dicit: *Diaconum* Christi Domini, *Diaconissam* vero Spiritus sancti. Proinde uti Spiritus sanctus nihil a seipso dicit, facitve, *ἀλλὰ δοξάζων τὸν Χριστὸν περιμένει τὸ ἐκείνου θέλημα,* ita Diaconissae nihil sine Diacono

debent suscipere. Quae sunt *γραώδη* et Haeresim praeterea *τῶν πνευματομάχων* redolent.

εἰθ' ἑξῆς τούτων ἐπορκισταί] Horum omnium et praecedentium Ordinum crebra est in veteribus Synodis et apud antiquos Patres mentio. Imprimis Carthag. 4 singulos gradus accuratissime describit et quo quisque ritu sit initiandus declarat. Apud Ignatium cum in aliis Epistolis, tum in postrema 9 praeter maiores illos commemorantur *Ἀναγνῶσται, Ψάλται, Πυλωροὶ, οἱ Κοπιῶντες, Ἐπορκισταί.* De quibus omnibus Annales Eccles. consule.

1104 c. *συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι*] Synaxis proprie sacros conventus et, quod in illis a fidelibus celebratur, divinum officium significat, quod sacrarum literarum lectionem, psalmodiam, tractatum, sive sermonem ad populum, ac demum, ubi opus est, Divinorum Mysteriorum celebrationem complectitur, uti Fronto Ducaeus noster ad Chrysostomi Orat. 2 in Iudaeos adnotavit. Nonnunquam tamen, ut apud Dionysium, praesertim libro de Eccles. Hier. c. 3, pro ipsa communione, vel Missae sacrificio sumitur. Nam ibi caussam inquirit, cur *κοινωνίας* et *συνάξεως* appellatio divino illi augustissimoque Sacramento, quam *τελετὴν τελετῶν* nominat, praecipue tribuatur, cum caeterorum ea quoque vis sit, ut *μεριστὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συνάγειν*, hoc est consociare, possint. Proprie tamen, ut nos diximus, *σύναξις* conventum sacrum et Divinum, quod in eo peragitur, officium sonat. Sic Epiphanius in Haeres. 69, quae est Ariomanitarum, de Ario caeterisque Presbyteris per urbanas Ecclesias Alexandriae distributis, *ἕκαστος δὲ τούτων δῆλον κατὰ τὴν εἰθισμένην σύναξιν τὸν αὐτῷ πεπιστευμένον λαὸν διδάσκων ἐν ταῖς ἐξηγήσεσι* etc. Hanc Latini *collectam*, vel *Missam*, ut idem Fronto noster observat, appellare consueverunt. At Casaubonus Exercit. 16, 42 dum 350
Parisiensis editionis notas in Chrysostomum redarguit, castigandus et ipse venit. Nam pleraque oscitanter attigit. Imprimis Chrysostomus fideles adhortans, ut pro se quisque captandis ac lucrifaciendis proximis incumbat, his verbis alloquitur: *τί μέγα αἰτῶ παρ' ὑμῶν, ἀγαπητοί; ἕκαστος ὑμῶν ἕνα μοι τῶν ἀδελφῶν ἀνασωσάτω, περιεργασάσθω, πολυπραγμονησάσθω ἵνα εἰς τὴν ἐπιοῦσαν σύναξιν μετὰ πολλῆς παρρησίας ἀπαν-*

τήσωμιεν, δῶρα τῷ θεῷ κομίζοντες, δῶρα πάντων τιμιώτερα, τὰς ψυχὰς τῶν πεπλανημένων ἐπαναγαγόντες. Hic Erasmus verba illa εἰς τὴν ἐπιοῦσαν σύναξιν verterat, *in crastina communione*. Quod merito reprehensum a Frontone nostro, proque *communionis* vocabulo substituta vox *collectae*. Displicuit haec emendatio Casaubono, qui cum Erasmo σύναξιν illic communionem esse defendit, eo fretus argumento, quod donorum oblatio, de quibus loquitur Chrysostomus, Eucharistiam designet. Sed mira est Critici illius ἀπροσεξία. Nam δῶρα ista non sunt panis et vinum, quae ad Eucharistiam adhibentur, aut Eucharistia ipsa, sed nimirum fratrum et Christianorum animae, quibus ad Synaxin adducendis et conservandis ut studeant, auditores suos admonebat.

Proximus est Epiphanii ille ipse locus, quem prae manibus habemus, in quo Synaxes ait ex Apostolica traditione in feriam quartam et Parasceuem ac Dominicam incidere: *Hic potest dubitari* (Casauboni verba sunt) *an simpliciter conventus sacri intelligantur, ad verbum audiendum et orandum, an etiam de coenae Domini celebratione senserit Epiphanius. Ratio dubitandi oritur ex observatione diversa veterum Ecclesiarum. Nam, ut testatur Socrates, pleraeque omnes terrarum orbis Ecclesiae et his diebus et Sabbatis etiam ad Synaxes conveniebant, in quibus mysteria celebrabantur.* Haec ille. Sed quod Socratem affirmare dicit in plerisque omnibus terrarum orbis Ecclesiis Synaxes et Mysteria feria quarta, sexta et Sabbato celebrari, falsissimum est. De Sabbatis id quidem toto orbe usitatissimum esse, si Romanam Ecclesiam et Alexandrinam exceperis, docet libro illo, quem Casaubonus citat, Historiae 5, 21. Quod autem feria quarta sextave Synaxes et mysteria celebrata fuerint, nusquam prodidit. Quin potius de solis Alexandrinis id refert, omnia apud illos, quae in Synaxibus geri mos est, praeter mysteria ac sacrificia, biduo illo perfici. Quare neque ex Epiphanio, neque ex Socrate confici potest, feria quarta et Parasceue Christianos augustissima illa Dominici Corporis sacra celebrasse. Quod utrum aliunde colligi possit, antequam disputo, prius error ille castigandus est, quem non solum Casaubonus, sed et alii pridem pii et eruditi homines imbibisse videntur: in omnibus Synaxibus Mysteriorum celebra-

tionem ac participationem locum habuisse. Quod secus se habet. Nam a mysteriorum celebratione ac communione Synaxis perinde differt ut genus a forma, propterea quod non omnibus in Synaxibus Dominicum corpus aut offerebatur, aut a fidelibus usurpabatur. Quod ex Socrate primum, loco illo, quem paulo ante citavimus, intelligitur, ubi τῇ τετράδι καὶ παρασκευῇ Synaxes Alexandriae fieri scribit, δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς.

Tum universe de Orientalibus ac Graecis ita potest con- 351
fici. Etenim per solennes ieiuniorum dies Mysteria nulla et sacrificia peragebantur, neque publice ac legitime communicabant fideles. Nam Laodicenum Concilium Canone 49 vetat quadragesimali tempore panem offerre, praeterquam in Sabbato atque Dominica: ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον. Quem Canonem plerique non recte de Eulogiis, sive fermentato pane interpretati sunt, de quo agit idem Laodic. Can. 14 et Innocentius 1. Epist. 1. c. 5. Atque hunc iccirco putant offerri per illos dies minime licuisse, ne ea solvendi ieiunii esset occasio. Cuius falsissimae interpretationis authores vis ipsa verbi προσφέρειν ac potestas refellit, quae de sacrificio et oblatione solet accipi, ut in Nicaeno Can. 18. Est igitur προσφέρειν ἄρτον, panem ipsum repraesentare, ex quo Christi corpus consecratione fieret. Quod partim a Sacerdotibus ipsis in sacrorum functione ac τελετῇ geritur, partim ante Mysteriorum celebrationem a fidelibus. Nemo enim citra notam aliquam ἀσύμβολος et sine oblatione propria communicabat, sed panem suum ac vinum offerebat. Hinc vehemens illa Cypriani querela de matronis locupletibus lib. de Opere et Eleemos.: ***Locuples et dives es et dominicum celebrare te credis, quae corbonam omnino non respicis, quae in dominicum sine sacrificio venis, quae in partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.*** Augustinus Serm. 215 de Tempore: ***Oblationes, quae in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicat.*** Quod idem et sequenti sermone repetit. Quoniam igitur qui communionis iure praeditus erat, idem aut offerebat, aut offerre certe, unde communicaturus esset, poterat, hinc vetusti Canones eos, qui in extremo gradu poenitentium haererent, quam σύστασιν nominabant, qui cum fidelibus orationum

duntaxat erant participes, nec dum Dominicum corpus usurpabant, *κοινωνεῖν* dicebant *ἄνευ προσφορᾶς*, ut est in Ancyrano Can. 5 et 24. A quo demum ordine ad absolutum integrumque statum transferebantur, quam *μέθεξιν τῶν ἁγίων* et *τὸ τέλειον* appellant, cum scilicet perinde ad oblationes faciendas, atque ad participandam Eucharistiam admitterentur. Neque enim quorumcunque oblationes receptae sunt, sed sceleratorum hominum ac poenitentium et universe *τῶν ἀδέκτων καὶ ἀκοινωνήτων* reiectae. De quo vide Constit. Apost. 3, 5. Et Vasense Concilium Can. 2 iubet *ut poenitentium, qui sine communione inopinato transitu in agris, aut itineribus praeveniuntur, oblationes recipiantur.* Excutiebantur itaque primum oblationes a Diaconis, atque utrum eiusmodi essent inquirebatur, quae repraesentari ad altare possent. Igitur in Laodiceno Concilio *ἡ προσφορὰ* de utroque genere oblationis potest intelligi, tam ea quae a fidelibus quam quae a Sacerdotibus fiebat. Nec obstat, quod *προσφέρειν ἄρτον* scriptum est in Canone, quae fuisse caussa videtur, ob quam Catholici viri de Eulogiis potius quam de Eucharistia dictum illud interpretarentur. Nam vel *ἄρτος* ad id refertur, quod ante consecrationem fuit, aut
352 corpus ipsum Domini *panis* usitata cum in Scripturis, tum apud Patres appellatione dicitur. Sic in Carthag. Concilio apud Zonaram et Balsam. Can. 40: *περὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι περαιτέρω ἄρτου καὶ οἴνου ὕδατι μεμιγμένου τί ποτε ἐν τοῖς ἁγίοις προσφέρειν, ἵνα ἐν τοῖς ἁγίοις μηδὲν πλέον τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου προσενεχθείη· ὡς καὶ αὐτὸς ὁ κύριος παρέδωκεν· τουτέστι ἄρτου καὶ οἴνου ὕδατι μεμιγμένου.* Quod apud Latinos Can. 24 Concilii 3 Carth. ita legitur: *Ut in Sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum.* Proinde nihil certius est quam in Laodiceno Canone prohiberi ne per solennes ieiunii dies oblationes et sacrificia celebrentur. Excipit Sabbatum ac Dominicam, quibus in Oriente ieiunare nefas arbitrabantur. Quod ex Trullana Synodo comprobari potest, quae Can. 52 ita sanxit: *ἐν πάσαις ταῖς τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς τῶν νηστειῶν ἡμέραις, παρεκτὸς σαββάτου καὶ κυριακῆς καὶ τῆς ἁγίας τοῦ εὐαγγελισμοῦ ἡμέρας, γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ*

λειτουργία. In omnibus quadragesimalis ieiunii diebus, excepto Sabbato ac Dominica et sacro Annunciationis die, celebretur sanctum ante consecratorum sacrificium. Quem ad Canonem Zonaras haec adnotat: *αἱ τῶν νηστειῶν ἡμέραι πένθους εἶναι ἐτάχθησαν καὶ κατανύξεως εἰς ἐξίλασμα τῶν ἑκάστου σφαλμάτων· τὸ δὲ τῷ θεῷ προσάγειν θυσίας πανηγυρίζειν ἐστὶ* etc. *διὰ τοῦτο ἐν μὲν ἄλλαις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις ἡ τῶν προηγιασμένων γίνεται λειτουργία, οὐ τότε γινομένης τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, ἀλλὰ τῆς ἤδη προσαχθείσης καὶ τελεσθείσης αὖθις προσαγομένης. κατὰ δὲ τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς, ἐπεὶ ἐν ταύταις νηστεύειν ἀπηγόρευται, ἐνδέδοται καὶ θυσίαν προσφέρειν καὶ τελείαν λειτουργεῖν λειτουργίαν.* Quocirca Sacrificium nequaquam per ieiunii dies oblatum est, sed ea retractabantur, quae iam ante consecrata fuerant, uti sacro Parasceues magnae die apud nos fieri consuevit. Extant illae *τῶν προηγιασμένων λειτουργίαι* Tomo 6. Biblioth. cum Genebrardi Praefatione, in qua Graecorum ritum illum adversus Catholicos quosdam doctores propugnat, negatque propterea damnandum esse, quod nulla in iis Liturgiis neque consecratio neque distributio ac communio contineretur. Apparet autem, quemadmodum in Synaxibus, quae per illos dies fiebant, nullum est oblatum sacrificium, ita nullam fidelium communionem extitisse. Quod praeterea alio ex argumento colligitur. Etenim neque ieiunantes osculum pacis fratribus impartiebantur, neque mysteriorum celebratio ac participatio sine pace osculoque peragebatur. Horum primum Tertullianus lib. de Orat. sub finem indicat his verbis: *Sic et die Paschae, quo communis et quasi publica ieiunii religio est, merito deponimus osculum, nihil curantes de osculando, quod cum omnibus faciamus.* In publicis igitur solennibusque ieiuniis pacem, hoc est osculum, sibi mutuo fideles non dabant: Quod cum in privatis et voluntate susceptis perinde ab illis observaretur, paulo ante idem Tertull. improbat: *Alia iam,* inquit, *consuetudo invaluit. Ieiunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis.* Unde illos admonet, ut cum privatim ipsi ieiunant, *domi quidem, inter quos latere ieiunium in totum non datur, pacem differant,* at publice et in Ecclesia dissimulato ieiunio,

353 consuetudini serviant. Posterius vero, nempe cum Mysteria celebrarentur, pacem atque osculum a fidelibus oblatum fuisse, vix est ut probari necesse sit. Res enim est perspicua. Sed aliquot nihilominus veterum testimonia producam. Primum Laodicenum Conc. Can. 19 in Liturgiis et Synaxibus hunc praescribit ordinem. Post habitos ab Episcopo sermones, Catechumenorum succedebat oratio. Quibus digressis, super poenitentes orabant. Ii sub manus subeuntes ubi recesserant, tum fidelium triplex oratio concipiebatur: εἶθ' οὕτως τὴν εἰρήνην δίδοσθαι iubet, καὶ μετὰ τὸ Πρεσβυτέρους δοῦναι τῷ Ἐπισκόπῳ τὴν εἰρήνην, τότε τοὺς λαϊκοὺς τὴν εἰρήνην διδόναι, καὶ οὕτω τὴν ἁγίαν προσφορὰν ἐπιτελεῖσθαι. *Tum pax*, inquit, *dqndà, quam ubi Episcopo Sacerdotes impertierint, laici sibi invicem dabunt. Secundum quae perficiatur oblatio.* At Innocentius Epist. 1 ad Decent. cap. 1 pacem prohibet ante finita mysteria dari: *Pacem ergo asseris*, inquit, *ante confecta Mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cum post omnia, quae aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia, quae in Mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, praebere consensum.*

Quibus subductis omnibus, liquet vetustissimos etiam Christianos in Synaxibus suis non perpetuo communicasse, publice saltem ac legitime. Nec interim negamus privatim domi, vel extra Synaxin communicare aliquos potuisse, cum Eucharistiam, quam a Sacerdote semel acceperant, domi reservatam reliquos in dies dispensare solerent. De quo vide quae Basilius Ep. 289 ad Caesariam Patriciam scribit. Tum Annalium auctorem ad annum 57. Redeo iam ad Synaxes illas, quas Epiphanius ab Apostolis fuisse traditas affirmat, feriae quartae, Parasceues et Dominicae. Inter quas miretur quispiam Sabbati mentionem nullam esse factam. Hoc enim die Synaxes Oriente fere toto celebratas ac frequentata Mysteria testatur Socrates lib. illo 5 c. 22. Quanquam hic, ut et Sozom. 7, 19, Alexandrinos et Romanos excipit: τῶν γὰρ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἐκκλησιῶν ἐν ἡμέρᾳ σαββάτων κατὰ πᾶσαν ἑβδομάδος περίοδον ἐπιτελουσῶν τὰ μυστήρια, οἱ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐκ τινὸς ἀρχαίας παραδόσεως τοῦτο ποιεῖν παρητήσαντο. *Cum enim omnes totius orbis Ecclesiae Sabbatis omni-*

bus per unamquamque hebdomadam Mysteria celebrent, Alexandrini et Romani ex vetere quadam traditione id agere detrectarunt. Ita non Orientis modo, sed et totius orbis consuetudinem fuisse scribit, quod ego verum non arbitror. Fuit enim Orientis fere solius. In Responsis Canon. Timothei Alexand. apud Balsam. Interrog. 13 quaesitum est quibus diebus coniuges continere debeant. Respondet Timotheus omnino Sabbato ac Dominica temperandum, *διὰ τὸ ἐν αὐταῖς τὴν πνευματικὴν θυσίαν ἀναφέρεσθαι τῷ Κυρίῳ.* Igitur Sabbatis Alexandriae celebrata Mysteria, contra quam Socratis aetate factum est. Atqui forte an Cyprii (apud quos ista scripsit Epiphanius) Romanos, aut vicinos suos Alexandrinos imitati, Synaxes nullas Sabbatis instituerunt, reliquis vero, hoc est quarta sextave feria, nulla in Synaxibus mysteria celebrarunt. De mysteriis certe mentio nusquam hic habetur, contra quam Casaubonus aliique temere prodiderunt. In sequenti capite Epiphanius de Sabbati Synaxibus ita loquitur, ut in Ecclesia sua in- 354
stitutas negare videatur. Scribit enim: *ἔν τισι δὲ τόποις καὶ ἐν τοῖς σάββασι συνάξεις ἐπιτελοῦσιν.* Non igitur in Cypro, ac proinde verissima est coniectura nostra, Cyprios Alexandrinorum morem imitatos esse. Ac cum paulo ante demonstratum sit, quadragesimalis ieiunii tempore nulla in sacris conventibus celebrata fuisse mysteria, de quarta sextaque feria idem videri possit, cum in illis solenne peraeque ieiunium extitisse author sit Epiphanius. Sed ne istud asseveremus, prohibet imprimis illud, quod *ἡ τῶν προσηγιασμένων λειτουργία* soli Quadragesimae ieiunio in veteribus Conciliis et Liturgicis adscribatur. Accedit et disertissimus Tertulliani locus, qui in lib. de Orat. sub finem ostendit, ipsis stationum diebus, quae feria quarta sextaque cum ieiuniis obiri consueverant, ut paulo post dicetur, sacrificia celebrari ac Dominicum corpus in fideles distribui solere. *Similiter*, inquit, *de Stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne solennior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato, utrunque salvum est, et participatio sacrificii et executio officii.* Qui locus paulo a nobis postea

declarabitur. Ad haec Basilius in Epistola ad Caesariam, cuius supra meminimus, cum quotidianam communionem plurimum commendasset, ista subiicit: *ἡμεῖς μέντοι γε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ καὶ τῷ σαββάτῳ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐὰν ᾖ μνήμη μάρτυρός τινος. Nos quater in quaque hebdomada communicamus, Dominica, feria quarta, Parasceue, Sabbato, sed et diebus caeteris, in quos memoria Martyris alicuius incidit.* Unde quod de ieiunio dictum est, nullum in eo celebratum fuisse Mysterium, neminemque communicasse fidelium, de solo Quadragesimali par est accipi, si Alexandrinos eximas, quorum velut singulare istud a Socrate commemoratur, quod feria quarta atque sexta omnia praeter *τελετὴν* Synaxeon propria praestiterint. De quo proxime videbimus.

Denique quod Epiphanius admonet, *triplicem illam Synaxin dierum totidem ab Apostolis esse traditam,* haud scio an satis certo constare queat. Nam primis Ecclesiae temporibus unus duntaxat Dominicus dies ad eam rem observatus videtur, ut ex Apostolo 1 ad Cor. c. 16 colligitur. Quinetiam Iustinus Martyr Apol. 2 cum de Christianorum conventibus agit, solius Dominicae meminit: *τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα.* Quare magis id ex privato Ecclesiae cuiusque ritu quam ex communi Apostolorum praescripto derivatum existimo, ut quarta sextave feria, aut etiam Sabbato Synaxes conventusque fierent. Quam in rem egregius est Augustini locus Ep. 118, qui mihi hic adscribendus videtur: *Alia vero,* inquit, *quae per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii ieiunant Sabbato, alii vero non, alii quotidie communicant corpori et sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum et Dominico, alibi tantum Dominico, et si quid aliud huiusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes.* Innocentius porro Epist. 1 c. 4 feria sexta et Sabbato Sacramenta minime
355 celebrari scribit, his verbis: *Quod utique non dubium est, in tantum eos ieiunasse* (de Apostolis loquitur) *biduo memorato, ut traditio Ecclesiae habeat, isto biduo Sacramenta penitus*

non celebrari. In Mediolanensi Ecclesia quotidie sacrificium oblatum ex Ambrosio constat, qui Serm. 34 ita loquitur: ***Moneo etiam, ut qui iuxta Ecclesiam est et sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam, et qui potest, omni nocte ad matutinum veniat.*** Et paulo post: ***In quadragesima vero moneo ut die omni, aut saltem, ut dixi, Dominica, offeratis et communicetis.*** Varia igitur admodum per Ecclesias consuetudo fuit. Non de vetustissimis temporibus, deque Orientalibus maxime, quae diximus, intelligi volumus.

Ex illo vero postremo Ambrosii loco liquet falsissimum esse, quod Haereticis quibusdam nimium stolide persuasum esse video, nunquam in vetere Ecclesia Missam auditam a fidelibus esse, quin una communicarent. Quo in errore sane stupidissimo versatur Casaubonus Exercit. 16 ad Ann. Baron. n. 58. Et, quod mirum est, hunc ipsum Ambrosii locum citat, nec advertit eundem, cum quotidie Missas audire, in quadragesima vero, si fieri potest, etiam communicare iubeat, satis innuere, nequaquam quotidie, caeteris saltem praeter Quadragesimam diebus, communicatum fuisse. Apud Eusebium Histor. 7, 9 in historia cuiusdam, qui ab Haereticis baptismum acceperat, ita legitur: *εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνοντα* etc. Casaubonus ut ***audire missam*** idem esse quod *communicare* confirmet, hunc Eusebii locum affert, quo nihil est alienius. Nam ex eodem ipso probatur, diversum ac distinctum esse quiddam *ἐπακούειν τῆς εὐχαριστίας* et *participare Dominico corpori,* quamvis duo haec tum ab illo praestita fuerint. In Agathensi vero Concilio, quod ex Gratiano citat Casaubonus, tantum abest, ut aliquid ad errorem illum sublevandum decretum fuerit, ut contrarium potius manifeste colligi possit. Etenim Can. 47 Patres ita praecipiunt: ***Missas die Dominica saecularibus tenere speciali ordine praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis regredi populus non praesumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.*** Atqui Can. 18 ita statuit: ***Saeculares, qui in Natali Domini, Pascha, Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.*** Hic tribus duntaxat diebus quotannis fideles ad communionem compellit:

illic Dominicis singulis iubet audire Missam. Non est igitur idem *audire Missam* ac *communicare*, nec ambo illa fidelium usu Ecclesiaeque veteris perpetuo fuere coniuncta.

τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ] Antiquissima est utriusque ieiunii religio, cuius et in Aërianis supra mentionem egit. In Canon. Apost. 69 cum Quadragesimali τετράδος et παρασκευῆς ieiunium eadem sanctione praecipitur. Ad quem Balsamo istud adnotat, perinde duabus illis feriis atque in quadragesima ξηροφαγίαν praescribi. Tum ne praesenti quidem mortis in periculo carnibus vesci licere. Ignatius Epist. 5 ad Philipp. eiusdem praecepti meminit. In Constit. Apost. 7, 24 caussa cur τετράδι ieiunandum sit haec affertur, quod et feria quarta de-
356 liberatum a Iudaeis est de interficiendo Christo et Iudas operam suam detulit. Cui adstipulatur et Petrus Alexandrinus Can. 15. Et quidem probabilis est ista ratio. Quam vero hic Epiphanius reddit, falsa est et Evangelicae veritati contraria. Vult enim Christum Dominum feria quarta comprehensum. Quod in Diatriba de Passione Domini supra discussum ac refutatum est p. 173. De iisdem ieiuniis mentionem facit non uno in loco Tertullianus et stationes illis ipsis diebus obiri consuevisse significat, ut in lib. de ieiuniis contra Psychicos: *Cur stationibus quartam et sextam Sabbati dicamus et ieiuniis Parasceuem?* Et c. 2: *Sic et Apostolos observasse, nullum aliud imponentes iugum certorum et in commune omnibus obeundorum ieiuniorum, proinde nec stationum, quae et ipsae suos quidem dies habeant, quartae feriae et sextae.* Cuiusmodi porro Stationes illae fuerint et utrum ieiunia ipsa Stationes appellatae sint, paulo est hoc loco diligentius inquirendum. Res enim est non minus studio digna quam propter antiquitatem obscura, neque vulgo satis cognita.

Stationes igitur statos ieiuniorum esse dies Pamelius ad lib. de Corona Mil. c. 11 scribit: *metaphora a militibus orta, quod quandiu in statione erant, ieiunare eos oportebat.* Quod et alibi passim repetit. Ac Ieiunium quidem stationem cum alii plerique vocant, tum Hermas lib. 3. Simil. 5: *Quid est, inquit, statio? Et dixi, Ieiunium.* Rhabanus Maurus lib. 2 de Instit. Cleric. c. 18 ex quorundam sententia inter ieiunium et stationem id interesse scribit, quod ieiunium *indifferenter cuiuslibet*

diei sit abstinentia, non per legem, sed secundum propriam voluntatem: Statio, *observatio statutorum dierum, ut quartae et sextae feriae, vel quadragesimae.* Citantur et haec apud Pamelium Ambrosii verba Serm. 36: *Stationes vocantur ieiunia, quod stantes et commorantes in eis inimicos insidiantes repellimus.* Verum neque ego stationem idem esse cum ieiunio arbitror, neque, ut intersit aliquid, discrimen illud probo, quod apud Rhabanum legitur. Quod enim a ieiunio discrepet, ex Tertulliano liquet, qui lib. 2 ad Uxorem c. 4 ita loquitur: *Ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas, si ieiunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat.* Quinetiam loco illo citato ex lib. contra Psych. c. 14. Stationes a ieiuniis secernit, cum stationibus quartam et sextam Sabbati dicatam esse dicit, Parasceuem ieiuniis. Contra lib. de Corona Mil. c. 11 Stationes pro ieiuniis usurpari Pamelius existimat, his in verbis: *Iam et stationes aut alii magis faciet quam Christo? aut et Dominico die, quando nec Christo?* Et multo manifestius lib. de Anima c. 48: *Quia et Daniel trium hebdomadum statione aruit victum.*

Sed ego stationem apud Tertullianum praesertim religiosum illud esse fidelium officium arbitror, quo certis diebus ad Synaxin adeuntes, ibidem ad nonam usque perseverabant, ad quam insuper ieiunia producebant. Unde et pro multitudine ipsa conventuque nonnunquam solet accipi. Non secus, opinor, ac militaris statio tam pro loco quam pro standi et excubandi functione, imo et pro ipsa militari manu apud Latinos usurpatur. Livius lib. 38: *Pabulatores, lignatoresque Romani in eam partem, in qua colloquium futurum erat, ducti sunt, tutius id futurum Tribunis ratis, quia Coss. praesidium et ipsum pro statione habituri erant, suam tamen alteram stationem propius castra* 600 *equitum posuerunt.* Erant milites, qui aliquanto a castris intervallo ad eorum tutelam excubabant. Eo- 357
dem modo Christianorum stationes tam sacrae illae diebus certis excubationes, quam ipsimet fidelium conventus appellati. Tertull. in calce lib. de Orat.: *Si statio de militari exemplo nomen accipit: (Nam et militia Dei sumus) utique nulla laetitia, sive tristitia obveniens castris stationes militum rescindit.* Quibus verbis demonstrat, nequaquam, quod vulgo persuasum

erat, stationes Dominici corporis communione dissolvi, quoniam quicquid in castris accidat, sive prosperum, sive triste, militaris nihilominus statio perseverat. Perperam igitur Rhabanus haec posteriora: *utique nulla laetitia, sive tristitia* etc. velut causam attulit, cur Christianorum statio a militari nomen accepisset. Quo eodem errore Pamelius ad lib. de Corona Mil. c. 11. Stationem dicit per metaphoram a militaribus stationibus usurpari, *quod quandiu in statione milites erant, ieiunare illos oportebat.* Quod sane ridiculum est. Neque vero tandiu famelicos esse praesidiarios illos et excubitores, exercitus ipsius atque Imperatoris interfuit. Sed nec a statis temporibus stationes nominatae videntur, sed ab ipsa assistendi, hoc est conveniendi commorandique functione, quod ultra legitimum Synaxeon tempus, videlicet matutinum, Divinum officium ad nonam usque producerent et diuturniores in Ecclesia moras agerent. Apud Cyprianum Epist. 41 ad Cornelium Papam stationis nomen tam de conventu ipso quam de tempore ac die potest intelligi, cum de Novatiani legatis in Africam missis agens: *Qui cum in statione,* inquit, *invidiosis quoque conviciis et clamoribus turbulentis prorumperant* etc.

Quamobrem stationes non ieiunia ipsa sunt, sed cum ieiuniis coniuncta. Quanquam duplex ieiuniorum genus apud antiquos fuit. Nam aliud exquisitius erat, quod longius, hoc est ad vesperam usque prorogabatur, uti quadragesimale Ieiunium. Epiphanius enim infra, eodem isto capite, Synaxes quadragesimales ab hora nona ad vesperam usque celebrari docet, ante quas Synsxes ieiunia minime solvebantur. Aliud erat paulo remissius ac brevius, quod ad nonam duntaxat produceretur, cuiusmodi feriae quartae sextaeque ieiunium extitisse idem Epiphanius asserit: τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐνάτης. Hinc est, quod, ut ex Tertulliano perspicuum est, stationes non ultra nonam extenderentur. Quo nomine a Catholicis, quos Psychicos appellat, Montanistae reprehensi sunt, pro eo quod stationes suas ad vesperam proferrent. Tertulliani verba sunt lib. de Ieiuniis contra Psych.: *Aeque stationes nostras, ut indignas, quasdam vero et in serum constitutas novitatis nomine incusant, hoc quoque munus et ex arbitrio obeundum esse dicentes et non ultra nonam detinen-*

dum, de suo scilicet more. Ibidem praeterea: *Arguunt nos quod ieiunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus.* Quo in loco non leviter hallucinatus est Pamelius, dum Tertullianum per calumniam haec in Orthodoxos iacere scribit, quod negarent stationes, hoc est ieiunia ultra nonam propaganda, cum, ut ex infinitis veterum testimoniis constat, ad Solem occasum usque ieiunia produxerint. Sed aliud videlicet statio est quam ieiunium, et ieiunia stationum, uti nec stationes ipsae minime ultra nonam observabantur. Quare merito a Catholicis castigata Montanistarum illa novitas est, quod stationes et ieiunia aliis, quam quae ab Ecclesia praescripta essent, temporibus ad vesperam extenderent. Nam 358
feria quarta sextaque ad nonam duntaxat perseverasse in statione Montanistas eodem illo libro c. 10 Tertull. indicat: *Non quasi respuamus nonam,* inquit, *cui et quarta Sabbati et sexta plurimum fungimur.* Propterea vero stationum ieiunia illa *semiieiunia* ab eodem authore nominantur c. 13: *Ecce enim* (ait adversus Catholicos) *convenio vos et praeter Pascha ieiunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, et stationum semiieiunia interponentes.*

Sed obscurissimus est iisdem de stationibus quartae sextaeque feriae Tertulliani locus c. 14: *Cur stationibus,* inquit, *quartam et sextam Sabbati dicamus et ieiuniis Parasceuen?* Nam Parasceue quid aliud est quam sexta Sabbati? Praeterea ieiunium Parasceue soli tribuit, quasi non et feria quarta ut statio, ita ieiunium solenne fuerit. Huius in loci interpretatione mirum quid Pamelio in mentem venerit, cum Parasceuen a Tertulliano nove Sabbatum appellari credidit. *Stationes,* inquit, *appellat quartae et sextae feriae ieiunia, quod statuta essent illis diebus ieiunia, non item die Parasceues, quae erant voluntaria.* Et capite sequente *Parasceuen* ait *esse Sabbatum, quod Dominicam praecederet. Quo die ieiunium pro cuiusque voluntate servatum est.* Nihil aut absurdius, aut quod a Tertulliani mente magis abhorreret, afferri potuit. Tantum enim abest ut Tertullianus Sabbatum ieiuniis dicatum esse pronunciaverit, ut de eo statim ista subiiciat: *Quanquam vos etiam Sabbatum, si quando, continuatis, nunquam nisi in Pascha ieiunandum, secundum rationem alibi redditam.* Si nunquam

declarabitur. Ad haec Basilius in Epistola ad Caesariam, cuius supra meminimus, cum quotidianam communionem plurimum commendasset, ista subiicit: ἡμεῖς μέντοι γε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ καὶ τῷ σαββάτῳ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐὰν ᾖ μνήμη μάρτυρός τινος. *Nos quater in quaque hebdomada communicamus, Dominica, feria quarta, Parasceue, Sabbato, sed et diebus caeteris, in quos memoria Martyris alicuius incidit.* Unde quod de ieiunio dictum est, nullum in eo celebratum fuisse Mysterium, neminemque communicasse fidelium, de solo Quadragesimali par est accipi, si Alexandrinos eximas, quorum velut singulare istud a Socrate commemoratur, quod feria quarta atque sexta omnia praeter τελετὴν Synaxeon propria praestiterint. De quo proxime videbimus.

Denique quod Epiphanius admonet, *triplicem illam Synaxin dierum totidem ab Apostolis esse traditam,* haud scio an satis certo constare queat. Nam primis Ecclesiae temporibus unus duntaxat Dominicus dies ad eam rem observatus videtur, ut ex Apostolo 1 ad Cor. c. 16 colligitur. Quinetiam Iustinus Martyr Apol. 2 cum de Christianorum conventibus agit, solius Dominicae meminit: τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα. Quare magis id ex privato Ecclesiae cuiusque ritu quam ex communi Apostolorum praescripto derivatum existimo, ut quarta sextave feria, aut etiam Sabbato Synaxes conventusque fierent. Quam in rem egregius est Augustini locus Ep. 118, qui mihi hic adscribendus videtur: *Alia vero,* inquit, *quae per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii ieiunant Sabbato, alii vero non, alii quotidie communicant corpori et sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum et Dominico, alibi tantum Dominico, et si quid aliud huiusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes.* Innocentius porro Epist. 1 c. 4 feria sexta et Sabbato Sacramenta minime
355 celebrari scribit, his verbis: *Quod utique non dubium est, in tantum eos ieiunasse* (de Apostolis loquitur) *biduo memorato, ut traditio Ecclesiae habeat, isto biduo Sacramenta penitus*

non celebrari. In Mediolanensi Ecclesia quotidie sacrificium oblatum ex Ambrosio constat, qui Serm. 34 ita loquitur: ***Moneo etiam, ut qui iuxta Ecclesiam est et sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam, et qui potest, omni nocte ad matutinum veniat.*** Et paulo post: ***In quadragesima vero moneo ut die omni, aut saltem, ut dixi, Dominica, offeratis et communicetis.*** Varia igitur admodum per Ecclesias consuetudo fuit. Non de vetustissimis temporibus, deque Orientalibus maxime, quae diximus, intelligi volumus.

Ex illo vero postremo Ambrosii loco liquet falsissimum esse, quod Haereticis quibusdam nimium stolide persuasum esse vîdeo, nunquam in vetere Ecclesia Missam auditam a fidelibus esse, quin una communicarent. Quo in errore sane stupidissimo versatur Casaubonus Exercit. 16 ad Ann. Baron. n. 58. Et, quod mirum est, hunc ipsum Ambrosii locum citat, nec advertit eundem, cum quotidie Missas audire, in quadragesima vero, si fieri potest, etiam communicare iubeat, satis innuere, nequaquam quotidie, caeteris saltem praeter Quadragesimam diebus, communicatum fuisse. Apud Eusebium Histor. 7, 9 in historia cuiusdam, qui ab Haereticis baptismum acceperat, ita legitur: *εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνοντα* etc. Casaubonus ut ***audire missam*** idem esse quod *communicare* confirmet, hunc Eusebii locum affert, quo nihil est alienius. Nam ex eodem ipso probatur, diversum ac distinctum esse quiddam *ἐπακούειν τῆς εὐχαριστίας* et ***participare Dominico corpori,*** quamvis duo haec tum ab illo praestita fuerint. In Agathensi vero Concilio, quod ex Gratiano citat Casaubonus, tantum abest, ut aliquid ad errorem illum sublevandum decretum fuerit, ut contrarium potius manifeste colligi possit. Etenim Can. 47 Patres ita praecipiunt: ***Missas die Dominica saecularibus tenere speciali ordine praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis regredi populus non praesumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.*** Atqui Can. 18 ita statuit: ***Saeculares, qui in Natali Domini, Pascha, Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.*** Hic tribus duntaxat diebus quotannis fideles ad communionem compellit:

illic Dominicis singulis iubet audire Missam. Non est igitur idem *audire Missam* ac *communicare*, nec ambo illa fidelium usu Ecclesiaeque veteris perpetuo fuere coniuncta.

τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ] Antiquissima est utriusque ieiunii religio, cuius et in Aërianis supra mentionem egit. In Canon. Apost. 69 cum Quadragesimali *τετράδος* et *παρασκευῆς* ieiunium eadem sanctione praecipitur. Ad quem Balsamo istud adnotat, perinde duabus illis feriis atque in quadragesima *ξηροφαγίαν* praescribi. Tum ne praesenti quidem mortis in periculo carnibus vesci licere. Ignatius Epist. 5 ad Philipp. eiusdem praecepti meminit. In Constit. Apost. 7, 24 caussa cur *τετράδι* ieiunandum sit haec affertur, quod et feria quarta de-
356 liberatum a Iudaeis est de interficiendo Christo et Iudas operam suam detulit. Cui adstipulatur et Petrus Alexandrinus Can. 15. Et quidem probabilis est ista ratio. Quam vero hic Epiphanius reddit, falsa est et Evangelicae veritati contraria. Vult enim Christum Dominum feria quarta comprehensum. Quod in Diatriba de Passione Domini supra discussum ac refutatum est p. 173. De iisdem ieiuniis mentionem facit non uno in loco Tertullianus et stationes illis ipsis diebus obiri consuevisse significat, ut in lib. de ieiuniis contra Psychicos: *Cur stationibus quartam et sextam Sabbati dicamus et ieiuniis Parasceuem?* Et c. 2: *Sic et Apostolos observasse, nullum aliud imponentes iugum certorum et in commune omnibus obeundorum ieiuniorum, proinde nec stationum, quae et ipsae suos quidem dies habeant, quartae feriae et sextae.* Cuiusmodi porro Stationes illae fuerint et utrum ieiunia ipsa Stationes appellatae sint, paulo est hoc loco diligentius inquirendum. Res enim est non minus studio digna quam propter antiquitatem obscura, neque vulgo satis cognita.

Stationes igitur statos ieiuniorum esse dies Pamelius ad lib. de Corona Mil. c. 11 scribit: *metaphora a militibus orta, quod quandiu in statione erant, ieiunare eos oportebat.* Quod et alibi passim repetit. Ac Ieiunium quidem stationem cum alii plerique vocant, tum Hermas lib. 3. Simil. 5: *Quid est, inquit, statio? Et dixi, Ieiunium.* Rhabanus Maurus lib. 2 de Instit. Cleric. c. 18 ex quorundam sententia inter ieiunium et stationem id interesse scribit, quod ieiunium *indifferenter cuiuslibet*

diei sit abstinentia, non per legem, sed secundum propriam voluntatem: Statio, *observatio statutorum dierum, ut quartae et sextae feriae, vel quadragesimae.* Citantur et haec apud Pamelium Ambrosii verba Serm. 36: *Stationes vocantur ieiunia, quod stantes et commorantes in eis inimicos insidiantes repellimus.* Verum neque ego stationem idem esse cum ieiunio arbitror, neque, ut intersit aliquid, discrimen illud probo, quod apud Rhabanum legitur. Quod enim a ieiunio discrepet, ex Tertulliano liquet, qui lib. 2 ad Uxorem c. 4 ita loquitur: *Ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas, si ieiunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat.* Quinetiam loco illo citato ex lib. contra Psych. c. 14. Stationes a ieiuniis secernit, cum stationibus quartam et sextam Sabbati dicatam esse dicit, Parasceuem ieiuniis. Contra lib. de Corona Mil. c. 11 Stationes pro ieiuniis usurpari Pamelius existimat, his in verbis: *Iam et stationes aut alii magis faciet quam Christo? aut et Dominico die, quando nec Christo?* Et multo manifestius lib. de Anima c. 48: *Quia et Daniel trium hebdomadum statione aruit victum.*

Sed ego stationem apud Tertullianum praesertim religiosum illud esse fidelium officium arbitror, quo certis diebus ad Synaxin adeuntes, ibidem ad nonam usque perseverabant, ad quam insuper ieiunia producebant. Unde et pro multitudine ipsa conventuque nonnunquam solet accipi. Non secus, opinor, ac militaris statio tam pro loco quam pro standi et excubandi functione, imo et pro ipsa militari manu apud Latinos usurpatur. Livius lib. 38: *Pabulatores, lignatoresque Romani in eam partem, in qua colloquium futurum erat, ducti sunt, tutius id futurum Tribunis ratis, quia Coss. praesidium et ipsum pro statione habituri erant, suam tamen alteram stationem propius castra* 600 *equitum posuerunt.* Erant milites, qui aliquanto a castris intervallo ad eorum tutelam excubabant. Eo- 357
dem modo Christianorum stationes tam sacrae illae diebus certis excubationes, quam ipsimet fidelium conventus appellati. Tertull. in calce lib. de Orat.: *Si statio de militari exemplo nomen accipit: (Nam et militia Dei sumus) utique nulla laetitia, sive tristitia obveniens castris stationes militum rescindit.* Quibus verbis demonstrat, nequaquam, quod vulgo persuasum

erat, stationes Dominici corporis communione dissolvi, quoniam quicquid in castris accidat, sive prosperum, sive triste, militaris nihilominus statio perseverat. Perperam igitur Rhabanus haec posteriora: *utique nulla laetitia, sive tristitia* etc. velut causam attulit, cur Christianorum statio a militari nomen accepisset. Quo eodem errore Pamelius ad lib. de Corona Mil. c. 11. Stationem dicit per metaphoram a militaribus stationibus usurpari, *quod quandiu in statione milites erant, ieiunare illos oportebat.* Quod sane ridiculum est. Neque vero tandiu famelicos esse praesidiarios illos et excubitores, exercitus ipsius atque Imperatoris interfuit. Sed nec a statis temporibus stationes nominatae videntur, sed ab ipsa assistendi, hoc est conveniendi commorandique functione, quod ultra legitimum Synaxeon tempus, videlicet matutinum, Divinum officium ad nonam usque producerent et diuturniores in Ecclesia moras agerent. Apud Cyprianum Epist. 41 ad Cornelium Papam stationis nomen tam de conventu ipso quam de tempore ac die potest intelligi, cum de Novatiani legatis in Africam missis agens: *Qui cum in statione,* inquit, *invidiosis quoque conviciis et clamoribus turbulentis prorumpant* etc.

Quamobrem stationes non ieiunia ipsa sunt, sed cum ieiuniis coniuncta. Quanquam duplex ieiuniorum genus apud antiquos fuit. Nam aliud exquisitius erat, quod longius, hoc est ad vesperam usque prorogabatur, uti quadragesimale Ieiunium. Epiphanius enim infra, eodem isto capite, Synaxes quadragesimales ab hora nona ad vesperam usque celebrari docet, ante quas Synsxes ieiunia minime solvebantur. Aliud erat paulo remissius ac brevius, quod ad nonam duntaxat produceretur, cuiusmodi feriae quartae sextaeque ieiunium extitisse idem Epiphanius asserit: τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐνάτης. Hinc est, quod, ut ex Tertulliano perspicuum est, stationes non ultra nonam extenderentur. Quo nomine a Catholicis, quos Psychicos appellat, Montanistae reprehensi sunt, pro eo quod stationes suas ad vesperam proferrent. Tertulliani verba sunt lib. de Ieiuniis contra Psych.: *Aeque stationes nostras, ut indignas, quasdam vero et in serum constitutas novitatis nomine incusant, hoc quoque munus et ex arbitrio obeundum esse dicentes et non ultra nonam detinen-*

dum, de suo scilicet more. Ibidem praeterea: *Arguunt nos quod ieiunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus.* Quo in loco non leviter hallucinatus est Pamelius, dum Tertullianum per calumniam haec in Orthodoxos iacere scribit, quod negarent stationes, hoc est ieiunia ultra nonam propaganda, cum, ut ex infinitis veterum testimoniis constat, ad Solem occasum usque ieiunia produxerint. Sed aliud videlicet statio est quam ieiunium, et ieiunia stationum, uti nec stationes ipsae minime ultra nonam observabantur. Quare merito a Catholicis castigata Montanistarum illa novitas est, quod stationes et ieiunia aliis, quam quae ab Ecclesia praescripta essent, temporibus ad vesperam extenderent. Nam 358
feria quarta sextaque ad nonam duntaxat perseverasse in statione Montanistas eodem illo libro c. 10 Tertull. indicat: *Non quasi respuamus nonam,* inquit, *cui et quarta Sabbati et sexta plurimum fungimur.* Propterea vero stationum ieiunia illa *semiieiunia* ab eodem authore nominantur c. 13: *Ecce enim* (ait adversus Catholicos) *convenio vos et praeter Pascha ieiunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, et stationum semiieiunia interponentes.*

Sed obscurissimus est iisdem de stationibus quartae sextaeque feriae Tertulliani locus c. 14: *Cur stationibus,* inquit, *quartam et sextam Sabbati dicamus et ieiuniis Parasceuen?* Nam Parasceue quid aliud est quam sexta Sabbati? Praeterea ieiunium Parasceue soli tribuit, quasi non et feria quarta ut statio, ita ieiunium solenne fuerit. Huius in loci interpretatione mirum quid Pamelio in mentem venerit, cum Parasceuen a Tertulliano nove Sabbatum appellari credidit. *Stationes,* inquit, *appellat quartae et sextae feriae ieiunia, quod statuta essent illis diebus ieiunia, non item die Parasceues, quae erant voluntaria.* Et capite sequente *Parasceuen* ait *esse Sabbatum, quod Dominicam praecederet. Quo die ieiunium pro cuiusque voluntate servatum est.* Nihil aut absurdius, aut quod a Tertulliani mente magis abhorreret, afferri potuit. Tantum enim abest ut Tertullianus Sabbatum ieiuniis dicatum esse pronunciaverit, ut de eo statim ista subiiciat: *Quanquam vos etiam Sabbatum, si quando, continuatis, nunquam nisi in Pascha ieiunandum, secundum rationem alibi redditam.* Si nunquam

Sabbato ieiunandum, uno duntaxat excepto, quomodo dicatum a suis, perinde ac Catholicis, ieiunio Sabbatum Tertullianus dicere potuit? Aliunde igitur quaerenda est loci illius explicatio. Quae an eiusmodi possit esset, considerandum est. Nimirum Tertulliani tempore, cum stationes feria quarta et sexta fierent, ambae quidem ad nonam duntaxat horam prorogatae sunt, sed feria quarta statim post stationis exitum horamque nonam ieiunium solvere licitum fuit. Sexta vero feria, expleto stationis tempore, non statim fas erat vesci, sed ad vesperam tantum. Unde feria quarta semiieiunium, ut Tertullianus vocat, observatum est, sexta ieiunium. Ita nonnullis in locis, ut paulo post testatur Epiphanius, feria quinta maioris hebdomadae cum stationes et Synaxes ad horam nonam celebrarentur, non tamen subinde ieiunia solvebantur. Et vero arctiore ieiunio ac diuturniore inedia celebranda dies illa fuerat, quae Dominicae Passioni praecipue consecratur. Equidem non video quid de Tertulliani loco illo dici probabilius possit. Iam vero per illos stationum dies, quae cum ieiunio coniunctae erant, contra atque in maioribus ieiuniis usurpari consueverat, Divina mysteria et sacrificia peragebantur, distributa quoque in fideles Eucharistia, quam tamen non subinde in os traiici, sed reservari oportere Tertullianus admonet, in calce lib. de Orat. donec absoluta sit statio. Neque tum praetermissum videtur pacis osculum, quod uno Paschae die communiter ab omnibus omissum idem Auctor significat. Sed de variis Ecclesiarum ritibus consule quae in superiore Nota ex Augustino et Innocentio declaravimus. Plura de hoc stationum ritu antiquitatis Ecclesiasticae studiosi pervestigare poterunt, cum et nos pleraque consulto praeterierimus, ut ea sola complecteremur, quorum obscuritas lucem aliquam nostrae disputationis exigeret.

359 1105 a. *δίχα μόνης τῆς· Πεντηκοστῆς*] Vide Nicaenum canonem ult. Cassianum Collat. 21 c. 11.

οὔτε ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Ἐπιφανίων] Multis igitur modis admirabile est decretum illud Theophili Alexandrini Episcopi, quod apud Balsamonem extat p. 1067: in quo et Theophania *νήστιμον ἡμέραν* esse dicit, et quoniam illo anno in Dominicam inciderat, paucis tantummodo dactylis vesci iubet, quo ab Haereticis seiunctos se esse profiterentur, qui Dominicae resur-

rectionis diem non colerent, et hoc ipso, quod vespertinam Synaxin praestolarentur, ieiunii religioni satisfacerent, ac postremo Synaxes ab hora nona celebrandas indicit. Atqui Dominicis diebus Synaxes matutinae omnes erant, et quod paucos dactylos sub vesperam comederent, nihil obstabat, quo minus ieiunium esset eiusmodi, quale Dominicis diebus omnibus interdictum fuisse cum Epiphanius hoc loco, tum alii veteres omnes affirmant. Caeterum idem ille Theophili locus admonet, si Theophania alium in diem quam Dominicum incurrissent, Xerophagiis, hoc est pane cum sale et aqua, transigenda fuisse. Nunc ob diei religionem paucos dactylos remissos, quos tamen, ut ieiunii ratio haberetur, ante vespertinam Synaxin degustare vetuit.

1105 b. *τὰς δὲ κυριακὰς ἁπάσας*] De Dominicis solis, non item Sabbatis, prudenter hoc advertit, ut et Gangr. Synodus Can. 18 de ieiunio Dominicis duntaxat interdixit. Non enim ubique, nec in tota Ecclesia Sabbatum ieiunii expers fuit. Nec ignorabat Epiphanius aliter Romae et in plerisque Occidentis regionibus, quam in Oriente usurpari consuevisse. Etenim Romani, quod Socrates 5, 22 scribit, *πᾶν σάββατον νηστεύουσι*. De quo fusissime disputat August. Epist. 86 et Epist. 118 et in Annalibus Baronius ad Ann. 58. Quare nulla est ab Apostolis edita sanctio, qua ieiunium eo die prohiberetur, ut Augustinus asserit Epist. 118, ubi in rebus huiusmodi negat quicquam esse *vel Scripturae sanctae authoritate, vel universalis Ecclesiae traditione determinatum*, sed eius, in qua verseris, Ecclesiae consuetudini obtemperandum esse. Qua quidem praescriptione tanquam spurius et alienus Canon ille reiicitur, qui inter Apostolicos 68 numeratur: *εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον (πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου) καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. Clericus qui Dominico die, vel Sabbato (uno duntaxat excepto) ieiunare deprehensus sit, deponatur, Laicus excommunicetur.* Non potest hoc ab Apostolis communi esse decreto constitutum. Aut si Apostolicus iste Canon est, haec verba, *ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου*, ab otiosis Graeculis intexta sunt. Nec melioris notae sunt quae in Apost. Constit. leguntur 7, 24, ubi *τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς ἑορτάζειν* praecipit. Quod

ab Apostolis toti Ecclesiae nunquam esse praescriptum, sanctissimorum Patrum consensus approbavit. Alia est Ignatii ratio, qui ad Philippenses scribens, non universali Ecclesiae iura constituens, Epist. 4 ista pronunciat: *εἴ τις κυριακὴν, ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, οὗτος Χριστοκτόνος ἐστίν.* Graeculorum vero sane intolerabilis est fastus, qui in Pseudosynodo Trullana Can. 55 Romanam Ecclesiam damnant, quod
360 per Quadragesimam Sabbatis ieiunarent. Atqui Socrates lib. 5 c. 22 Romae scribit Sabbatis in Quadragesima ieiunatum non esse. Sed nimirum hallucinatus est, aut ad vocem *Ῥώμη* adiiciendum est *νέα*, ut *νέαν Ῥώμην* Constantinopolim appellet. Nam subinde refert *πᾶν σάββατον ἐν Ῥώμῃ νηστεύεσθαι.* De Sabbati ieiunio extant Occidentalium Synodorum Canones, ut Eliberitani 26 et Agath. 12, nec non et Innocentii primi Epist. 1 c. 4. Quem quidem ridicule admodum Scaliger lib. 7 de Emend. Temp. p. 641 scribit primum omnium instituisse ut Sabbato ieiunaretur. Quasi vero tanto ante Innocentium non illud Occidentales consuetudine, quae tacitae legis instar esset, observaverint. Neque vero Innocentius tam de Sabbati ieiunio praecepit quam caussas attulit, cur Sabbato ieiunandum videatur. Ad extremum, de Sabbati religionis inter Pseudodiataxes Apostolicas extat Petri ac Pauli nomine edita sanctio lib. 8 c. 33, *ut eo die ac Dominico servi ab opere feriati sint. ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας· σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας.* Hoc vero nunquam ab Apostolis manasse decretum apparet ex eo, quod Laodicense Concil. Can. 29 diserte vetat Sabbato otiosos esse Christianos. *ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς Ἰουδαΐζειν καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ σχολάζειν, ἀλλὰ ἐργάζεσθαι αὐτοὺς ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τὴν δὲ κυριακὴν προτιμῶντας, εἰ γε δύναιντο σχολάζειν, ὡς Χριστιανοί· εἰ δὲ εὑρεθεῖεν Ἰουδαΐσταί, ἔστωσαν ἀνάθεμα παρὰ Χριστῷ.* Dominicis potius quam Sabbatis vacare iubet, et addit tamen, si illorum commodo fieri potest. Ut nondum illis temporibus ab omni opere feriatos esse penitus constitutum fuerit, uti Zonaras et Balsamo ad illum Canonem adnotant.

τὴν δὲ τεσσαρακοστήν] Ad Quadragesimalis ieiunii consuetudinem ab Haereticorum calumnia vindicandam insignis hic

Epiphanii locus est. Quanquam ea res infinitis antiquorum Patrum ac Conciliorum testimoniis explorata adeo est, nihil ut impudentius ab hodiernis Haereticis irrideri repudiarique soleat. Consule quae in magnis Annalibus, atque ab aliis studiose collecta sunt, qui adversus Haereticos scripserunt. Sed mira quaedam in quadragesimalis ieiunii religione varietas apud antiquos extitit, de qua Irenaeus apud Eusebium 5, 24 et Socrates 5, 22. Qui quidem insigniter aberrat, dum Romae scribit tres duntaxat hebdomadas ante Pascha continuo ieiunari, excepto Sabbato ac Dominica. Quod supra refutatum est. Subiicit deinde sex ab aliis hebdomadas ante Pascha, ab aliis septem, ieiunio consecrari. Alios 15 solos dies per 7 hebdomadas dispensare. Qui omnes suum illum dierum numerum *τεσσαρακοστὴν* appellabant. Sane apud Photium c. 107 Basilius Cilix Nestorianus adversus Ioannem Scythopolitanum scribens obiicit inter caetera: *ὅτι τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν εἰς τρεῖς ἑβδομάδας συγκλείων, οὐδὲ ἐν ταύταις τῆς τῶν πτηνῶν κρεωφαγίας ἀπείχετο.* Fuit enim non minor in ciborum delectu abstinentiaque diversitas, de qua idem Socrates. Vide et Cassianum Collat. 21, Ambrosium Serm. 23 et sequentibus. Sozom. 7, 19. Epiphanius porro per *ἑπτὰ ἡμέρας τοῦ Πάσχα*, ante quas *τὴν τεσσαρακοστὴν* celebrari dicit, non eam hebdomadem intelligit, quae Pascha praecedit, uti postea cum *τὰς ἓξ ἡμέρας τοῦ Πάσχα* nominat, sed de Paschalibus 7 feriis loquitur, quas antecedit Quadragesimale ieiunium. Utrum vero apud Cyprios, ubi haec scribebat 361
Epiphanius, Sabbata quadragesimalibus ieiuniis exempta sint, non satis apparet. Ac videntur ex Romanorum aliorumque consuetudine etiam diebus illis ieiunasse, cum solos Dominicos dies excipiat. Profecto enim de Sabbatis minime tacuisset. Quanquam Sabbatorum ideo fortasse non meminit, quod non eandem apud omnes Ecclesias formam esse, consuetudinemque cerneret, neque quicquam super ea re sciret ab Apostolis esse praescriptum. Hic autem ritus eos solos complecti voluit, quos ab Apostolis toti Ecclesiae traditos, non certorum locorum peculiares esse crederet. Perperam vero Pamelius ad Tertull. librum adversus Psych. c. 15 hunc ipsum Epiphanii locum interpolat, et pro *septem dies*, haud dubie legendum, *septem hebdomadas*, affirmat. Frustra est, inquam. Etenim *ἡμέρας* est in Graeco,

non ἑβδομάδας. Et ἡμέρας intelligit quae a solenni Paschatis ineunt, ante quas ἡ τεσσαρακοστὴ solida decurrit.

τὰς δὲ ἐξ ἡμέρας τοῦ Πάσχα] Sex illis duntaxat diebus maioris, ut vocant, hebdomadae, Xerophagia Christianis imperata fuit. Atqui Laodic. Can. 50: δεῖ πᾶσαν, inquit, τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας. Et Balsamo ad Can. 69 Apost. non solum in quadragesima, sed etiam quarta sextaque feria ξηροφαγεῖν oportere docet: adeo ut ne aegrotis quidem aliud ciborum genus quam piscium indulgeatur, nec unquam carnibus, vel extremo vitae periculo, vesci liceat. Apud Socratem tamen 5, 22 ubi diversae quadragesimalis ieiunii consuetudines explicantur, non omnes Xerophagiam adhibebant. Sed alii piscibus tantummodo, alii avibus insuper utebantur, quos ex aqua procreatos perinde ac pisces Moyses narrat. Alii fructibus ovisque contenti, alii pane solo, alii ne hunc quidem sibi permittebant. A carnibus quidem universos abstinuisse praeter caeteros Augustinus contra Faustum scribit lib. 30. A carnibus et vino, Chrysost. Hom. 8 de Poenit. De carnibus etiam Spyridionis apud Sozom. historia confirmat lib. 1 c. 11, ut caetera praetermittam, quae sunt innumera. Postremis itaque Quadragesimae diebus sex Xerophagia lege quadam omnibus indicta. Quae quid sit, declarat Tertull. libro contra Psych. c. 1: *Arguunt nos*, inquit, *quod etiam Xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne et omni iurulentia et vividioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus, lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui.* Passim vero toto illo libro Xerophagias a Catholicis damnari significat, *quasi novum affectati officii nomen, et proximum ethnicae superstitioni, quales castimoniae Apin, Isidem et magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant.* Verum non omnes, opinor, tum a Catholicis damnatae Xerophagiae sunt, sed illae solum, quas certis temporibus, praeterquam ab Ecclesia constitutis, ex Montani disciplina servabant, quas idem author duabus hebdomadis definit c. 15: *Quantula enim est apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis et Dominicis, offerimus Deo.* Ubi non assentimur Pamelio, qui *hebdomadas* non pro *septem diebus*, sed pro totidem *hebdomadibus* accipi

putat, et de Telesphori sanctione, qua Tertullianus Clericus teneretur, nescio quid narrat, quod nullo modo persuadet. Nam si 14 hebdomadas Xerophagiis Montanus addixisset non illud usque adeo Tertull. elevans diceret: *Quantula est apud nos interdictio ciborum?* Quocirca duas alias a Quadragesima se- 362
iunctas ac diversas fuisse credibile est, in quibus Sabbatum ac Dominica dies eximeretur. Sozom. 7, 19 de diverso Quadragesimalis ieiunii dierum numero agens, Montanistas ait duas ante Pascha duntaxat hebdomadas ieiunare. Verum cum in secunda, hoc est proxima ante Pascha hebdomade, Sabbatum a ieiunio exemptum apud Montanistas non fuerit, ut Tertull. iam Montanista lib. contra Psych. narrat, non videntur ad duas istas hebdomadas totidem illae Xerophagiarum accommodari posse. In Const. Apost. 5, 17 eadem Xerophagia sex illis diebus observanda proponitur: *ἐν ταῖς ἡμέραις οὖν τοῦ Πάσχα νηστεύετε, ἀρχόμενοι ἀπὸ δευτέρας μέχρι τῆς παρασκευῆς καὶ σαββάτου ἐξ ἡμέρας, μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ, καὶ ἁλὶ, καὶ λαχάνοις, καὶ ποτῷ ὕδατι· οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε ἐν ταύταις.* Haec igitur Xerophagia pane, sale, aqua, et, si forte, etiam oleribus constabat. Ad haec c. 12 eiusdem libri Quadragesimale ieiunium a Paschali distinguitur: *ἐπιτελείσθω δὲ ἡ νηστεία αὐτὴ* (nempe Quadragesimalis) *πρὸ τῆς νηστείας τοῦ Πάσχα, ἀρχομένη μὲν ἀπὸ δευτέρας, πληρουμένη δὲ εἰς παρασκευὴν μεθ' ἃς ἀπονηστεύσαντες ἄρξασθε τῆς ἁγίας τοῦ Πάσχα ἑβδομάδος, νηστεύοντες αὐτήν. Celebretur Quadragesimale ieiunium ante Paschale, et incipiens a secunda feria desinat in Parasceuen, post quam soluto ieiunio sanctam Paschatis hebdomadem in ieiunio transigite.* Quadragesimalis porro illius ieiunii, quatenus a Paschali differt, initium haud scio an Constitutiones illae a Dominica Quinquagesimae, an Sexagesimae repetant. Prius enim illud initium ii sumpsisse videntur, qui 7 hebdomadas et ieiunio dicabant, cum alii sex duntaxat tribuerent, ita tamen ut utrobique sex duntaxat et triginta sese dies inedia macerarent. *Hi enim* (ait Cassianus Collat. 21 c. 27) *sibi sex hebdomadarum observantiam praefixerunt, qui putant die quoque Sabbati ieiunandum. Sex ergo in hebdomada ieiunia persolvunt, quae eosdem sex et triginta dies sexies revoluta consummant.* A Sexagesima vero Graeci

recentiores Quadragesimam auspicati sunt, uti plnribus ad Nicephorum ante aliquot annos disseruimus. Quo nimirum 40 solidos dies ieiunio tribuerent. Ambrosius Serm. 31 et 32 sex hebdomadis ac diebus 42 Quadragesimam definit, eosque qui Quinquagesimam pro Quadragesima ieiunarent redarguit.

Caeterum tam de hoc Paschatis ieiunio quam de Quadragesima Timotheus Alexandrinus Episcopus intelligi potest in Canonicis Responsis, Interrog. 8 et 10. Quarum in priore quaeritur utrum puerpera Pascha ieiunare debeat, an ei vini usus indulgeatur. In posteriori de aegroto dubitatur an similiter Paschatis ieiunio teneatur, atque oleum et vinum adhibere possit. Qua ex posteriori quaestione Balsamo colligit: *ὅτι ἡ νηστεία τῆς τεσσαρακοστῆς τοῦ Πάσχα ξηροφαγία ἐστί· ἀλλὰ καὶ οἴνου ἀποχή.* Addit tamen nonnullos in utroque Canone hebdomadae sanctae ieiunium, non quadragesimae totius intellexisse. Epiphanius quoque in Aërianis Haeres. 75, 3 de hac hebdomada loquens, *ἔν τε ταῖς ἡμέραις τοῦ Πάσχα*, inquit, *ὅτε παρ' ἡμῖν χαμευνίαι, ἀγνεῖαι, κακοπάθειαι, ξηροφαγίαι, εὐχαί, ἀγρυπνίαι τε καὶ νηστεῖαι καὶ πᾶσαι τῶν ψυχῶν αἱ σωτηρίαι* etc. Idem et Haeresi 70, 12. Hebdomadam illam Paschatis *ξηροφαγίας ἑβδομάδα καὶ τοῦ Πάσχα* nominat. Vide et c. 14. Nec illud praetermittendum est, uti Pascha pro tota
363 Quadragesima, aut pro ultima saltem illius hebdomada sumitur. Veluti cum Timotheus *νηστεῦσαι Πάσχα* dixit: ita nonnunquam certum eiusdem hebdomadis diem significare, ut apud Tertull. lib. de Orat. sub finem: *Sic et die Paschae, quae communis et quasi publica ieiunii religio est, merito deponimus osculum.* Qui dies, Parasceue sancta, qua Passionis memoria celebratur ac *Πάσχα σταυρώσιμον* esse videtur, idemque forte, quem unicum ieiunio diem a nonnullis dicatum fuisse Irenaeus ad Victorem scribit, Eusebio teste 5, 24: *οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας.*

1105 c. *ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς*] Dionysius Alexandrinus Epistola ad Basilidem: *ἐπεὶ μηδὲ τὰς ἐξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσως, μηδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν. ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασιν, ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας, οἱ δὲ οὐδεμίαν.* Epiphanius

eodem, quo Dionysius, verbo utitur, nimirum *ὑπερτίθεσθαι*. Quod est *cibum differre*. Hinc ieiunium *superpositio*, nisi fallor, a Latinis vocatur, ut in Eliberit. Conc. Can. 26: *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die ieiuniorum superpositiones celebrentur.* In Constit. Apost. 5, 17: *τὴν μέντοι παρασκευὴν καὶ τὸ σάββατον ὁλόκληρον νηστεύσατε, οἷς δύναμις πρόσεστι τοιαύτη, μηδενὸς γευόμενοι, μέχρις ἀλεκτοροφωνίας νυκτός· εἰ δέ τις ἀδυνατεῖ τὰς δύο συνάπτειν ὁμοῦ, φυλασσέτω κἂν τὸ σάββατον.* Caussam subiicit, quod his diebus ablatus sit sponsus. Quam et Tertull. attigit lib. contra Psych. c. 8: *Ecce enim convenio vos et praeter Pascha ieiunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus.*

καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀπὸ ἑνάτης] Utrum omnibus Quadragesimae diebus Synaxes celebrari dicat, dubitari potest, an illud potius velit, tam sex illas Paschalis et maioris hebdomadae, quam caeteras Quadragesimae Synaxes, quibuscumque tandem diebus obeantur, a nona ad vesperam usque frequentari. Hoc vero certum est ex iis Epiphanii verbis, ieiunium in Quadragesima non ante vesperam atque occasum Solem a fidelibus solutum. Cui consentaneum est, quod cum de Synaxibus ageremus, ex Tertulliano docuimus: Stationes ob id *semiieiunia* vocari, quod ad horam nonam usque prorogarentur, cum maiora, cuiusmodi Quadragesimal a fuere, non ante lucis exitum desinerent. At Constit. Apost. 5, 18 nona vel vespera pro cuiusque viribus vesci iubet: *ἐν δὲ ταῖς λοιπαῖς ταῖς πρὸ τῆς παρασκευῆς ἑνάτην ὥραν, ἢ ἑσπέραν ἕκαστος ἐσθιέτω, ἢ ὅπως ἄν τις δύναιτο.* Ambrosius Serm. 26: *Rogo vos, fratres carissimi, ut in isto legitimo tempore, exceptis Dominica et Sabbato diebus, nullus ante nonam prandere praesumat, nisi forte quem ieiunare infirmitas non permittit. Quia aliis diebus ieiunare aut remedium, aut praemium est, in Quadragesima vero non ieiunare, peccatum est.* Qui quidem sermo totidem verbis apud Augustinum legitur, estque Sermo de Temp. 62. Sed de Sabbato verbum nullum. Sed hoc solum, *ut exceptis Dominicis diebus, nullus prandere praesumat.* Quod idem est ac si ante nonam vesci prohiberet. Quia prandium ante horam sextam capiebatur. Vide August. Epist. 86. Ita Cassianus Collat. 21 c. 23 vel Theonas apud illum admonet,

ut in diebus festis, *cibus, qui hora diei nona fuerat capiendus, paulo citius, id est sexta hora pro festivitatis tempore capiatur.* At priscis temporibus non ante vesperam cibum capere consueverant, id quod insuper Theophili Alexandrini locus ille confirmat, quem supra discussimus. Posteaquam vero ad
364 horam nonam vescendi tempus a vespera translatum est, tum sublatum illud discrimen arbitror, quod hactenus inter stationes et ieiunia fuisse vidimus. Indeque est, quod Ambrosius Serm. 36 ieiunia *Quadragesimae stationes* appellari dixit.

Ἐν τισι δὲ τόποις τῆς μετὰ τὴν πέμπτην] *ἀπονηστισμὸς* est *ieiunii solutio*, et *ἀπονηστίζεσθαι ieiunium solvere.* Nec aliter in Graeco Hippolyti Canone verbum illud accipitur, cum ait: *ἀπονηστίζεσθαι δὲ δεῖ οὗ ἂν ἐμπέσῃ κυριακή.* Tametsi Scaliger in Notis ad illum Canonem, *ἀπονηστίζεσθαι* putat esse *transferre ieiunium.* Quod minime procedit. Tempus vero dissolvendi ieiunii, sive hora *τοῦ ἀπονηστισμοῦ* multiplex fuit. Constit. Clem. 5, 19: *τῷ δὲ σαββάτῳ μέχρις ἀλεκτοροφωνίας παρατείνοντες, ἀπονηστίζεσθε ἐπιφωσκούσης μιᾶς τῶν σαββάτων, ἥτις ἐστὶ κυριακὴ ἀπὸ ἑσπέρας ἕως ἀλεκτοροφωνίας ἀγρυπνοῦντες καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συναθροιζόμενοι γρηγορεῖτε.* Iubet Quadragesimale ieiunium solvi ad gallicinium, ut et superiori capite. Dionysius Alexandrinus ad Basiliden, reprehendit eos, qui paulo ante mediam noctem post Sabbatum ieiunium dissolvunt, *ὡς ὀλιγώρους καὶ ἀκρατεῖς.* Eos autem commendat, qui usque ad quartam custodiam sustinent, nec eos magni faciendos ait, qui ex illis maioris hebdomadae sex diebus, prioribus quatuor sine ieiunio transactis, Parasceuen et Sabbatum sine ullo cibo traducunt, quod *ὑπερτιθέναι* nominat. Fuit enim hoc veteribus Christianis familiare, biduum illud absque cibo perseverare et in Ecclesia precibus ac vigiliis insistere. Sexta Synodus in Trullo Can. 91: *τὰς τοῦ σωτηρίου πάθους ἡμέρας ἐν νηστείᾳ καὶ προσευχῇ καὶ κατανύξει καρδίας ἐπιτελοῦντας χρὴ τοὺς πιστοὺς περὶ μέσας τῆς περὶ τὸ μέγα σάββατον νυκτὸς ὥρας ἀπονηστίζεσθαι.* Ad quae Balsamo dubitat, an illud praecipiatur, triduum, quod est *μετὰ τὴν τετράδα*, quodque Passioni praecipue dicatum est, adusque mediam noctem ante Dominicam Paschalem ieiunos

persistere, an de uno duntaxat Sabbato caveatur, in quo rigidior ac severior esse ieiunii disciplina debeat.

1105 d. ἔν τισι δὲ τόποις λατρεία τῆς οἰκονομίας] λατρείαν τῆς οἰκονομίας *Divinum et incruentum sacrificium* appellat, ut et paulo post disiuncte λατρείας καὶ οἰκονομίας et in Aërianis, Haer. 77: τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας, hoc est *Missam*. Nam λατρεία Divinus cultus atque officium est, quod sacrificio praestatur. οἰκονομία Incarnationis, Passionisque Dominicae mysterium significat, cui repraesentando institutum illud est a Deo sacrificium. Etsi in Aërianis c. 3 simpliciter οἰκονομίαν, hoc est Mysterium vocat. Porro feria quinta Dominicae Passionis in quibusdam Ecclesiis ἀπονηστισμὸς fuit ac ieiunii relaxatio, ut August. indicat Ep. 118 c. 4. Quod Laodicena Synodus usurpari vetuit Can. 49: ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ τῇ ὑστέρᾳ ἑβδομάδι τὴν πέμπτην λύειν καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀτιμάζειν· ἀλλὰ δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας. Ex quo notabis obiter, Passionis hebdomadem Quadragesimae partem esse, non ab illa distinctam. Trullana quoque Synodus Can. 29, quod in Carthaginiensi Concilio de feria illa quinta nominatim exceptum fuerat: *Ut sacramenta altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo coena Domini celebratur*, (qui est Carth. 3 Can. 29) abrogavit, vetuitque illo die solvi ieiunium. At Augustinus in Epistola proxime citata nonnullis in Ecclesiis morem fuisse declarat, *ut bis quinta Sabbati hebdomadae ultimae quadragesimae et mane et ad vesperam offerretur*, quod improbandum esse negat. Quod ipsum olim in vetere Ecclesia caeteris diebus usitatum fuisse indicat Cy- 365
prianus Epist. 63 Edit. Pam. Ubi nonnullos reprehendit, qui in matutinis sacrificiis aquam solam adhibebant, *ne per saporem vini redolerent sanguinem Christi*. Quos ita castigat: *At illa sibi aliquis contemplatione blanditur, quod etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad coenandum venimus, mistum calicem offerimus, sed cum coenamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus, ut Sacramenti veritatem fraternitate omni praesente celebremus*. Bis igitur sacrificia celebrari solebant, mane, et quidem publice, tum privatim sub vesperam.

καὶ οὕτως ἀπολύει] ἀπόλυσις est *Missa*, sive *missio*, cum Diaconus re sacra confecta populum dimittit. Quare subaudiendus est ὁ *Διάκονος*.

ἐν τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ] Proprie μεγάλη ἡμέρα Pascha nominatur. Ut in Ancyrano Can. 6: ἔδοξε μέχρι τῆς μεγάλης ἡμέρας εἰς ἀκρόασιν δεχθῆναι. Et quoniam in illustrandis veteris Ecclesiae ritibus navatur a nobis opera, de uno alterove Lectorem admonebimus, qui per solennes Paschatis ferias usurpari solebant. Qui etsi ad Epiphanium nostrum nihil admodum pertineant, alias tamen habent opportunitates, ob quas illorum non praetermittenda mentio videtur. Primum igitur per illos dies a Christianis Imperatoribus vincti captivique e carcere mittebantur. Monachi Eutychis Haeretici in libello supplici ad Pseudosynodum Ephesinam, in Actis Chalcedon. Concilii, de die Paschatis loquentes: καθ' ἣν (inquiunt) λύεται μὲν τοῖς πλείστοις τῶν ἡμαρτηκότων ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν τὰ ἐπιτίμια· λύεται δὲ παρὰ τῶν βασιλευόντων ἐπὶ τῶν ἐγκλημάτων τὰ δεσμὰ τοῖς ὑπευθύναις. Extat eadem de re Impp. Valentiniani, Valentis et Gratiani rescriptum l. 3 de Indulg. Cod. Theodosiani: *Ob diem Paschae quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus astringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus.* Huius nobis commemorandae consuetudinis occasionem dedit Themistiana quaedam oratio, cuius argumentum hactenus ignoratum, nec a nobis etiam in novissima nostra editione satis intellectum, plurimum huic observationi debebit. Ea est inter Themistianas ordine quinta, in qua Theodosii senioris clementiam humanitatemque praedicat. Quam quidem orationem vulgo persuasum erat omnibus ad Antiochensem illam procellam calamitatemque referri, quando ob delectas populari seditione Placillae statuas exulceratus Imperatoris animus et ad vindicandam maiestatem inflammatus Flaviani Praesulis legatione mitigatus est. Sed nos necessariis quibusdam rationibus in Themistianis notis ostendimus, alio, quam ad Theodosianum illud factum, spectare Themistium, neque tamen cuiusmodi facinus illud esset, extricare tum potuimus. Quare ita disputationem clausimus: *Habent igitur eruditi viri atque historiae studiosi, in quo quaerendo atque enucleando ingenium suum exerceant.* Quod sane merito tum a nobis est factum. Postea vero dum

Chrysostomi Hom. 20 ad Populum Antiochenum percurrimus, in qua de Flaviani legatione et impetrata ab Imper. venia gratulatur, veram Themistianae illius Orationis historiam et argumenti summam non sine ingenti animi fructu ac voluptate didicimus. Cum enim habitam a Flaviano ad Theodosium orationem ac deprecationem explicat, sic eum inter caetera loquentem inducit: *καὶ τί χρὴ λέγειν Κωνσταντῖνον καὶ τὰ ἀλλότρια παραδείγματα, δέον οἰκοθέν σε καὶ ἐκ τῶν σῶν παρακαλεῖν κατορθωμάτων, μέμνησαι πρώην, ὅτε τῆς ἑορτῆς ταύτης* 366 *καταλαβούσης ἐπιστολὴν ἔπεμψας πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης κελεύουσαν τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἀφεῖναι καὶ συγχωρεῖν αὐτοῖς τὰ ἐγκλήματα, καὶ ὡς οὐκ ἀρκούντων ἐκείνων δεῖξαί σου τὴν φιλανθρωπίαν, ἔλεγες διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι εἴθε μοι δυνατὸν ἦν καὶ τοὺς ἀπελθόντας πάλιν λέσαι καὶ ἀναστῆσαι καὶ πρὸς τὴν προτέραν ἀναγαγεῖν ζωήν.* ***Quanquam quid attinet Constantinum, aut aliorum exempla memorare, cum te domesticis tuis rebus ac factis incitare oporteat? Meministi nuper, cum eodem illo appetente festo, literas toto terrarum orbe misisti, quibus eos omnes, qui in carcere erant, dimitti, eisque condonari crimina iussisti. Tum perinde ac si nondum haec testificandae humanitati tuae sufficerent, in haec verba scripseras: utinam ego mortuos ad vitam revocare atque excitare possem!*** Quod est ipsissimum benignitatis clementiaeque specimen, quod Themistius in illa oratione praedicat, aliquanto ante Antiochenum illud editum, cum adhuc Placilla viveret, ut ex Oratione ipsa constat. Nec potui tam illustrem historiam tamque luculentam ad Themistium nostrum accessionem tacitus praetermittere. Commodiorem autem, ubi hanc intexerem, locum, quam hunc ipsum, habui nullum. Alter non tam ritus quam rituum ac disciplinae corruptela fuit, ut iisdem diebus Catechumenis extraordinaria quaedam sacramenta permitterentur. Quae cuiusmodi fuerint non nondum liquet. In Carthag. quidem Conc. 3 Can. 5 mos ille abrogatur his verbis: ***Item placuit ut per solennissimos Paschales dies sacramentum Catechumenis non detur nisi solitum sal. Quia si fideles per illos dies sacramenta non mutandi, nec catechumenis oportet mutare.*** Cum sal Catechumenis praeberi consuetum esset, appetentibus Paschatis feriis extraordi-

narium quiddam concessum illis est. Non utique Eucharistia; nec enim tantum insaniisse quenquam arbitror. Neque vero per Sacramentum intelligi puto symbolum. Sed panem ipsum ac vinum, ex quo Eucharistia consecrata fuerat. Nam reliquiae panis et vini, quae a fidelibus ad sacrificium celebrandum oblata fuerant, nonnunquam in Catechumenos distribuebantur. Quod amplius usurpari vetat Theophilus Alex. Can. 8: *τὰ προσφερόμενα εἰς λόγον θυσίας μετὰ τῶν ἀναλισκομένων εἰς τὴν τῶν μυστηρίων χρείαν οἱ κληρικοὶ διανεμιάσθωσαν, καὶ μήτε κατηχούμενος ἐκ τούτων ἐσθιέτω ἢ πινέτω, ἀλλὰ μᾶλλον οἱ κληρικοὶ καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς πιστοὶ ἀδελφοί.* Ad quem Canonem Balsamo scribit: oblationes illas panem et vinum esse, ex quibus partes illae sumptae sunt (*μερίδας* vocat, uti Graeci ferme consueverunt), quae a Sacerdote consecrantur. Ex quo fit ut reliquiae ipsae quodammodo sanctificatae sint, nec in profanos dividendae. Has reliquias Carthag. Synodus Sacramenta vocat, quod ex illis Sacramenta fierent, uti nos *hostias* vulgo *τὰς μερίδας*, sive *particulas* etiam ante consecrationem appellemus. Quanquam et Sacramenta scio etiam absolute pro quibuslibet mysticis signis usurpari, adeoque pro sale ac caeteris, quae Catechumenis dabantur. Aug. lib. 2 de Peccat. meritis c. 26: *Et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi* (de Catechumenis loquitur) *sanctum est tamen et sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est.* Quae Augustini verba utrum ad panem vinumque, ex quo Eucharistia confecta iam erat, referri debeant, cogitandum amplius est. Cum igitur fideles eadem diebus omnibus Sacramenta, hoc est Eucharistiam, quae fidelium propria est, usurpent, non debent (aiunt Carthaginenses Patres) Catechumeni propria ordinis sui ac status sacramenta mutare, neque aliquid praeter salem accipere.

367 *τὰ δὲ ἄλλα μυστήρια*] Caute ac circumspecte de Sacramentis et interioribus mysteriis mentionem aspergit. Ita complures veterum cum de Sacramentis, eorumque formis disserunt, consulto rem obscurant, neque plena apertaque voce declarant. Pauca, quae ad manum mode sunt, exempla producam. August. Ep. 57 ad Dardanum: *Nosti autem in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro.* Innocentius primus Ep. 1

ad Decentium de Sacramento Confirmationis: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere.* Sic Epiphanius aliquoties de Eucharistia timide obscureque locutus est.

1106 a. *ἐπὶ δὲ τῶν τελευτησάντων*] De orationibus et sacrificiis, quae pro mortuis ab Ecclesia celebrantur insignis ac memorabilis hic locus est. Sed multo copiosius atque expressius in Aërianorum Haeresi ritum illum Ecclesiae pertractat, quae est Haer. 75 c. 7. Nam Aërius eodem, quo Haeretici nostri, furore amentiaque percitus mortuorum ad altare commemorationem, fusasque pro illis preces et sacrificia deridebat, contra quem Epiphanius luculentissime disputat: *ἀφελεῖ δέ*, inquit, *καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη, εἰ τινὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτοι. Quae pro mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant.* Quod pluribus exequitur August. libro de cura pro mort. ag. cap. ubi quaenam peccatorum genera in mortuis precibus illis et sacrificiis expiari possint, edisserit. Et paulo ante: *In Maccha-bäeorum*, inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et cap. ult.: *Quae cum ita sint, non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solenniter supplicamus, quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed iis tantum, quibus dum vivunt, comparatur ut prosint.* Frequentissima est et illius consuetudinis apud Cyprianum mentio. Ut in Ep. 66, in qua decretum ait in Concilio, *ut si quis moriens Clericum tutorem reliquisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Vetatque mox deprecationem pro eo ullam ad altare fieri. Tertull. de Cor. Mil. c. 3: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die fatimus*, et alibi saepe. Eusebius lib. 4 de Vita Constantini, cum de eius funere scribit: *τά τε τῆς ἐνθέου λατρείας δι' εὐχῶν ἀνεπλήρουν.* λατρείαν appellat altaris Sacrificium: mox, *σὺν πλανθμῷ δὲ πλέονι τὸς*

εὐχὰς ὑπὲρ τῆς βασιλέως ψυχῆς ἀπεδίδοσαν τῷ θεῷ. Athan. Quaest. ad Antiochum Quaest. 34 cum quaesitum esset, utrum mortuorum peccatorum animae beneficia in se collata sentirent, γινομένων ὑπὲρ αὐτῶν συνάξεων καὶ εὐποιϊῶν καὶ προσφορῶν, respondet: τὰς τῶν ἁμαρτωλῶν ψυχὰς μετέχειν εὐεργεσίας τινὸς ἐκ τῆς ὑπὲρ αὐτῶν γενομένης ἀναμίκτου θυσίας καὶ εὐποιΐας. Alioqui si nihil haec ipsis prodessent, οὐκ ἂν ἐν τῇ προσκομιδῇ ἐμνημονεύοντο, hoc est in oblatione. Nam προσκομιδὴ est *prosphora*. Male autem Interpres, *in cura et exequiis*. Scripserat idem Athanasius λόγον εἰς τοὺς κοιμηθέντας, cuius meminit Damascenus in eiusdem argumenti oratione et Balsamo ad Can. 4 Apost. Citatur et Epiphanii locus ex Opere quodam *in Proverbia* apud Anastasium Nicenum Quaest. 20 in Scripturam, in quo preces pro mortuis commendantur.
368 Qui locus totidem fere verbis sparsim in hoc Opere continetur. De mortuorum praeterea commemoratione in salutaribus sacris meminit Concilium Vasense Can. 2 et Carthag. 3, Can. 29, et 4, Can. 79, ut alia infinita praetermittam, maximeque Graecorum ac Latinorum antiquissimas Liturgias. Luculentissimus vero est alter ille Epiphanii locus Haer. 75 c. 7, in quo mortuorum duplicis generis commemorationem in Sacrificio fieri docet, iustorum et peccatorum. Horum quidem, uti divinam pro illis misericordiam imploremus: iustorum autem ac sanctorum, ut singulare Christi Domini privilegium agnoscatur, qui ab reliquorum mortalium conditione segregatur. De Martyrum commemoratione passim loquitur Cyprianus, ut in Ep. 34: *Sacrificia pro eis*, inquit, *semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Quod ad memoriam praedicationemque Martyrum debet referri, quemadmodum et in eorum memorias altaria constituebantur. Augustin. lib. 20 contra Faustum c. 21 adversus Manichaeos disputans, qui similiter atque hodierni στασιῶται memorias Martyrum in Idola convertere Catholicos impudentissime criminabantur, his verbis utitur: *Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat et ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur. Ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memorias*

Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? etc.

ἑωθινοί τε ὕμνοι ἐν αὐτῇ] De Matutino ac caeterarum horarum officio diligenter in Annalibus et ab aliis disputatur. De Lucernalibus Psalmis hoc adscribimus: Socratem 5, 22 eas appellare *τὰς ἐν ταῖς λυχναψίαις εὐχάς*. Qui ibidem addit, in Cypro ac Caesareae, Sabbato et Dominica *ἀεὶ περὶ ἑσπέραν μετὰ τῆς λυχναψίας τοὺς Πρεσβυτέρους καὶ Ἐπισκόπους τὰς γραφὰς ἑρμηνεύειν*. Concil. Tolet. 1 Can. 9 *Lucernarium* appellat. Vetat enim *professas, aut viduas domi suae antiphonam cum confessore, vel servo suo facere, absente Episcopo, vel Presbytero. Lucernarium vero,* inquit, *nisi in Ecclesia non legatur.* De Nonis et Vesperis Laodic. meminit Can. 18. Vide et Tertull. lib. contra Psych. Agathense Can. 30.

DIONYSII PETAVII E SOCIETATE IESU ANIMADVERSIONES AD ANCORATUM EPIPHANII.

AD EPISTOLAM PALLADII.

3 a. *τῆς αὐτῆς πόλεως Σονέδρων πολιτευομένου*] ὁ *πολιτευόμενος* nonnunquam est *Curialis et Senator*, ut in Epist. 290 Basilii, quae inscripta est *πολιτευομένοις Κολωνείας*, *Senatoribus ac Duumviris*. Ita in Chalced. Syn. Act. 3 in Libello Sophronii contra Dioscorum: ubi queritur Sophronius uxorem sibi ereptam *παρὰ Μακαρίου τοῦ πολιτευομένου τῆς μεγάλης Ἀλεξανδρείας*. Verum hoc loco *Senatorem*, aut eiusmodi aliquid vertere religio fuerat, quod ex rescripto Epiphanii Monachum hunc esse cognoram. Nunc occurrit, ex Curiali et Senatore vitae genus illud amplecti potuisse Palladium. Quare Senatorem aut curialem appellasse videtur.

AD ANCORATUM.

7 d. *καὶ Θεὸν Θετὸν λέγουσι*] Apud Epiphanium vox *Θετὸς* sic interdum usurpatur, ut per *adoptivum* satis exprimi commode nequeat, idemque sit ac *fictum et opinione sola constans*.

13 a. *ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ*] Multis hoc in Opere locis Epiphanius Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere disertissime profitetur. Quod adversus Graeculos in promptu est habendum. Vide pagina seq. Item c. 11 ubi Spiritum a

Filio procedere scribit. Idem docet in Pneumatom. Haeresi 74, 7 et 8.

14 b. *ἴδει τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων*] Vides ut haec Matth. 16: ***Et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam***, ad Petrum ipsum referat, supraque illum fundatam Ecclesiam asseveret.

36 c. *καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ*] Irenaeus 1, 17.

37 b. *ἄνθρωπος γάρ ἐστι*] De hoc Hieremiae loco iam supra in Panario monuimus, parum belle de Christo accipi, etsi ad eum sensum plerique Graecorum referant, quos reprehendit Hieronymus.

37 d. *ὁ δὲ ταπεινοφρονῶν*] Contrarium docet idem Hie- 370
ronymus ad hunc locum: *Non humilitatis*, inquit, *est, sed superbiae, quod non vult signum a Domino postulare etc.* Mox: *Ergo quasi Idolorum cultor, qui in omnibus angulis platearum, in montibus, locisque nemorosis aras constituerat et pro Levitis habebat fanaticos, non vult signum petere, quod constitutum est.* Nec Hebraeorum magistri ab Hieronymo dissentiunt. R. David author est, licet Achaz verbis ipsis credulitatem ac religionem prae se ferret, tamen Prophetam, qui illius intima perviderit, intellexisse: מי לא אמר אלא מימיעוט האמונה כאומר איני חושש לנסותו בזה. *Quoniam ista non dixit, nisi ob exiguam fidem, quasi diceret: non curo tentare illum hac in re.* R. Selomo haec Achazum cogitasse scribit: *Nolo Deum per me hac ratione sanctificari.* Aben Ezra putat Achazum ideo non postulasse, quod Deum praestare ista non posse crederet. Basilius ad Epiphanii mentem propius accedit. Vult enim Achazum ideo petere noluisse ne mandatum illud violaret: *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

48 b. *εἰ σοφία πατήρ ἐστι*] Legendum pro eo atque interpretati sumus, *εἰ σοφία πατρός ἐστιν ὁ υἱός, κατὰ δὲ τὸν ἐκείνων νοῦν* etc.

53 a. *πάλιν ὡς ἐπὶ μελλόντων*] Non satis explicata mihi est huius loci sententia. Mox pro *καὶ τότε ἐν τοῖς ᾄσμασι*, for. *κατὰ τὸ ἐν τοῖς*.

54 b. *τέσσαρά εἰσιν εὐαγγέλια*] Totidem in *κεφάλαια* distributa erant Evangelia quatuor, ut ex Eusebiano Canone constat, quem Hieronymus expressit. Quanquam uno amplius

apud ipsum sit. Nam Matthaei capita sunt 355, Marci 233, Lucae 343, Ioannis 232. Colliguntur capita 1163.

54 d. *καθέζεται καὶ ἐν ναῷ*] ναὸς, ut opinor, hic est *Augustale*, vel quippiam aediculae instar, in quo Principis solium ponitur. Sic *ναοὺς* Graeci *armaria* vocant, cuiusmodi in atriis erant, in quibus gentilitiae imagines collocabantur. Haec enim *ναΐδια* Polybius appellat. Qua notione quidam illud Act. 19, 24 scriptum accipiunt: *Δημήτριος γάρ τις ὀνόματι ἀργυροκόπος ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδι*, *faciens aedes argenteas Dianae.*

55 a. *ἀλλά φασι, τί οὖν λέγεις*] Augustinus Tomo 6 lib. contra Serm. Arian. c. 1 idem illud ab Arianis obiectum refellit: hac enim instantia illos urget: *Sed ut noverint quam inania loquantur, etiam ipsi interrogandi sunt, utrum Deus Pater volens, an nolens sit Deus. Non enim audebunt dicere, nolle se esse Deum. Si ergo responderint, quod volens sit Deus, eo modo illis inferenda est vanitas sua, qua dici potest prior illo esse voluntas eius, quo quid dicitur stultius?*

57 b. *ἀλλὰ μὴ πάλιν δραματουργῶν*] In ea sententia Epiphanius esse videtur, ut Prophetae ac Patriarchae veteres Deum ipsum corporeis oculis viderint, etsi minime comprehenderint. Quae opinio, si Deum ipsum oculis usurpatum existimet, falsissima est. Quanquam scio dubitatum a Patribus nonnullis, utrumnam beati corporeis oculis Deum intuerentur, ut ab Augustino. Quem consule de Civit. Dei 22, 29 et Epist. 111 et 112.

57 d. *δόξα τῷ παντοκράτορι*] In illo Apostoli testimonio, quo se tertium in coelum usque translatum asserit, sunt qui Paradisum a coelo discernentes, eundem illum locum esse sentiant, e quo primus parens eiectus est et in quem Latro, pro eo ac Christus promiserat, receptus est. Ita Theophylactus et alii quidam Interpretes ac Patres, quibus favet Epiphanius. 371 Sed communis aliorum sententia verisimilior est, Paradisum pro coelesti gloria et suavissima quadam voluptate sumi, neque veterem illum amoenitate ac delitiis refertum locum amplius in rerum esse natura.

59 a. *ἡμεῖς δὲ ἀπεριέργως*] In quo posita Dei in homine sit imago, neque definit Epiphanius, neque certo sciri

posse putat. De quo varie a Patribus pronunciatum est. Vide quae Perrerius noster ac caeteri Interpretes ad illum Geneseos locum attulerunt.

60 a. *ὁρῶμεν γὰρ ὅτι ἔλαβεν*] Eximius hic locus est ad Dominici corporis astruendam in Eucharistiae Sacramento praesentiam: *ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος καὶ τῆς σωτηρίας.* Cuius sententiae vim ac pondus effugere nequeunt hodiernae fautores haeresis.

60 c. *ὁ δὲ παράδεισος, φησὶν, ἐν Ἐδέμ*] Quae de Paradiso Genesis historia prodidit, allegorice interpretatus erat Origenes, quemadmodum in eius Haeresi ex Methodio declaratum est pluribus. Ita etiam Philo et ex nostris Ambrosius libr. de Parad. c. 3. Sed hanc Origenis opinionem vulgo Patres alii repudiant, qui Paradisum verum aliquem in terra locum extitisse censent. Tametsi ubi tandem ille fuerit, magna inter eosdem sententiarum varietas fuit. Sed a recentioribus eruditis Geographis disceptata illa quaestio est, ac Paradisi sedes ex Mosis descriptione certo constituta. Nam quatuor illa flumina et ex eis potissimum duo, opinionum ac commentorum licentiam coërcent.

ὄνομα τῷ ἑνὶ Φεισών]. Mirifica istic Geographia est. Phison idem, inquit, est cum Gange, qui Indus a Graecis appellatur. Is maiorem Aethiopiam permeans et ad Austrum conversus in Gaditanum Oceanum erumpit. Quod Phison sit Ganges, omnium prope veterum opinio fuit, quae est ipsa tamen minime probabilis. Nam Phison est Pasitigris et Tigris alveus. Indum vero cum Gange permiscere et eundem in Gaditanum Oceanum per Aethiopiam circunducere nimis est absurdum.

60 d. *διαπερᾷ δὲ τὴν μεγάλην Αἰθιοπίαν*] Multiplex apud antiquos erat Aethiopia. Altera in Asia ad Indum, sive, ut alii volunt, Gangem fluvium: altera in Africa, eademque Ptolemaeo duplex: una cui *sub Aegypto* cognomen attribuit, altera interior. Haec autem, quae ab Epiphanio *magna* dicitur, quamque Phison perlabitur, inextricabilis est. Sed Asianam intellexisse videtur. Nam Aegypto subiectam alteram *μικρὰν* appellat. Sane Arabiae pars *Chus*, hoc est, Aethiopiae nomine, in sacris literis comprehenditur. De qua fortean accipiendus Epi-

phanius. Sed *μεγάλην* utique nominare non debuit. Aliter Aethiopiam in Orientalem et Occidentalem dividunt Strabo, Ptolemaeus et alii, interfluente Nilo. Sed ea divisio nihil ad hunc locum pertinet.

οὗτος γὰρ ὁ κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν] Secundus fluvius est גיחון *Gihon*, LXX *Γεών*. Quem Nilum esse plerique Patres existimarunt, interque caeteros Epiphanius cum hic, tum Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum. Sed immerito, uti Perrerius noster aliique demonstrant, quorum accuratissimi sunt de re commentarii. In illo vero Hieremiae loco Hebraice est מי שיחור *aqua Sihor*. Hieronymus *aquam turbidam* vertit.
372 Nam שיחר est *nigrescere, turbidum esse*. Graeci *ὕδωρ Γηῶν*. Theophilus lib. 2 ad Autolycum a Geone propagari Nilum asserit.

61 a. *τρίτος, φησὶ, ποταμός*] Vide Plin. 6, 27.

63 a. *Αὔγουστος δὲ ἐβασίλευσεν*] Eandem Romanorum Impp. seriem accuratiorem et castigatiorem exhibet lib. de pond. et mensuris. Quem ad locum singula illorum tempora discutiemus. Nunc vero carptim mendosa quaeque notabimus. Scribe igitur imprimis in annis Augusti *πεντήκοντα* pro *ἑξήκοντα*.

63 b. *Δομετιανὸς ὁ ἀδελφός*] Leg. *ἔτη ιε'*.

μετὰ Δομετιανόν] Cor. *ἔτος ἓν, μῆνας δ'*.

Κόμοδος ἔτη ιδ'] Solus tredecim fere annos, cum patre annos tres cum aliquot mensibus.

Περτίναξ ἔτη ϛ'] Ne menses quidem totidem imperavit. Sed *μῆνας* tamen rescribendum. Ita enim, in lib. de mens. et pond.

63 c. *Ἀντωνῖνος ἄλλος ἔτη β'*] Imo fere tres.

Ἀλέξανδρος οὐχ ὁ Μακεδὼν ἔτη γ'] Emenda *ἔτη ιγ'*.

63 d. *Αὐρίλλιος ἔτη ιδ'*] Nomen illi L. Domitius Aurelius Valerius Aurelianus. Sed annum sextum vix attigit.

μετὰ Διοκλητιανὸν Μαξιμιανός] Collega Maximianus Herculius. Successor Galerius Maximianus Armentarius. Sed perturbatissima sunt quae sequuntur. Nam Licinium Constanti et Constantino praeponit. Vide quae ad lib. de mensuris adnotamus.

64 a. *ἕως τοῦ ἐνιαυτοῦ μετὰ τὸ τελευτῆσαι*] Caesus est Gratianus Merobaude et Saturnino Coss. ait Socrates 5, 11,

anno Christi 384. Ad quem annum nondum pervenerat Epiphanius. Nam hunc ipsum, quo scribebat, ait esse 90 Diocletiani, Indict. 2, Gratiano 3 et Equitio Coss. Hic est annus Christi 374. Quare emblema istud otiosi cuiusdam nugatoris esse videtur, atque ita corrigendum, *ἕως τούτου τοῦ ἐνιαυτοῦ· ἔτος γὰρ τοῦτό ἐστιν* etc. Si de annis 374 detraxeris 70, restabunt 304. Sequenti vero Constantius Chlorus obiit, si Socrati credimus. A morte Constantii ad Gratianum et Equitium Coss. anni sunt 70. Quare nisi mendosus est numerus, neque verba illa reiicienda sint, videndum an a Constantii Chlori obitu, vel, quod idem est, ab epocha Constantini 70 illos annos computet. Ita pro *Γρατιανὸν, Κωνστάντιον* rescribendum erit. Potest et non solum in voce *Γρατιανὸν*, sed etiam in numerum ipsum error irrepsisse, ut a Christi natali, vel Passione deduxerit.

71 a. *συνθημάτων ἀκοῆς*] Depravata ista sunt, quae ex coniectura tamen non difficile est emendare. Ita nos vertimus, quasi esset, *σύνθημα τῆς ἀκοῆς*.

80 c. *νομίζουσι δὲ παρωγινώσκοντες*] Lege *παραναγινώσκοντες*] De varia loci illius interpunctione erudite disputat Maldonatus noster.

88 c. *ὡς καὶ προσφάτως πάλιν*] Origenistas perstringit et Euagrium, Didymum, Ruffinum ac Monachos complures Aegyptios, qui Epiphanium, Theophilum et Hieronymum agitarunt. Vide Epist. Epiphanii ad Ioannem Hierosol.

91 b. *ἔνθα γὰρ ἐτέθη τὰ σώματα*] Zeno Veron. in Ps. 49: *Non ii solum, qui tales sunt, displicent Deo, sed et illi, qui per sepulcra discurrunt, qui foetorosis prandiis ca-* 373
daveribus sacrificant mortuorum. Augustinus lib. 6 Confess. c. 2 scribit, Ambrosium Mediolani prohibuisse, ne pultes, panem et merum, sicut in Aphrica fieri solebat, ad honorandas defunctorum memorias inferrent: *ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, et quia illa quasi parentalia superstitiosi gentilium essent simillima.* Tertullian. Apolog. c. 13: *Quid omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? Aedes proinde, aras proinde. Idem habitus et insignia in statuis, ut aetas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita Deus est. Quo differt ab epulo Iovis silicer-*

nium? a simpulo obba? ab aruspice pollinctor? Nam et aruspex mortuis apparet.

100 c. *ἐν δὲ τῷ Ἑβραϊκῷ*] Verbum תותר a יתר quod *excellere* significat. Pro quo LXX: *μὴ ἐκζέσῃς: Ne ebullias et ferveas.* Nam quod fervet, attollitur et eminet. At Epiphanius idem verbum ait *ψιλούμενον* proprie significare *μὴ ἐκζέσῃς*. Cuiusmodi nullum propinquius occurrit quam רתח. Sed hoc ipsum nimis alienum videtur.

105 c. *ἔτι δὲ πάλιν ἕκαστος*] Clementis Alexandrini locus eodem pertinet Strom. 7: *Ἕλληνες δὲ ὥσπερ ἀνθρωπομόρφους, οὕτως καὶ ἀνθρωποπαθεῖς τοὺς θεοὺς ὑποτίθενται. καὶ καθάπερ τὰς μορφὰς αὐτῶν ὁμοίας ἑαυτοῖς ἕκαστοι διαζωγραφοῦσιν, ὡς φησὶν ὁ Ξενοφάνης, Αἰθίοπες (τε) μέλανάς τε σιμούς τε. Θρᾷκές τε πυρροὺς καὶ γλαυκούς· οὕτως καὶ τὰς ψυχὰς ὁμοιοῦσιν καὶ τοῖς αὐτοῖς ἀναπλάττουσιν. αὐτίκα βάρβαροι (οἱ) μὲν θηριώδεις καὶ ἀγρίους τὰ ἤθη, ἡμερωτέρους δὲ Ἕλληνες, πλὴν ἐμπαθεῖς.*

106 d. *ἄλλος δὲ κωμικός*] Theophilus lib. 3 ad Autol. haec verba Protagorae Abderitae tribuit: *εἴτε γάρ εἰσι θεοὶ οὐ δύναμαι περὶ αὐτῶν λέγειν, οὔτε ὁποῖοί εἰσι δηλῶσαι· πολλὰ γάρ ἐστι τὰ κωλύοντά με.*

ὁ δὲ ἐφ' ἡμῶν ἕτερος] Eundem Philemonis locum citat Theophilus, ex quo *Φιλήμων* hoc loco legendum didicimus. Sed trimetri Iambici mendosi apud Epiphanium ita ex Theophilo concipiendi sunt.

οἱ γὰρ θεὸν σέβοντες ἐλπίδας καλὰς
ἔχουσιν εἰς σωτηρίαν.

107 a. *ὑποκάμπιος τοῦ τῶν Ἀσσυρίων βασιλέως*] Pro *ὑποκάμπιος* coniecimus leg. *ὑπὸ Καμβύσου*, qui tamen proprie non est *Ἀσσυρίων βασιλεύς*.

107 b. *αἰσχυνέσθωσαν δὲ οἱ ταύτης προσκυνηταί*] Vide consimilis argumenti quaedam apud Aug. lib. 2 de Civit. Dei c. 4 et alibi.

καὶ εὐθὺς μὲν ὡς ἱερέως] Corruptissimus hic locus est, quem Paulus Leopardus lib. 19 Emendat. c. 6 emendare est aggressus. Legendum itaque putat: *καὶ εὐθὺς μὲν Ὀσίριδος ἐρῶσα τοῦ ἰδίου αὐτῆς ἀδελφοῦ* etc. Mox *στρατεύουσα*. Et pro *αἰθομένης, αἰδουμένης*. Sed aliter castigandum, atque

interpretandum arbitror. Nimirum Isidem Osiridis coniugem alterius fratris amore captam fuisse, adeo ut Horus, quem ex Osiride genuerat, dubitaret utro parente natus esset, Typhone an Osiride. Corrigendum itaque: *καὶ εὐθὺς μὲν ὡς Ἶσις ἐρῶσα τοῦ ἰδίου αὐτῆς ἀδελφοῦ, τοὺς ἄλλους κατὰ τῶν ἰδίων ἀδελφῶν στρατεύουσα.* Hoc est: *exemplo suo mulieres reliquas hortatur, ut fratres suos ament*, quemadmodum Terentianus ille Chaereas exemplo Iovis ad stuprum incitatur.

καὶ μὴ ἀρνουμένης] Cor. *ἀρκουμένης.*

107 c. *καὶ ἐν Τύρῳ πορνεύσασα*] Nam Isis eadem atque Io credita, quae a Phoenicibus abducta in Aegyptum postea proficiscitur. Herodotus lib. 1.

Σέραπίν τε τὸν Ἄπιν] Vide Augustin. de Civit. Dei 18, 5. 374 Sed imprimis Clem. Alex. in Protreptico, ubi Sarapin a Sinopensibus Ptolemaeo Philadelpho missum esse refert, ut et Plutarch. Tract. de Is. et Osir. Consulendus etiam Scaliger ad A. Eusebii 1730.

108 c. *ἐν πλοίῳ παρασήμῳ ἀετῷ*] Sic Eusebius anno 634 navem illam, qua Phrixus cum Helle sorore vectus est, arietem insigne, seu *παράσημον* habuisse dicit. Quem ad locum vide quae Scaliger adnotavit.

108 d. *ὁ δ' ἄλλος πατριάριος*] Idem Scal. *Λατιάριος*. emendavit, quem tu consule ad A. 876.

114 c. *σὺν τοῖς διακοσίοις δεκαπέντε*] Haec duo vocabula, *τοῦτο Ἰωσὴφ*, mancum esse locum indicant. Nam a promisso Isaaco, sive ab anno Abraami 75 ad ortum Iosephi non sunt anni 215, sed 175 circiter.

114 d. *καὶ εὐθὺς μὲν α' δεκαπέντε*] Cum Exodi c. 12 tempus, quo Israëlitae in Aegypto peregrinati sunt, in Latinis Hebraeisque codicibus definiatur annorum 430, ex Graecorum authoritate commoda est interpretatio verbis illis adhibita, ut non plures, quam anni 215, a profectione Iacobi in Aegyptum ad egressionem imputati sint. Toti vero illi 430 ab anno 75 Abraami deducuntur. Etenim anno Abraami 75 promissus a Deo Patriarchae filius est, qui anno Abraami centesimo natus est. Ita 25 iam anni colliguntur. Isaacus anno aetatis 60 Iacobum genuit. Is annum agens 130, ut ipse Pharaoni testatus

est, in Aegyptum pervenit. Fiunt anni a promissione 215. Reliqui totidem ad egressum intercedunt, quorum intervalla digeruntur a Chronologis. Huic ratiocinio Paulus ipse suffragatur Gal. 3, 17, qui *ἀπὸ τῆς ἐπαγγελίας* ad legem editam numerat annos 430, ut alibi diximus. Epiphanius perplexe ac subobscure numeros illos dispensat, quod singillatim ostendetur.

Ἰακὼβ δὲ γενόμενος ἐτῶν πϑ'] Imo *πζ'*, hoc est 87. Est enim Iacobi filiorum ordine tertius, anno 10 servitutis eiusdem natus, quam circa annum 77 iniit, quod studiosius a Chronologis colligitur.

Λευὶ ἐτῶν γενόμενος] Tam scripti quam cusi codices habent *μδ'*, hoc est 44, non 34, ut reddit Cornarius, cuius quidem emendatior est lectio. Nam 34 omnino numerandi sunt, ut ex sequentibus liquet. Etenim ad ortum Levi anni confiunt 174, additis 34, tum tribus, ut 47 Levi consurgant, fiunt anni 211, quot Epiphanius percenset.

115 a. *Καὰϑ δὲ μετὰ τὴν εἰς Αἴγυπτον*] De Levi et Caath et Patriarcharum quorumdam aetate, cum filios genuerunt, nonnisi ex coniectura constat, quae multiplex a Chronologis nostris elicitur. Hic autem impeditus est Epiphanii calculus. Caath genitum esse dicit anno Levi 34, qui est a promissione 208, porro Caath genuit Amram anno aetatis suae 65. Igitur a 75 Abraami ad ortum Amrami fluxerunt anni 273, non 280, ad quos complendos, si quidem 65 anno Caathus Amramum genuit, natus ille est anno Levi 41. Atqui natus ab Epiphanio dicitur anno 34, quibus alii tres usque ad profectionem in Aegyptum accensentur, inde quatuor ex Aegyptiaca commoratione libantur, ut 215 annorum numerus absolvatur. Aut igitur anno 72 aetatis suae Caath Amramum genuit, aut Levi annum, uti dixi, agens 41 Caathum. A 75 Abraami ad Levi 41 anni sunt 215, quibus additi 65 annos constituunt 280. Item ab anno 75 Abraami ad Levi 34 anni numerantur 208. Adde 72, anni consurgunt 280. Tres illi ad 37 Levi complendum adiecti et alii 4 Epiphanio per imprudentiam exciderunt, cum scripsit *ἐν τῷ ἑξηκοστῷ πέμπτῳ αὐτοῦ ἔτει.*

τὸν πατέρα Μωυσέως Ἀβραάμ] Perperam Epiphanius

Ἀβραὰμ pro Ἀμραάμ. Nam Mosis pater Amram, non Abraam secundus appellatus est.

ἀπὸ δὲ τῆς εἰς Αἴγυπτον καταγωγῆς] Si de annis 280 subducas 65, reliqui sunt 215. Quare videtur anno a promissione 215 natus esse Caath, Levi 41, cum tamen paulo ante anno Levi 34 ortum Caathi tribuerit.

115 b. ὁ δὲ Μωυσῆς ἐν τῷ λ' αὐτοῦ] Contra expressum Scripturae testimonium anno aetatis 30 Moysen eduxisse populum asserit. Neque vero librarii mendum est, sed ipsius error Epiphanii, ut ex consequentibus patet. Nihil certius est quam anno 80 Moysis Israëlitas ex Aegypto profectos esse.

ἀπὸ δὲ τῆς εἰς Αἴγυπτον καθόδου]. Cor. ἔτη ρξε'. Sunt enim a descensu in Aegyptum ad Mosis ortum anni 135, adde Mosis 30, fiunt 165. Restant ad complendos 215 anni quinquaginta.

τὰ δὲ λοιπὰ πεντήκοντα] Hoc vero nullo modo ferendum est. Annos ab Israëlitarum exitu ad promissae terrae possessionem imputat quinquaginta, quadringentos vero et triginta a promissione ad ingressum Palaestinae. Quod Scripturae sacrae adeo repugnat, nihil ut magis contrarium esse possit. Nam Paulus ipse disertis verbis a promissione Abraamo facta ad legem in monte Sina editam annos putat 430. Mendosissimus est igitur Epiphanii calculus, cuius hic typum subiecimus.

Typus Epiphaniani calculi mendosi.	
Ab anno promissionis Abraamo factae ad Isaaci natalem	A. 25.
Ab Isaaco ad Iacobi ortum	A. 60.
Ad ortum Levi	A. 89.
Ad ortum Caath	A. 34.
Ad ingressum Aegypti	A. 3.
Inde ad complendos 215 annos priores	A. 4.
	Colliguntur ab ingressu Aegypti anni 215.

376	Ab ortu Caath ad natalem Amram	A. 65.
	Ad ortum Moysis	A. 70.
	Ad egressum ex Aegypto	A. 30.
	Ad ingressum Palaestinae	A. 50.
		Colliguntur ab ortu Caath ad Palaestinae possessionem A. 215.
		A promissione vero Abraamo facta ad ingressum Palaestinae A. 430.

115 d. *ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν*] Haec ipsa Mosis verba superiorem calculum falsitatis arguunt. Nam ab eo tempore, quo in Chananaea peregrinari coepit Abraamus, ad exitum Israëlitarum ex Aegypto, anni sunt 430. Non igitur totidem ad ingressum Palaestinae computandi sunt. Nam Epiphanius quinquaginta annos Moysis aetati detractos compensavit, prorogato annorum illorum termino ad possessionem terrae sanctae, ad quam ab exitu anni sunt 40, quibus 10 addidit, ut quinquaginta illos absolveret. Porro idem ille locus ex LXX Interpretum editione valde notandus est, quod eius authoritate Latinorum atque Hebraeorum impeditissima lectio veram ad sententiam applicetur.

116 a. *ἕτερα δέ τις παρ' αὐτῶν*] Hoc et superiore argumento Manichaei, Marcionistae, atque illi omnes Haeretici, qui malorum alterum principium, authoremque Deum asserebant, adversus Catholicos usi sunt. Quos egregie confutat Augustinus contra Faustum, praesertim lib. 22 Tertull. contra Marc. 2, 20, aliique Patres, nec non Epiphanius noster Haer. 66, quae est Manich., c. 83 et deinceps. Rabbi Selomoh in c. 1 Gen. scribit Moysen sacram historiam hinc exorsum: ***In principio creavit Deus coelum et terram***, ut adversus gentes tueri atque excusare sese Iudaei possent, cum ab illis latrocinii accusarentur, quod alienum agrum occupassent.

116 b. *Ἴσασι πάντες τὸν δίκαιον*] De hac terrarum orbis in Noëmi filios partitione fusius in Annalibus sacris ac Chronologiis agitur. Quae quidem varie ex Iosepho, Eusebio ac reliquis instituitur.

116 d. *Παίονες, Λαζοί*] Plerique ex iis populis extra Semi sortem positi ad Iapheti partem attinent, veluti Paeones, qui in Europa censentur. Lazi etsi in Asia sint, tamen extra *κλῆρον* Semi collocantur. Sunt enim Colchi.

Κοσσεσσοῦοι] A Cossea Persidis regione, nisi fallor, a qua *Κοσσαῖοι*, Stephanus. Apud Euseb. legitur *Κοσαῖοι*.

Γασφηνοί] Nusquam istos reperio, sed, qui affines sunt, Aspios Indiae populos.

οἱ Καιϊανοί] Neque istos expedio. Neque vero divinare otium est. Eusebius inter alios recenset *Οὐαρναίους*. Porro 377
Varni Bactrianae populi sunt Ptolemaeo.

Χιόνες] Chionitae Persis vicini ex Ammiano notantur ab Ortelio.

117 a. *Ἐνόται*] Fortean Eneti, vel Heneti Paphlagoniae populi.

Κορδυλῆνοί] Cordulae portus nomen est ad Euxinum prope Colchidem.

Βίονες] Nihil reperio quod ad hunc locum faciat, nisi *Ἴωνες* legas.

Ἑλλανικοί] Ad eumne pertineant locum, quem *Ἑλληνικὸν* in Memphide dici testatur Stephanus, amplius videndum.

117 b. *Λεπτῖται, Μαγνῆται*] Vide quae ad Haer. 66, 84 dicta sunt.

Κουρκουδαλοπάδουσα] Duo in unum conflata sunt nomina. Vide Ortel.

Σαρδανή] Nusquam invenio. Ac nescio an Sardiniam intelligat, quam in sorte Iapheti praeteriit.

117 c. *Γαργανοί*] Utrum Georgi sint Sarmatae circa Pontum Euxinum, a quibus Georgiani hodie Iberi nominantur, iudicent periti.

Ἄρρεοι] Arrhenem maioris Armeniae regionem Plinius commemorat. Sunt et *Ἄρρηλοι* Stephano ex Strabone Maeotidis accolae.

Κόλλοι] Stephanus *Κώλους* appellat Caucaso propinquos, a quibus Colica regio.

Κορζηνοί] Scribe *Ὀρσηνοί*. Est enim *Ὀρσήνη* Ptolemaeo minoris Armeniae tractus. Pro Beneagenis quid reponam, aliud habeo nihil, nisi *Κωμαγηνοὶ*, quos supra in Semi sorte posuerat. Sed, ut paulo post admonet, in diversis possessionibus iidem tractus populique censentur.

117 d. *Ἱππικοί*] For. *Ὀπικοὶ*, aut *Ἱρπῖνοι*. Mox pro *Λιβυστηνοὶ* suspicor leg. *Λιγυστηνοί*.

Βάσαντες] An Vasates.

118 d. *Ἀμιναδὰβ τὸν Νασσὼν καὶ τὸν Σαλμιών*] Naasson genuit Salmon, non eius frater extitit.

Pag. 130 lin. 25. 26 in Martii 13 — in 14] *Corrige* in Martii 12 — in 13.

Lipsiae, typis I. B. Hirschfeld.

3 2044 029 855 434

DATE DUE

DEMCO, INC. 38-2931